M. S. Folio, en pasta. con 386 hoj.s portada é indice.

P. Joan de Cardenas, de incarnatione.

Rotulata

P. Cardenas. de incarnatione.

Elogium in Grāmaticam
ex
Verbo Incarnato

Verbum do tibi Grammatica: non tamen declinandum:
Annomalum enin est: licet non Anomymum
Quæris cuiusnam sit numeri? nullius.
Caret numero; non numeris, quibus est absolutissimum,
Cum TRINITATEM compleat.
Solecismum facit, qui plurale fatetur

Neque vllius ordinis est,
quod cum supra ordinem sit
ipsorum ordinum ordo est.
Si Verbum in stabulo, in fœno, in nive videris,
Passivum dices;
Activum tamen est: nam primum Agens:
omnia per ipsum facta sunt.
Ne quæras casus:
Non regitur casibus, qui casus regit.
Perpende cum Syllabis litteras
Syllabarum Syllabus est:
Alpha & Omega.
Simplex, an Compositum?
Vtrumque.
Simplicissimum: naturæ humanæ admittit consortium
Tempora da quæcumque placent,
& præsens, & præteritum, & futurum.
Semper perfectum, & plusquam perfectum,
& infinitum.
Verbum hoc addisce Grammatica,
& Theologia eris.

P. IOANNES
DE
CARDENAS
DE
INCARNATIONE

JHS

OPUS THEOLOGICUM

Mirabile continens Dominicæ

INCARNATIONIS ARCANUM

IN 3. P.

D. THOMAE AQUINATIS

IN

SS. VINCENTII, et ANASTASII

Cleric. Regul. Minorum

celeberrimo Romano

Collegio

PER

R. P. IOANNEM de CARDENAS, et MENDIETA

Clericorum Regularium Minorum Assistentem Generalem Hispanium.

In eodem Collegio Sacræ Theologiæ Lectorem.

Pro Annis

a die 5 Novembris. 1694 usque ad 7. Septembris 1695. &

a die. 5 Novembris 1695 usque ad 7. Septembris. 1696. &

a die 5 Novembris. 1696 usque ad 7. Maij. 1697.

TRACTUS PRIMUS.
DE INCARNATIONE VERBI DIVINI
SECUNDUM SE, et quo ad SUBSTANTIAM.

PROOEMIUM

Argumentum, utique inter arcana occultum, inter admiranda, dignissimum, inter ardua cognitu difficile, et denique inter vera certissimum, suscepimus enodandum: et quod utique est argumentum hoc, certissimum, dignissimum, arduum, & occultum? clausum est enim in illo Libro, quem in sua mysteriosa Apocalipsi vidit Charissimus Evangelista, & simul Propheta Apostolus Ioannes. cap. 10: * Et audivi (Loquitur mysteriose Propheta iste) vocem de Cœlo iterum loquentem mecum, & dicentem vade, & accipe Librum appertum de manu Angeli stantis super mare. & super terram: * obedientissimus Profeta, sicut ei fuerat præceptum, fecit, * Et abij ad Angelum (prosequitur) dicens ei: damihi Librum. * et tunc Angelus Ioanni, suo desiderio obtemperans dixit: * Accipe Librum, & devora illum *. Quis talia audivit? quis talia crederet, si testis tantæ exceptionis non affirmaret? Libri enim non ut cibus devorandus proponuntur, sunt enim ad erudiendum, lectura in ipsis præcontenta, instituti. quomodo ergo ad devorandum, & adquid ut devoretur offertur? Et si Angelus Prophetæ præcipit quod in ventrem per os transmittat Librum illum, quare devorando? quare potius non modo rationali comedendo, dentibusque masticando claudulat?

Sed, ut mysterium pandatur, quis, & qualis sit Liber iste, introspicere oportet. Absdubio Liber iste, est ille, cum quo initium præbet suo Evangelio Apostolus, & Evangelista Mattheus dicens: * Liber generationis Jesu-Christi Filij Dabid: * Argumentum ergo quod in præsentiarum te legimus enodandum, clausum est in illo Libro, quem in sua Apocalipsi mysteriosa vidit Aquilinus Evangelista Ioannes, Arcanum videlicet Dominicæ Incarnationis,

mysterium altissimum, in quo Verbum divinum, Imago purissima Patris, in æterna generatione a Patre, ut Filius, Secunda Sanctissimæ, & individuæ Trinitatis Persona procedens naturam humanam in tempore sibi in unitatem personæ copullavit, ideo misterione Angelus præcipit Joanni, quod devoret Librum istum, hoc est, quod hoc mysterium absque digestione rationalis discursus, credat, & ideo creditum causavit dulcedinem tantam in ore Joannis. * Et devoravi illum (affirmat deinde Castissimus Propheta) & erat in ore meo tanquam mel dulce.* Dulcedo utique, quæ diffusa per Fidem in os cuius libet fidelis suavissimum, & dulcissimum saporem præfert. Quando quidem admiratur per Christum reparata natura humana, antea per peccatum corrupta, & Paradisi ianua, antea per peccatum clausa, per satisfactionem condignam Xpti Reparatoris, & Redemptoris, apperta. Quinimo & ipsa Deitas, per hoc mysterium admiratur illustrata, dum eius attributa splendidiora venerantur & micantiora videntur: Bonitas enim, quia maiori, & execellentiori modo possibili communicatur, & diffunditur ad extra: Sapientia, & Scientia, modum huius mirabilis communicationis ad extra inveniendo: Omnipotentia ima summis coniungenda: Iustitia, pro peccato reparando satisfactionem condignam, & rigorosam constituendo: Misericordia humanum genus a miseria sublevando: & denique omnia alia attributa, præsertim amor Dei erga homines, quia ut testatur Amatus Evangelista, cap. 3.* Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum Unigenitum daret:* Quid ergo dulcius hoc mysterio? quid iucundius, & suavius? tantum bonum, & dulcedinem tantam, uno in se continens Sacramento? affirmet ergo extaticus Joannes quod devoravit Librum, & quod erat in ore suo tanquam mel dulce.

Sed videamus quare postea subiungit idem Charissimus Evangelista Joannes:* Et cum devorassem eum amaricatus est venter meus.? Quæ enim Amaritudo, ex tanto bono, & ex dulcedine tanta originari valet? Sed quis non videat tot, & tam graves quæstiones, & difficultates in disputationibus Theologicis insurgentes circa hoc mysterium, quæ in tot, & tam varias opiniones Catholicorum Theologorum diviserunt ingenia? quæ enim amarities maior prædubietate? Amaricatur enim quam maxime intellectus verum in vero non evidenter attingens. Ne dicam Amaritudinem, de qua lamentatur Joannes, esse tot et tam perniciosas hæreses quæ circa hoc mysterium Ecclesiam Dei perturbarunt. Suum ergo amaricatum ventrem ingemiscat Evangelista, si prævidit amaritudines tantas.

Argumentum ergo nostrum est Liber iste, de quo ait Matheus* Liber generationis Iesu Xpti* Liber continens Incarnationis mysterium, quod variis encomijs a Patribus proclamatur: illud Ænigma sacratissimum prædicat Cyrillus Alexandrinus: Dyonisius mysteriorum arcanum: Gregorius, secretum ineffabile. Augustinus mirabilem mixturam:

at nos quomodo argumentum præsens sumimus pertractandum, & enodandum, si arcanum, si Sacramentum, si mysterium, si secretum, & ineffabile, credimus? Verum dicamus cum S. Leone Papa, Serm. 9 de Nativit.e Dni. quod *inde oritur difficultas fandi, unde adest ratio non tacendi * & proinde eo quia ineffabile fandi, & Theologizandi tribuit facultatem. divino ergo auxilio fidentes argumentum præsens in hoc theologico opere pro nostro tenui captu suscipimus pertractandum. Dulcedo magna prima facie percipitur hoc venerantes, & credentes mysterium, unde cum Joanne possumus dicere: & erat in ore meo tanquam mel dulce: Sed iam intrinsecus amaritudo imminet, quando subtiles Theologicas disputationes, & articulos volumus proponere, & resolvere.

At enimvero si attente introspicimus, videbimus, quod lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt, ut notat idem Aquilinus Evangelista Joannes, est enim istud divinum Verbum, quod sibi in unitatem personæ naturam humanam copulavit, ipsa Sapientia æternaliter genita, & lux, quæ licet in se inaccessibilis, tamen in natura humana est temperata, unde pro sua benignitate nobis exit lux, & Sapientia, quæ nostras illuminet mentes, ut de eâdem Sapientia Incarnata sincere, & congrue theologizare possimus. Præsertim, Duce pro nobis Angelico Magistro D. Thoma Aquinate, qui ut Sol inter Doctores suos alumnos illuminat. Ipsa enim Sapientia Incarnata, nobis demonstravit viam ad congrue de eodem Verbo Incarnato theologizandum, dum ad doctrinam Angelici Magistri sequendam invitat, ex cathedra Crucis affirmans, loquens cum Angelico Doctore, ipsique dicens: * Bene scripsisti de me Thoma * ergo nobis apperta est via ad nostrum opus perficiendum, argumentumque nostrum pertractandum, doctrinam Angelici Magistri D. Thomæ Aquinatis ad unguem sectantes. præsentem ergo tractatum, sicut et alios, vestigijs Angelici Magistri insequendo in varias dissecabimus quæstiones, seu disputationes, & has in varios articulos dividemus.

Utinam fœliciter.

DISPUTATIO PRIMA DE POSSIBILITATE, CONVENIENTIA, ET EXISTENTIA INCARNATIONIS.

Articulus. I.

Vtrum Incarnatio Verbi divini sit possibilis?

§. 1 Prænotantur nonnulla.

Pro intelligentia præsentis difficultatis notandum est, possibile nihil aliud esse, quam illud, quod non implicat contradictionem, unde illa prædicata sunt possibilia, quæ inter se coadunari possunt, & per consequens inter se non sunt incompossibilia.

Sed dices quod Rationale, & irrationale, sunt prædicata possibilia, & tamen non possunt inter se adunari, etenim inter se incompossibilia sunt, ergo non sufficienter explicatur quidditas entis possibilis.

Sed contra, quia licet Rationale, & Irrationale non sint inter se compossibilia, tamen quodlibet illorum seorsim sumptum est compossibile cum alio tertio prædicato, nimirum, cum animali, unde ideo possibile est Rationale v. g. quia compossibile est cum alio vero prædicato. Et proinde omne possibile compossibile debet esse cum aliquo vero prædicato, sive per identitatem physicam, sive per unionem, vel informationem, sive per terminationem. Si ergo est præcreatum, vel creabile constare debet adminus ex duplici extremo, seu prædicato physico, vel methaphisico, iuxta qualitatem ipsius possibilis. Si autem possibile sit constans ex prædicatis quorum unum sit creatum, & aliud increatum, illa extrema, videlicet unum creatum, & aliud increatum, uniri debent aliquo vero modo possibili, ita ut ex illis resultet unum tertium ens verum, & non repugnans,

Quando ergo in præsenti inquirimus utrum Incarnatio Verbi Divini sit possibilis, idem est ac inquirere, Vtrum Persona divina, & increata, possit uniri aliquo vero & reali modo possibili naturæ humanæ, illam terminando, & constituendo personam supplendo nempe vices personæ creatæ?

§. II. Statuitur conclusio affirmativa.

Sit nostra conclusio affirmativa, cum communi Catholicorum sententia, quidquid in contrarium

latrent Heretici. qui blasphemè negarunt esse possibile mysterium Incarnationis dominicę, ut stabilirent Xptum Dominum verum Deum, & Hominem non esse

Probatur duplici ratione utique efficaci nostra conclusio. & prima fundatur in existentia huius mysterij. & sic formatur: quia illud quod existit, pro signo præscindente ab existentia possibile est. possibile utique, prout contraponitur ad existens: sed modo existit Incarnationis mysterium, ergo pro signo præscindendi ab exist.ª possibile est. maior videtur evidens. quia extremiter implicat quod res quę aliquando existit de præsenti, pro priori non extiterit possibilis, quippe impossibile nequit existere realiter in rerum natura, cum vera existentia, ergo si mysterium Incarnationis existit, pro signo præscindendi ab exist.ª est possibile. Minor autem est de fide. iuxta illud Symboli Concilij Niceni: & Incarnatus est de Sp.tu S.to ex M.a Virgine, & Homo factus est. & iuxta illud Ioann. c. 1. Verbum Caro factum est. & rationem huius Catholicę veritatis designavit Archangelus Gabriel quando dixit B. Virgini: Lucę c. 1. quia non erit impossibile apud Deum omne Verbum.

Secunda ratio fundatur in infinitudine Personalitatis divinę in terminando, & capacitate obedientiali naturę humanę ut in illa faciat Deus quidquid non implicat contradictionem, & proinde fundatur hęc ratio in non repugnantia terminorum & sic formatur sic: Quia illud est possibile in cuius reali, & vera existentia, nulla involvitur contradictio; sed existentia vera, & realis mysterij incarnationis, nullam contradictionem involvit; ergo mysterium Incarnationis est possibile. minor in quo est difficultas probatur ex solut.e argumentorum.

§ III

Solvuntur argumenta.

Obiicies primo. Si mysterium Incarnationis esset possibile, posset Persona divina uniri naturę creatę, v.g. humanitati; sed non potest; ergo. probatur minor. Si Persona divina posset uniri in unitate personę humanitati, uniretur eidem naturę per modum actus; sed non ut sic uniri non potest; ergo. maior constat quia extrema quę inter se uniuntur unum se habet per modum actus perficientis, & aliud per modum potentię perfectibilis, ergo cum non hoc 2.º modo se possit habere. restat quod uniri deberet per modum actus. prob. ergo min. quia si uniretur ut actus perficiens, se haberet per modum partis, & informative, q.d ipsi repugnat.

Resp.º negando min. ad cuius probationem distinguo maiorem, per modum actus pure terminative, concedo maiorem, informative nego mai. & sub eisdem terminis distinguatur min. & negatur conseq.ª qua solut.e præoccupatur probatio subiuncta. ex tali enim unione non sequitur quod prędicatum divinum sit pars, vel quid incompletum veniens in compositionem alterius. solum enim habet perficere extremum, cui unitur, & perficere, sub isto explicito nullam dicit imperfectionem.

Quod instari, & parificari potest in Essentia divina, quæ in vera Thomistarum sententia unitur mentibus Beatorum per modum speciei impressæ, in qua unione Essentia divina, non unitur informative, sed pure terminative perficiendo intellectum, ut ex illo, sic fœcundato, media specie producatur notitia, seu eliciatur visio.

Replicabis, & dices, quod licet veram doctrinam contineat instantia data, tamen ex illa non convincitur intentum. ergo Solutio est nullius roboris. Assumptum probas, ex eo quia Unio Essentiæ divinæ per modum speciei impressæ, & expressæ, non est unio de linea entis, & physica, sed est unio intentionalis, unde mirum non est, quod informare non exigat, cum informatio, sit conceptus physicus, & non intentionalis, at vero e contra in Casu quia si possibilis esset unio Personæ divinæ cum humanitate, talis unio esset physica, & de linea entis, ergo deberet physice informare humanitatem, consequentia probatur, quia unio physica actus realis realiter perficientis, cum potentia perfectibili, ex terminis dicit, vel identitatem, vel informationem, ut patet discurrendo per omnes actus physice perficientes potentias, etenim si unio est metaphisica, exigitur identitas, si fisica, requiritur informatio.

S.d contra, & resp. neg. ans. & ad probationem respondetur, admittendo quod unio Personæ divinæ cum humanitate, sit de linea entis, & physica, verum ex hoc non convincitur, quod persona divina non sit solum actus pure terminans humanitatem. & ratio est, quia actus qui informat potentiam, quam perficit, est de se actus imperfectus, & incompletus, indigens proinde comparte, ut ab ipsa compleatur, Cæterum Persona divina est in se actus perfectus, completus, & independens, & proinde uniri potest non informando, sed pure terminando, imo ob hoc ei repugnat informare.

Nec obest quod in argum.to insinuatur de omni alio actu creato excogitabili, qui omnes uniuntur cum sua potentia, vel per identitatem, ut accidit in differentijs methaphisicis, vel per informationem, ut patet in actibus physicis, eo quia omnes isti, quia creati, sunt quid incompletum, & partiale, unde taliter perficiunt, quod etiam indigent perficionari a sua potentia, quandoquidem per illam complentur.

Nec obstat secundo, illud, quod etiam in argumento insinuatur, videlicet quod non datur alius actus, qui phisice sic perficiat, nimirum pure terminando. Non officit inquam istud, quia mysterium hoc Incarnationis dominicæ, est quid mirabile, & singulare, unde mirum non est quod parificari nequeat cum alio simili, etenim ut dicit Concilium Toletanum secundum * Si haberet exemplum non esset singulare, & si ratione ostendi posset non esset mirabile *

Obijcies secundo: Si possibile esset mysterium Incarnationis, posset uniri humanitati Persona divina, sed non potest. ergo. probatur min. Si posset uniri mutaretur intrinsece persona divina, s.d hoc est impossibile. ergo.

Sequelia probatur, quia mutari aliquid intrinsece, nil aliud est, quam aliter se habere nunc, quam prius, Sed si Persona divina, v.g. Filius, univetur humanitati, aliter realiter, se haberet intrinsece, in unione, & post unionem, quam antea ergo mutaretur intrinsece. prob. min. quia per unionem verificaretur de Persona divina esse intrinsece hominem, Sed antea non erat intrinsece homo. ergo

Resp.° neg.do Sequellam. & ad probationem resp.° neg.d ans. etenim ad intrinsecam mutationem requiritur, quod illud quod mutatur, vel recipiat aliquid in se, vel recipiatur in alio, quod non accidit Personę Verbi in hoc mysterio. non enim recipit cum non sit potentia, Sed actus purissimus, & simplicissimus; non recipitur, quia est actus non indigens potentia receptiva, ex ergo cum natura humana solum habet illam terminare, sustentare, & personare quod sufficit, ut sit intrinsece homo. Ad. Quod instatur in essentia divina gerente vices speciei, mentibus Beatorum unita. ex qua unione in linea intellectiva, provenit. quod denominetur fœcundans intellectum ad visionem, quę fœcundatio & si intrinseca, non arguit mutationem in divina Essentia.

Obiicies tertio. Si Persona divina posset univi naturę creatę, & proinde esset possibile mysterium Incarnationis, daretur aliqua proportio inter Personam divinam, & naturam humanam, Sed inter hęc extrema nulla datur proportio. ergo. maior videtur nota, quia extrema improportionata, non sunt interse unibilia. probatur ergo min. quia extrema, quorum unum est finitum, & aliud infinitum distant interse infinita, sed finiti ad infinitum nulla datur proportio. ergo.

Resp. dist. maiorem, nulla datur proportio numeri ad numerum, seu arithmetice, concedo, perficientis ad perfectibile neg. seu geometrica, neg. Licet enim creatura distet infinite a suo creatore, est perfectibilis ab ipso. & perfectione naturali, & supernaturali. unde ad istam comparatur ut obedientialiter capax ut in illa & erga illa faciat Deus quod voluerit.

Denique obiicies. Si Persona divina posset univi humanitati, maxime quia continet eminenter perfectionem personalitatis creatę; Sed hęc ratio non convincit intentum. ergo. prob. min. multiplici paritate. primo. intellectus divinus continet eminenter intellectus creati, & luminis glorię. & non potest vices intellectus creati, nec luminis glorię, non enim potest intelligere per intellectionem creatam. 2. intellectio increata, continet eminenter intellectionem creatam, & non potest gerere vices illius. 3.° Voluntas divina continet eminenter perfectionem voluntatis creatę, cuius cumque habitus, tum naturalis, tum super naturalis. & non potest illorum vices gerere. Sic nec amor increatus, potest gerere vices amoris creati. ergo.

Resp. neg. min. & ad probationem concessis pręmissis negatur consequentia. & paritas. ratio disparitatis stat in eo quod, ad illa munia exercenda requiritur essentialiter informatio, vel identificatio cum natura creata, ratione vitalitatis, quę includitur in illis conceptibus, & cum vitalitas exigat esse ab intrinseco, ut late explicatur ad libros de anima, & tract. de visione. & Charitate. inde est quod nec intellectus, vel intellectio divina, sicut. nec voluntas, nec amor divinus, possunt illa munia supplere. At vero ad personandam humanitatem. nec requiritur informatio, vel identitas cum humanitate. eo quia illud munus non dicit vitalitatem, Sed solum dicit terminare. & terminare dicit in suo conceptu perfectionem. immo & talem quod terminare alienam naturam soli Deo potest convenire.

Articulus. II

Vtrum possibilitas mysterij Incarnationis sit cognoscibilis, viribus naturae ab intellectu crato?

§ I

Statuitur conclusio negativa

Sit nostra conclusio: Nullus intellectus creatus, vel creabilis, potest, viribus naturę inspectis, cognoscere mysterium Incarnationis esse possibile.

~~[illegible]~~ Est communis, praesertim inter Thomistas, & suadetur eisdem rationibus, quibus ad Tract. de Visione, & de Trinit. probatur, nullum mysterium supernaturale posse, seclusa revelatione, & solis viribus naturę inspectis, cognosci, ut possibile. Caeterum hęc nostra conclusio specialiter videtur stabilita ab Apostolo ad Ephes. 3. ubi loquendo de hoc mysterio, ait: * esse Sacramentum absconditum a Saeculo in Deo: * ubi interlinealis explicat * absconditum in sola Dei notitia * & ad Colos. 1. ait: * Mysterium absconditum a Saeculo. * Rursus in Apocalipsi appellatur * Liber sigillatum sigillis septem, quem nemo in cęlo, etc. * quo circa appellatur a D. Cyrillo Alex. in Epist. ad Reginas * Ænigma sacratissimum, quod nulla mens creata potest attingere. * a D. Dionysio Areop. c. 2. de divinis nom. * ignotum omni intelligentię ipsi que Angelorum Primati. & D. Aug. in intelligentia praeclarissimus, eo quia in Dei Ecclesię est Aquilla grandis magnarum alarum, contemplans altitudinem huius mysterij ait: * Fateamur Deum facere posse, quod nos investigare non possumus. * ex quibus authoritatibus clare deducitur nostra conclusio.

Ratione autem suadetur quia illud quod nullam connexionem, causę vel effectus [vel termini, vel alterius] habet cum natura, viribus naturę cognosci nequit, sed mysterium hoc Incarnationis, nullam connexionem, causę, vel effectus, vel termini, vel alterius similis, habet cum natura, ergo viribus naturę cognosci nequit. maior est nota quia cognitio alicuius ex alio, in aliqua connexione debet fundari. min. autem prob. si aliquam connexionem cum natura haberet, ut cum causa, effectu, termino, vel obiecto, vel alio modo, non esset supernaturale, & mirabile non foret.

§ II

Solvuntur argumenta

Obiicies primo, mysterium hoc connectitur cum cognitione naturali, ut obiectum cum actu; ergo. assumptum suades, quia mysterium hoc continetur intra spheram obiecti intellectus. ergo. antecedens videtur non posse negari, alias nunquam intellectus posset illud cognoscere, cum nulla potentia posit extrahi extra spheram sui obiecti. unde nec per revelationem illud posset cognoscere.

Respondeo negando assumptum, & ad probat. distinguo antecedens. contineretur intra spheram obiecti proportionati, nego, improportionati, adequati & extensivi, concedo. et ex ista continentia non infertur quod eius possibilitas posit lumine naturali cognosci. alioquin, & mysterium SS. Trinitatis & quodlibet aliud foret naturaliter cognoscibile.

Obiicies secundo. intellectus creatus viribus naturę adiutus potest cognoscere quod Deus potest facere aliquod ens supra ordinem naturę. sed istud esset supernaturale; ergo intellectus creatus suis viribus naturalibus potest cognoscere obiectum supernaturale, quatale, ergo est quia ens supernaturale continetur intra spheram obiecti proportionati.

Resp. ~~[illegible]~~ negando quod intellectus creatus posit cognoscere, etiam abstractive, indeterminate, & confuse, ens supernaturale, licet naturaliter cognoscat Deum posse facere aliquod ens supra suam cognitionem, eo quia licet cognoscat Deum Authorem esse Omnipotentem, solum potest cognoscere eum Omnipotentem in ordine naturę. & proinde posse facere aliquod ens ita occultum in linea naturali, quod eius quidditas diffiniri, aut describi non posit. verum

Verum tale ens non excedet limites naturę, etenim nullus intellectus naturalis quantumvis superior cognoscere potest dari ordinem supernaturalem, eo ipso enim quod ordo sit supernaturalis est supra naturam.

Aliorum solutio distinguit maiorem. & dicit quod intellectus creatus viribus naturę cognoscere potest aliquod ens supernaturale in confuso, & generice, non vero determinate in specie, vel in individuo. ex qua cognitione docet ista responsio, quod non sequitur, quod hoc mysterium sit cognoscibile, etiam ut possibile. Sed ista solutio mihi non placet, & manet impugnata ratione inclusa in nostra legitima solutione.

Obiicies tertio. illud obiectum potest cognosci, ut possibile, quod potest cognosci, ut non impossibile, Sed mysterium hoc Incarnationis potest cognosci, ut non impossibile, ergo potest cognosci ut possibile. maior videtur constans, quia non impossibile, & possibile sunt termini ęquivalentes, probatur ergo minor, illud mysterium cognoscitur ut non impossibile, quod non cognoscitur impossibile, Sed mysterium Incarnationis non cognoscitur impossibile, ergo cognoscitur ut non impossibile. maior negari non potest, quia continet in se illam communem regulam, quę docetur in Dialectica. c. de argumentatione. videlicet. quod valet consequentia ab affirmativa, ad negativam variato prędicato penes finitum, & infinitum. minor autem probatur. quia illud quod in re est verum non potest demonstrari esse impossibile, ergo implicat quod cognoscatur ut impossibile, Sed possibilitas huius mysterij est vera, ergo non potest cognosci ut impossibilis.

Respondeo distinguendo maiorem: quod potest cognosci, ut non impossibile. ly non positive sumptum. & denotando suppositionem extremorum, ex quibus componitur non impossibile. concedo. ly non pure negative acceptum, & non exigens suppositionem extremorum, nego maiorem, & sub eadem distinctione minori nego consequentiam.

Explicatur solutio. dicimus ergo quod aliquod obiectum dupliciter potest cognosci esse non impossibile. primo positive sumpto obiecto, & per suppositionem extremorum, videlicet, quod sint, & dentur saltim possibiliter, extrema. ex quibus ut connexa componitur non impossibile. quandoquidem ut dicebamus in principio huius disputationis, possibile, seu non impossibile est illud quod componi potest cum aliquo alio prędicato, seu quod habet extrema saltim ratione distincta. quę ad invicem affirmari possunt. vel si est extremum impartibile ut ens, componi possit cum alio extremo. nimirum cum differentia. vel quasi diff.ª Secundo aliquid potest cognosci, ut non impossibile, tantum negative. ad quod non requiritur quod cognoscatur, convenientia prędicati ad subiectum sed sufficit posse solvere argumenta quę intendunt suadere eius impossibilitatem.

Intellectus autem naturalis. potest solvere omnia argumenta quæ sibi ab alio fieri possunt, contra possibilitatem huius vel alterius mysterij supernaturalis. dixi ab alio. quia intellectus naturalis non potest rationes formare contra possibilitatem, vel impossibilitatem alicuius entis supernaturalis, primo enim est necessarium. quod cognoscat quod datur, vel dabilis est ordo supernaturalis. quæ cognitio habetur ex ipso arguente & intendente impossibilitatem probare unde sufficit ut aliquid cognoscatur, ut non impossibile tantum negative, si non quod posit solvere fundamenta intendentia probare impossibilitatem. quia ut docet D.Th. 1.p.q.1.ar.8. & q.33.ar.1. & 2.2. q.1.ar.5.ad.1. intellectus naturalis potest solvere omnia argumenta, quæ fiunt contra nostram fidem. & ex hoc. non arguitur possibilitas huius. vel alterius mysterij, ista enim cognicitur, cognitis extremis ex quibus constat. tale mysterium possibile. & hæc cognitio est extra sphæram luminis naturæ.

Denique obicies: quod est evidenter credibile est evidenter possibile sed hoc mysterium, solo lumine naturali inspecto, est evidenter credibile. ergo solo lumine naturali inspecto. cognoscitur quod est evidenter possibile minor est D.Th. 2.2.q.1.ar.4.ad 2. & maior probatur. quod est evidenter impossibile. est evidenter incredibile, ergo quod est evidenter credibile est evidenter possibile consequentia infertur. & constat ex illa regula arguendi. ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis.

Respondeo negando maiorem, quia ab alio sumitur ratio credibilitatis, ab alio ratio possibilitatis. ista sumitur a conexione intrinseca. vel per convenientiam aliam prædicati ad subiectum; illa autem ab extrinseca authoritate dicentis, & solo lumine naturali demonstratur quod quidquid Deus dicit verum est. eo quia solo lumine naturali demonstratur quod Deus non potest fallere, nec falli. cum istud attributum. vel ista conveniant Deo etiam ut Authori naturæ, & similiter. authoritas Ecclesiæ proponentis est evidenter cognoscibilis. ex tot testimonijs quibus comprobatur veritas nostræ fidei.

Ad probationem in contrarium respondeo negando consequentiam. nec illa argumentatio est. ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis. ratione illius termini * evidenter * etenim evidenter possibile. & evidenter impossibile. non contrariantur, possunt enim in uno tertio adunari. nam propositio dubia, non est evidenter possibilis, nec est evidenter impossibilis. = Secundo respondeo negando minorem. nec contrarium docet ibi D.Th. eo quia mysteria fidei ut sint evidenter credibilia demonstrantur per principia nostræ fidei. quorum plura sunt supernaturalia.

Articulus III

Vtrum Deum incarnari, nimirum Filium Dei, fuerit conveniens?

§. I
Prænotantur aliqua

Primo notandum est. quod illud dicitur conveniens. quod includit habitudinem proportionis unius ad aliud, quæ habitudo necessario includit relationem saltim transcendentalem unius ad aliud. unde ut percipiatur an sit conveniens Deum incarnari, & hominem fieri comparanda sunt extrema huius mirabilis mysterij, & videre an unum sit alteri conveniens, & econtra? Cum ergo extrema quæ in hoc mirabili mysterio uniuntur sint Deus, & Homo, videlicet Personalitas Verbi, & Humanatura, nimirum Humanitas, & in homine ut in epilogo, & compendio contineantur. secundum aliquod prædicatum sui, omnes res huius universi. examinandum restat an Deo sit conveniens. Filium Dei incarnari, & carnem assumere? Rursus an naturæ humanæ sit conveniens assumi a Deo in unitatem personæ? & denique an toti Universo sit conveniens Deum hominem fieri? & proinde tribus conclusionibus respondemus.

Secundo supponendum est non esse idem esse aliquid possibile, ac esse conveniens, possibilitas enim amplior est quam convenientia, unde ex possibilitate huius mysterij non recte probatur esse conveniens,

& denique ante resolutionem dubij notandum est quod aliqui hæretici, ut notat Tertullianus Libro de Carne Christi in principio. licet affirmerent. Incarnationem esse possibilem, tamen affirmabant esse Deo indignam, propter eius supremam excellentiam, & Maiestatem, & inferioritatem ex alia parte in natura humana. verum ista ratio inefficax est. unde audiendi non sunt.

§. II
Statuitur prima conclusio

Sit prima conclusio: Mysterium Incarnationis, est Deo conveniens: est communis inter theologos. eam probat Ang. M. in hac. q. 1. ar. 1. in corp. ratione dessumpta ex ipsa natura boni. et sic proponitur in forma. quia conveniens est summo, & infinito bono alijs se communicare, omni modo ad extra possibili; sed per Incarnationem Deus, qui est summum bonum se communicat ad extra modo perfectissimo possibili, cum alias, etiam communicetur ad extra alijs modis possibilibus, ergo conveniens est Deo summo bono ipsum incarnari. maiorem probat D. Th. ex D. Dionys. de divinis nomin. c. 1. ubi diffiniens bonum ait quod Bonum est communicativum, & diffusivum sui,

Minor autem probatur, & explicatur, ad cuius intelligentiam sciendum, & supponendum est, quod Deus qui est summum bonum se communicat ad intra, & se communicat, & diffundit ad extra, Ad intra se communicat in processionibus divinis, communicando videlicet Filio

per æternam generationem suam ipsissimam essentiam, & naturam, & attributa, & simili ter per æternam spirationem Spiritui Sancto, eamdem suam ipsissimam essentiam & naturam, & attributa, cum distinctione tamen in modo communicandi. Filio, & Spiritui Sancto, naturam divinam, nam Filio communicatur natura divina forma liter ex vi processionis. & Spiritui Sancto identice, & de materiali. quia Filius proce-dit a Patre per intellectum, & Spiritus Sanctus procedit per Voluntatem a Patre, & Filio, quo pacto Filius, qui est Secunda trinitatis persona, procedit ut Filius, & ut genitus, Spiri tus Sanctus autem non ut Filius, & genitus, Sed ut Spiratus procedit, unde in divinis Unus est Pater, Unus est Filius, & Unus est Spiritus Sanctus, qui licet personaliter sint discreti, tamen in natura, & essentia, & attributis sunt unum indivisibile, unde, licet Pater sit Deus, & Deus sit Filius, & Deus sit Spiritus Sancti non tamen sunt tres Dij sed Unus est Deus, non in unius trinitatis persona, Sed in unius trinitatis Substantia. Unde unitas verificatur in essentia, & trinitas in personis.

Rursus Deus se communicat ad extra, quadrupliciter, nimirum, in ordine naturæ, in ordine gratiæ, in ordine gloriæ, & denique in ordine hypostatico. in ordine naturæ, producendo nimirum naturas creatas, & suas proprietates naturales, communicando ipsis esse, vivere, sentire, & intelli gere iuxta capacitatem naturarum, quas producit, & creat, dando, & communicando unicuique, quod ipsi convenit iuxta distributionem accommodam. Secundo se communicat in ordine gratiæ naturis intellectualibus, ipsas elevando ad or dinem Supernaturalem, per gratiam, & virtutes Supernaturales, seu supra exigentiam totius naturæ. Tertio se communicat ipsis creaturis intellectualibus in ordine gloriæ, manifestando videlicet se ipsum clare, & intuitive videndum. Denique quarto modo se communicat, hypostatice, & substantialiter naturæ humanæ, per veram & substantialem unionem Personæ Verbi humanitati, ut docet fides de hoc mirabili Incarnationis mysterio.

Quibus præsuppositis probatur illa minor videlicet quod modus quo Summum bonum se communicat ad extra in mysterio Incarnatio-nis sit omnium ad extra perfectissimus, quia in hoc mirabili mysterio, se commu-nicat Deus humanitati substantialiter trahendo naturam humanam ad esse personale divinum, ita ut ex Persona divina, & ex humanitate, resultet unum substantialiter, idest una persona concretive constans in recto ex personalitate Verbi & in obliquo ex humanitate, ut docet Aug. lib. de trin. c. 13. & Athanasius in Symb. Sicut anima rationalis, & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Xpstus. in alijs autem ordinibus, non se communicat Deus substantialiter & in se, se in aliquo prædicato a Deo derivato, & causato. ergo iste modus est omnium perfectior.

Secunda ratio pro nostra conclusione stabilienda sumitur similiter ex eodem Angelico Mag. ibidem in argumento Sed Contra. & sic formatur. illud est conveniens Deo, in quo eius attributa maxime manifestantur, sed in hoc mirabili Incarnationis mysterio valde manifestantur, ne dicam magis quam in omni alio ad extra, ergo est Deo conveniens Incarnatio. maior est nota. quandoquidem ad hoc est Universus mundus creatus, ut per effectus visibiles invisibilia Dei attributa manifestentur. iuxta illud Ap. ad Rom. 1.* Invisibilia Dei per ea, quę facta sunt intellecta conspiciuntur.* & iuxta illud * omnia propter se met ipsum operatus est Dominus *

Minor autem potius indiget contemplatione, & admiratione, quam probatione: Quis enim non videat attributa divina quam maxime splendescere, in hoc mirabili Incarnationis mysterio? Fulget Omnipotentia quandoquidem est opus mirabilius. & excellentius ab ipso factum. quo pacto mysterium istud vocatur a Prophetis: Opus specialissimum Dei: Habacuc. 3. dicitur * Domine opus tuum in medio annorum vivifica illud. * & Isaię c. 8. dicitur: ut faciat opus suum.

Resplendet Sapientia, etenim est mirabilis Sapientię altitudo invenire modum ut reparetur genus humanum satisfaciendo condigne, & ad ęqualitatem divinę Iustitię lęsę per peccatum, unde simul ostenditur thesaurus infinitus suę misericordię, quo pacto simul splendescere videntur Iustitia, & Misericordia. Splendescit etiam Bonitas, Benignitas & Liberalitas divina in elargitione, & communicatio Doni ita perexcelsi. & magni. & ut ne in re tam conspicua immoremur sufficiat audire D. Th. in Opusculo 60. ar. 1. ubi ostendit convenientissimam fuisse Deo Incarnationem. perpendite, & attente considerate eius verba, sic enim ait:

* Quia decebat Deum suam Sapientiam ostendere, Potentiam, & Bonitatem, Quid autem potentius quam coniungere extrema summe distantia? Magna enim potentia fuit in coniunct. disparium elementorum: maior in coniunctione illorum ad Spiritum creatum: maxima vero in coniunctione ad Spiritum increatum, ubi maxima est disparitas? Quid vero sapientius quam quod ad completionem totius universi fieret coniunctio primi, & ultimi, hoc est Verbi Dei, quod est omnium principium & humanę naturę, quę in operibus sex dierum fuit ultima omnium creaturarum? Quid etiam Benevolentius, quam quod Creator rerum communicare se voluit rebus creatis? & hęc Benignitas magna fuit in coniunctione sui cum omnibus rebus per pręsentiam; maior quia communicavit se bonis per gratiam: maxima quia communicavit se Xpto homini, & per consequens generibus singulorum in unitate personę. *

§. III.

Statuitur secunda conclusio.

Sit secunda conclusio: Mysterium Incarnationis fuit conveniens naturę humanę. probatur breviter. quia illud est conveniens alicui, ex quo ei maxima perfectio, & quamplures utilitates accrescunt. Sed ex Incarnatione maxima perfectio, & quamplures utilitates accrescunt naturę humanę, ergo ipsi naturę est valde conveniens hoc mysterium. Minor quę sola egebat probatione, est valde nota contemplando sublimitatem, & excellentiam quam sortitur natura humana in hoc mirabili Incarnationis mysterio. Unde Aug. lib. de Praed. SS. c. 15. ait: * quod ad tantam dignitatem evecta est natura humana, ut ad quod attolleretur altius non haberet. *

Sed dices cum rdo SS. M. Antonio della Parra. qui oppositam tenet sententiam, quod Unio Verbi ad humanitatem, non fuit iuxta conditionem, & exigentiam ipsius, sed potius supra, ergo non fuit humanitati conveniens.

Sed contra est quia si hoc argumentum aliquid convinceret probaret etiam mysterium Incarnationis non fuisse conveniens Deo, cuius contrarium ipse docet. assumptum probatur, quia Deum fieri hominem non est iuxta conditionem, & exigentiam ipsius, unde solum convenit Deo libere, & ut sic dicamus supra, vel praeter exigentiam, aliunde si ei conveniret iuxta exigentiam conveniret ipsi naturaliter, & proinde semper, quod enim naturaliter convenit Deo non libere, sed necessario convenit.

Rursus, & urgentius, quia argumentum hoc convinceret, sequeretur gratiam sanctificantem, & omnia alia dona supernaturalia non esse convenientia naturę intellectuali, sive Angelicę, sive humanę, quod videtur inconveniens, quandoquidem quid convenientius naturę intellectuali quam ornari praedictis donis? Sequella autem probatur quia gratia sanctificans, & alia dona supernaturalia non sunt iuxta conditionem, & exigentiam naturę intellectualis, sed supra, ideo enim dicuntur, & sunt supernaturalia. etenim natura solum exigit id quod intra limites naturę continetur, ut sunt eius proprietates, & operationes.

§. IV.

Statuitur tertia conclusio.

Sit tertia conclusio: Incarnationis mysterium fuit conveniens toti universo, universisque creaturis. Conclusio patet ex dictis, quia in homine, ut in epilogo, & compendio continentur omnes creaturę secundum aliquod praedicatum sui, ergo ex unione Verbi ad humanitatem profluit excellentia quędam omni creaturę, quandoquidem omnis creatura secundum aliquod praedicatum sui evecta fuit ad praecellentissimam dignitatem. unde Ioann. 3. dicitur: * Sic Deus dilexit mundum ut filium suum Unigenitum daret * ubi nota non dixisse Deum sic dilexisse solum hominem, sed mundum, ut intelligamus universum orbem fuisse participem tam magni amoris & evectum fuisse aliquomodo ad tam sublimem excellentiam.

Articulus. IV.

Vtrum Mysterium Incarnationis iam existat?

§. 1

Statuitur conclusio affirmativa.

Movetur hoc dubium, ad stabiliendum (etsi breviter) contra perfidos Iudaeos Messiam iam venisse, nam apud illos, qui nomine Christiano gloriantur, non habet locum dubium hoc, Est ergo nostra conclusio affirmativa, unde catholice confitemur Incarnationis mysterium iam esse celebratum, hoc est, Verbum divinum, Secundam Sanctissimae Trinitatis personam, quam esse Filium Dei Unigenitum confitemur, assumpsisse humanitatem, formatam ab Spiritu Sancto ex visceribus purissimis B. V. Mariae, quam humanitatem personavit hunc que hominem Deum esse, eum qui vocatur Xptus, Messias utique in lege promissus.

Conclusio est de fide, eam fatemur in Symbolo, & continetur in Evangelio Ioannis. c. primo. & alibi pluries. hanc catholicam veritatem declaravit Petrus Apostolorum Princeps, quando dixit. (Mat. 16) Tu es Xptus Filius Dei vivi. Unde & meruit quod Xptus illum caput Ecclesiae constitueret, per illa verba: * Et ego dico tibi quia tu es Petrus. & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam.

Ceterum quia perfidi hebraei testamentum novum non admittunt, ex veteri testamento debent convinci, colligitur ergo manifeste haec catholica veritas, ex pluribus testimoniis veteris testamenti, & omnia, quae in veteri testamento sunt circa Messiam promissum, sive designantia, tempus, sive, genus, sive, locum sive personam, omnia praedicant Xptum Dominum esse Messiam in lege promissum, & desideratum. verum inter alia, brevitatis causa duo solum famosiora adducam testimonia.

Sit primum ex illo Gen. 49, quando Iacob moriturus, volens filios suos benedicere, quando Iudam filium suum benedicebat, praedicens ei spiritu prophetico adventum Xpti, pronuntiavit sequentia verba: * Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de faemore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* ubi expresse promittitur Messias nasciturus, ex tribu, & familia Iudae, ut & ipsi hebraei consentiunt, deinde designatur tempus, praedicendo sceptrum duraturum fore, usque ad adventum Messiae. tunc sic; Sed Iudas regnavit in successoribus suis. (ut patet, in Davide, Salomone, & aliis, ut constat in genealogia Xpti, quam, ex Generis delinearunt Evangelistae, Matheus, videlicet, & Lucas,) usque ad adventum Xpti, & deinde in adventu Xpti cessavit. ergo est quia Xptus est verus Messias in lege promissus.

Sed dices: quod Machabaei regnavere centum sexaginta quinque annis, & hoc ante adventum Xpti, & tamen Machabaei, qui fuerunt Reges in Iudea non erant ex tribu Iudae, sed ex tribu Levi, erant enim Sacerdotes, ergo ante adventum Xpti ablatum erat regnum, & sceptrum, de tribu Iudae.

Relictis variis solutionibus respondetur cum D. Hieronimo ad cap. 1. Sophoniae quod Machabaei erant ex tribu Levi ex parte Patris, & erant ex tribu Iudae ex parte Matris, licebat enim tribui Iudae, & tribui Levi, mutua inire connubia, eo quia utraque tribus erat nobilis, ut testatur Phylo Iudaeus lib. 2. de Monarchia, & ut verificetur Dominationem, regnum, & sceptrum non fuisse ablatum a tribu Iuda, sub titulo Regis, aut Ducis, usque ad adventum Xpti, sufficit, quod

Rex, vel Dux esset ex tribu Iuda saltim ex parte Matris, cum fœminæ, attenta natura, capaces sint hæreditatis, & consanguinitatem cum progenitoribus conservent. Sequuntur hanc solutionem Divi Heronimi Lira, Baronius, Abulensis, & plures ex scriptoribus. Replicabis iterum. Si sufficeret esse ex tribu Iudæ solum ex parte Matris sequeretur quod post adventum Xpti permanserit Regnum in tribu Iudæ, quia Herodes Agrippa regnavit apud Iudæos, ut legitimus Rex, post mortem Xpti, ut constat ex lib. Actuum Apostolorum, cap. 12. & 26. Herodes enim Agrippa per lineam rectam traxit originem ab Aristobulo, filio illius Herodis, qui tempore adventus Xpti regnabat, qui Herodes erat Pater Archelai, Herodes enim duxit uxorem Mariamnem neptem Hircani Pontificis, quæ erat legitima hæres regni, & ex illa natus est Aristobulus, ex quo Herodes Agrippa, qui regnavit apud Iudæos, ut legitimus Rex, post mortem Christi. ergo interpretatio data ex D. Heronimo legitima non est.

Respondetur quod Herodes ille Pater Aristobuli, quem habuit ex sua Mariamne, Nepte Hircani Pontificis, habuisse regnum tiranice, etenim habuit illud, non attento iure quod ipsi competebat ratione Uxoris suæ, a qua fuit ablatum, sed habuit illud eo quia tiranice ablatum fuit ab uxore sua, ad quam pertinebat, unde ipsi Herodi personaliter fuit concessum, tum ex Senatusconsulto, tum ex populi consensu, & ope Cesaris Augusti, sic testatur. Josephus lib. 17 antiquit. cap. 3. ubi etiam animadvertit, istum Herodem animadvertisse in quosdam Pharisæos, qui ei obedire, & præstare iuramentum recusarunt, eo quia ipsi regnum non competebat, unde si Herodes Agrippa regnavit post mortem Xpti, regnavit eo quia ab illo Herode descendebat, non quia a Mariamne, legitima Successore, & hærede, Verum si dicatur, quod iam in Herode Agrippa fuit recuperatum regnum pro tribu Iuda, ut hærede, & Successore a Mariamne sua avia respondetur, quod hoc non pertinet ad Prophetiam, quæ solum dicebat quod non auferetur a tribu Iuda donec venia qui mittendus est, & ablatum fuit regnum in adventu Xpti. a tribu Iuda. Præterquam quod iam tale regnum non subsistit ergo iam confitendum est venisse Messiam in lege promissum, quem ergo expectant Hebræi? o miseri! pro hac nostra veritate amplius cognoscenda, legantur Baronius, Abulensis, Lira, & alios historiographos sacros.

Sit secundum argumentum, & testimonium desumptum ex Daniele. cap. 9. ubi Archangelus Gabriel edocuit Danielem de tempore adventus Xpti, per sequentia verba: * Septuaginta Hebdomades abreviatæ sunt, super populum tuum, & super urbem Sanctam tuam, ut consumetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & adimpleatur visio, & ungatur Sanctus Sanctorum. * quibus verbis adiunxit Archangelus prædictionem mortis Xpti, & negationem sui populi;

& dissipationem Civitatis & Sanctuarij. hæc sunt verba: * & post hebdomades sexaginta duas occidetur Xptus, & non erit eius populus qui eum negaturus est, & civitatem & Sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo.

Ad intelligentiam ergo huius argumenti habendum est præ oculis, & sciendum est hebdomadas apud Hebræos fuisse in duplici differentia: Dierum videlicet, & Annorum, ut colligitur ex Levit. cap. 23. & 25. quo posito facile probatur Xptum Dominum fuisse verum Messiam promissum in lege quia ista Prophetia ad litteram fuit verificata in Xpto Dno. a tempore enim Danielis, idest a sua profetia usque ad Xptum fuerunt Septuaginta hebdomades Annorum deinde occisus fuit, negatus a populo, dissipata civitas Hierusalem, & Sanctuarium ergo fatendum. venisse Messiam in lege promissum, ergo perfidi Hebræi sine fundamento hanc veritatem negant. dicta sufficiant pro brevi notitia existentiæ huius mysterij

Articulus V

Utrum supposita existentia mysterii Incarnationis, hoc mysterium sit cognoscibile viribus naturae ab aliquo intellectu creato?

§. I.

Statuitur conclusio negativa.

Sit nostra conclusio: Nulla creatura intellectualis, sive creata, sive creabilis potest, solis viribus naturę inspectis cognoscere existentiam mysterij Incarnationis etiam supposito quod existat a parte rei.

Est communis conclusio ista inter theologos. Et pro ea stabilienda militant eędem rationes quibus supra art. 2. conati sumus suadere possibilitatem huius mysterij non posse cognosci ab intellectu creato quantumvis superiore, viribus naturę inspectis.

Ratio ergo fundatur in eo quod existentia huius mysterij est maxime supernaturalis, ergo etiam, supposito quod existat a parte rei, non potest cognosci a quocumque intellectu, quantumvis superiore si solum utitur viribus intra limites naturę contentis.

Unde S. Leo Papa loquendo de hoc mysterio iam existenti, sermone 9 de Nativitate Dni ait: * Utramque substantiam Dei, & hominis, in unam convenisse personam, nisi fides credat sermo non explicat.*

§. II.

Specialia argumenta dilluuntur.

Obiicies primo. Angelus quilibet, in probabiliori Theologorum sententia, comprehendit naturam corporalem; ergo videns humanitatem

Xpti Domini in rerum natura existentem cognovit existere cum existentia divina. consequentia probatur. quia etiam in probabiliori Thomistarum sententia, Angelus quilibet viribus propriis sui naturalis luminis inspectis cognoscit nullam subsistentiam creatam posse terminare alienam naturam, ergo non videns in humanitate Xpti subsistentiam creatam propriam per infalibilem consequentiam debebat arguere ergo subsistit per subsistentiam increatam. antecedens supponitur ut certum in predicta Thomistarum, & nostra communi sententia. iuxta quam nec de potentia absoluta potest subsistentia creata alienam terminare naturam. Consequentia autem probatur, quia Angelus comprehendens naturam quamlibet corporalem, & alias videns existentem. & subsistentem humanitatem Xpti debebat necessario formare hoc argumentum: hæc humanitas. (dessignata videlicet humanitate Xpti) subsistit, & existit. & non apparet subsistentia, nec existentia propria, & creata, nec subsistit subsistentia creata alterius naturę, & quia non apparet, & quia est impossibile. ergo subsistit & existit subsistentia, & existentia increata, & divina.

Respondeo concesso antecedenti negando consequentiam. & ad probationem concesso similiter antecedenti nego consequentiam, & ad probationem respondeo negando debere formare tale argumentum, sed dico, quod positis illis præmissis, quas libenter concedimus clare, & comprehensive cognoscere, adhuc non potest deducere illam consequentiam, quia debebat presumere quod sua ignorantia. seu sua non cognitio existentię, & subsistentię creatę, proprię in humanitate Xpti, procedebat. ex eo quia Author naturę ipsi ocultabat subsistentiam, & existentiam mediis quibus, subsistit, & existit illa humanitas. quę ocultatio poterat oriri eo quia ipsi denegabat concursum primę causę ad cognoscendum subsistentiam & existentiam creatam. qua indicabat subsistere, & existere illa humanitas.

Obiicies secundo, ex illo Lucę. cap. 4. ubi dicitur:* Exibant dæmonia a multis, clamantia, & dicentia: quia tu es Xptus, & increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Xptum.* ex quibus verbis tale oppones argumentum: ex hac authoritate constat Dæmones cognovisse Xptum Dominum esse Deum, & hominem: sed non virtute alicuius luminis supernaturalis, cum istius, sicut & cuiusvis alterius doni supernaturalis essent incapaces, ergo virtute naturali illum cognoscebant. ergo est quia supposita existentia huius mysterij. solis viribus naturę cognosci potes. Secunda conseqª. patet ex prima,

& prima ex præmissis, quarum minor est dese manifesta, & maior continetur in præallegato testimonio.

Respondeo cum verbis Angelici Magistri, opusc. 60. cap. 4. ubi hæc habet explicantia & exponentia intelligentiam illius authoritatis: * Dæmones (inquit Angelicus Magister) non cognoverunt Xptum certitudinaliter, propter infirmitatem carnis, quam in ipso videbant, sed coniecturaliter propter opera quæ diviniter faciebat, unde super illud Lucæ. cap. 4. Scio quod sis Sanctus Dei, dicit Glosa: idest, vehementer opinor: si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ cruci fixissent, idest crucifigi suggesissent, ut dicit Glosa. 1. ad Corinth. 2. * ex quibus verbis Angelici Magistri patet Dæmones non cognovisse subsistentiam divinam Xpti Dni, erat enim obiectum improportionatum suæ naturali cognitioni, ipsamque excedens, & ideo Xptus non sinebat ea loqui, nec dicere, quia tu es Xptus filius Dei, ut dicitr in præallegatis verbis Lucæ. c. 4. quia mentiebantur in illa locutione (vera alias) quia non cognoscendo personam divinam, affirmabant esse personam divinam, & filium Dei, & ratio huius est, quia mentire, est contra mentem ire, & contra dictamen affirmare, licet alias propositio identice, & materialiter esset vera, & conformis obiecto prout est in re.

DISPUTATIO SECUNDA. DE NECESSITATE INCARNATIONIS.

UBI DE GRAVITATE PECCATI MORTALIS.

Articulus. I.

Utrum Peccatum mortale sit simpliciter infinitum, in ratione offensæ?

§. 1.

Prænotantur nonnulla.

Probat Angelicus Magister in præsenti necessitatem Incarnationis, in qua facta fuit Unio Personæ Verbi ad naturam humanam, ex quia peccatum mortale ob cuius remedium operata fuit est infinitum, quo pacto, ut ius divinum læsum per peccatum reparetur ad æqualitatem, per satisfactionem rigorosam, æqualem, & condignam, imo ex iustitia, necessarium fuit talem satisfactionem fuisse præstitam ab Homine-Deo. Unde ad necessitatem Incarnationis Filij Dei stabiliendam operæ pretium duxi prius quantitatem peccati mortalis examinare, ut ex inde cognoscatur non posse a pura creatura, pro ipso ad æqualitatem, ut fas erat, satisfactionem offerri.

Pro intelligentia ergo gravitatis peccati mortalis notandum, & habendum est præ oculis, quod in peccato considerari possunt, & debent, ratio entis, ratio malitiæ, ratio offensæ, & denique ratio demeriti. etenim istæ rationes, & formalitates, licet in quolibet peccato identificatæ inveniantur, tamen oriuntur, & sumuntur a diversis principiis. Ratio enim, seu formalitas entis, quæ in peccato necessario invenitur, quatenus contra ponitur nihillo, sumitur a connexione prædicati, & subiecti, quæ conexio constituit unum ens verum & reale in rerum natura

existens, quod utique ens est etiam actio, quæ si transiens est, pertinet ad prædicamentum actionis, si immanens autem, ad prædicamentum qualitatis, iuxta doctrinam datam tum in Logica, tum in Methaphisica. Et ista ratio, seu formalitas entis in peccato, non est mala, sed potius est bona bonitate utique transcendentali, sicut ratio entis cuiuslibet alterius entis, omne enim ens, qua tale, est ens, res, verum, bonum, aliquid, unum. unde sub ista inspectione non habet malitiam, nec bonitatem formalem, cum istæ sumantur in ordine ad legem.

Rursus supra entitatem materialem actionis peccaminosæ fundatur malitia, quæ sequitur ad ipsum sequella Logica, et infalibili, et mensuratur in ordine ad obiectum, a quo specificatur actus, quo pacto actio peccaminosa seu peccatum dicitur, et est malum peccantis; quando quidem est contra naturam ipsius peccantis, quæ naturaliter, et innate inclinatur ad operandum iuxta rationem. igitur malitia sequitur ad entitatem materialem actionis peccaminosa, sequella Logica, cum hoc tamen discrimine, inter actionem, et actionem malam, quod si actio est de se intrinsice mala, nullo alio posito, sed sola actione existente sequitur malitia, si autem actio non fuerit intrinsece mala, sed solum extrinsece, et ob prohibitionem, quo pacto, dicitur, et est mala quia prohibita, non quia mala, ut malitia sequella Logica sequatur, requiritur quod supponatur lex prohibens, et eius cognitio, seu ignorantia culpabilis, qua posita lege obiectum alias bonum, vel indifferens, redditur dissonum rationi quæ dictat, et docet debere in omnibus obedire legi superioris præcipientis.

Deinde ad malitiam actus sequitur, etiam sequella Logica infalibili ratio offensæ, quæ sumitur in ordine ad Deum, qui offenditur per peccatum, seu qui patitur offensam, et illam recipit moraliter, quo pacto peccatum dicitur et est malum Dei, Deus enim dicitur et est offensus per peccatum non homo peccans, unde homo dicitur, et est offendens.

Denique ad peccatum sub ratione offensæ sequitur, etiam sequella Logica ratio demeriti: ideo enim homo reus est pœnæ quia Deum offendit. Istæ ergo quatuor formalitates maxime præ oculis habendæ sunt, ut percipi possit gravitas peccati, ut videre possimus sub qua ratione peccatum mortale sit tantæ gravitatis, quod a pura creatura reparari non possit, et proinde, casu quo ad æqualitatem, ut fas est sit satis faciendum, sit necessaria Incarnatio, ut sic homo Deus, satisfactionem condignam, et æqualem pro ipso exhibere possit.

Notabis autem ad istas formalitates in peccato repertas, dignoscendas, alias similes quatuor formalitates, reperiri in actu bono, et honesto, in quo utique reperitur ratio

entis, ratio bonitatis moralis, ratio obsequii, & ratio meriti, prima sumitur ab entitate phisica, & materiali actionis, quę methaphisice includit & dicit conexionem predicati ad subiecti, secunda sumitur ab obiecto, & penes ipsum mensuratur, tertia. a persona active efficiente actionem, seu illam elicientem, etenim, ut dicit commune prologuium desumptum ab Aristotele, honor est in honorante, & offensa in persona offensa, & denique ultima sequitur ad illam, unde ratio meriti fundatur in ratione obsequij, & ad illam sequitur sequella logica. ratio obsequij fundatur in bonitate morali actionis, & ista in entitate. Sic ergo servatis servandis considerantur predictę rationes in peccato.

Quęstio ergo pręsens solum procedit de peccato in ratione offensę contra Deum, ut notatur in titulo, an sit infinitum sub ista ratione, non ergo disputamus de illo sub ratione malitię. sub ista enim ratione, expectat ad tract. de vitijs, & peccatis. 1.2. q.87. & modo supponitur esse finitum. & limitatum simpliciter sub ratione malitię & sub ista ratione propriissime unum peccatum, est maius alio. & ratio brebissima est, qui cum ista ratio sumatur ab obiecto. & illud solum extrinsece se habeat, licet alias obiectum sit infinitum, ut patet in obiecto odij Dei, inde est quod malitia est finita & limitata simpliciter. Difficultas ergo reducitur ad peccatum consideratum sub ratione offensę sub qua formalitate respicit Deum, & est malum ipsius Dei, an sub ista ratione sit simpliciter infinitum, an solum secundum quid?

§. II.

Referuntur sententiæ.

Circa pręsentem difficultatem duę pręcipue oppositę versantur sentię, quorum prima docet peccatum mortale non esse infinitum simpliciter in ratione offensę, sed solum habere gravitatem secundum quid infinitam, & superioris ordinis, ad offensas quę fieri possunt creaturis. ita Scotus in 3 Sent. dist. 20. q. 1. & in 4. dist. 15. q. unic. unde hęc sententia est communis inter Scotistas. tenent etiam hanc sententiam Vazquez, in pręsenti disp. 2 cap. 2. Suarez disp. 4. sect. 7. Lorca disp. 4. Cardinalis de Lugo disp. 5. & est communis extra scholam D. Th. ex Thomistis eam amplectuntur Mag. Soto in 4. dist. 19. & Il. Episcopus Placentinus Reluz. Primarius Salmantinus. in suis manuscriptis. & alij

Contrariam sententiam, tribuentem peccato mortali infinitatem simpliciter in ratione offensę tenent communiter Thomistę cum Angelico Magistro in 3 Sent. dist. 20. q. 1. ar. 2. in corp.

& q. 20. de Verit. ar. 2. & in hac 3 p. q. 1. ar. 2. eam tenent ex antiquis. Capreolus in 3 dist. 18. 19. & 20. & in 4. dist. 1. q. 1. Caiet. in presenti q. 1. ar. 2. & ex modernis Ill. Godoy. in pres. disp. 1. Mag. Gonet. t. 2: tract. de Peccatis. cap. 10 § 4. & in presenti disp. 4. Noster Ss. Antonius de la Parra in presenti. disp. 1. q. 2.

§. III.

Eligitur hæc secunda sententia. & suadetur ex D. Th.

Sit nostra conclusio: **Peccatum mortale est simpliciter infinitum in ratione offensæ.** Suadetur primo ex Angelico Magistro loco citato ex 3 Sent. dist. 20. q. 1. ar. 2. in corpore ubi hæc habet verba: * Ad hoc autem quod satisfactio esset condigna, oportebat quod haberet virtutem infinitam, quia peccatum pro quo fiebat satisfactio infinitatem quamdam habebat ex tribus, primo ex infinitate divinæ Maiestatis, in quantum offensa fuerat per contemptum obedientiæ, quanto enim maior est in quem peccatur, tanto est maior offensa. * fere eadem verba habet Angelicus Preceptor locis citatis ex hac 3. p. & q. de Verit. ergo nra conclusio docetur, & probatur ab Angelico Doctore, ex eo quia est contra Deum simpliciter infinitum.

Mirum est quot modis, oppositæ sententiæ Authores connentur suadere suam sententiam esse de mente Doctoris Angelici, & ad illam suadendam vim faciunt super illa verba D. Thomæ, quæ diminuentia infinitatem videntur. nimirum, super illam particulam * quamdam infinitatem * & proinde moventur ad asserendum Angelicum Doctorem non admittere in peccato infinitatem simpliciter talem, adhuc in ratione offensæ, sed solum secundum quid.

Verum hæc sua existimatio non infringit vim nostræ rationis quia illud verbum quamdam infinitatem, solum denotat peccatum non esse omnibus modis infinitum, cum physice, in esse entis finitum sit, imo, & in genere moris non est omnibus modis infinitum, quia in ratione malitiæ finitum est, non vero ex illa convincitur quod in ratione offensæ non sit simpliciter infinitum. Assumptum suadeo paritate desumpta ex meritis **X**pti. quæ etiam in sententia plurium ex contrarijs, & in fere communi sententia sunt simpliciter infinita, in ratione valoris. & tamen Angelicus Doctor loquendo de meritis **X**pti dicit habere quamdam infinitatem, & esse quodammodo infinita, ergo sicut non obstat ad asserendum merita **X**pti in ratione valoris esse simpliciter infinita, quod apponantur ab Angelico Magistro, illæ particulæ, quæ aliàs diminutivæ videntur, similiter in casu obstare non debet, ad diminuendam infinitatem simpliciter talem in ratione offensæ, quæ est in peccato.

Cætera patent.

& probatur minor referendo verba Angelici Magistri, ex pluribus locis, præcipue in 2 dist. 9. q. 1. ar. 8. ad 2. ubi hæc habet verba: * Merita nostra efficaciam

habent ex merito Xpti cuius gratia est quodammodo infinita * Similiter in 4. dist. 14. q. 2. ar. 2. questiunc. 1. ad 4. hæc habet verba: * habet efficaciam ex virtute passionis Xpti. quæ infiniti valoris quodammodo est, in quantum fuit passio Dei, & hominis. * Mexius in q. 29 de Verit. ar 3. ad 4. dicit: * Meritum Xpti non fuit infinitum secundum intensionem actus, finite enim diligebat, & cognoscebat, sed habuit quamdam infinitatem ex circunstantia personæ *. similia verba habet in 4. dist. 15. q. 1. ar. 2. ad 1.

Secundo probatur nostra conclusio ex eodem Angelico Doctore 1. 2. q. 87. ar. 4. ubi sine verbo diminuente, hæc habet. in corpore * Dicendum quod pœna proportionatur peccato; in peccato autem duo sunt, quorum unum est aversio ab incommutabili bono, quod est infinitum, unde ex hac parte peccatum est infinitum *.

§ IV

A priori suadetur conclusio

Ratio a priori nostræ conclusionis fundatur in illo communi axiomate, nimirum * Honor est in honorante, & offensa, in persona offensa. ex quo gravitatem peccati suadet in præsenti Angelicus Magister, quod axioma desumit Angelicus Doctor ex Aristotele. qui 1. Ethic. cap. 5. docet. honorem situm esse in his potius qui honores deferunt, quam in eo qui honore afficitur. & 5. Eth. cap. 5. ubi docet iniuriam sumi a persona cui iniuriatur. ubi nota inepte affirmari aliquibus Aristotelem tale axioma non tradidisse. ex isto ergo axiomate sic formatur ratio. Gravitas offensæ crescit ad incrementum personæ offensæ: Sed persona offensa per peccatum mortale est Deus. qui est dignitatis simpliciter infinitæ, ergo gravitas peccati mortalis in ratione offensæ est simpliciter infinita. minor cum consequentia est nota. & maior continetur in prædicta maxima.

Et insuper ratione & exemplis suadetur. exemplis utique, quia offensa facta Regi, gravior est quæ illa, quæ facta est equiti, & hæc gravior illa quæ facta est plebeio, sed huius maioritatis. nulla alia potest assignari ratio. nisi quia offensa crescit ad incrementum personæ offensæ. quo pacto offensa facta regi. æstimatur crimen lesæ maiestatis. ergo vera est maior.

Ratione autem suadetur quia honor est obsequium per quod honorans subiicitur honorato, & econtra offensa est iniuria perquam offendens subiicit offensum sibi. vel creaturæ cui postponitur. ergo in honore attendenda est persona honorans. quæ subiicitur. ut eius quantitas mensuretur, & e contra in offensa, attendenda est persona offensa. quæ subiicitur, & postponitur. Deinde sic subsumo, sed in moralibus subiectum [illegible] moralitatis, est

illud. quod ei forma eamdem moralitatem præstat, vel dignificando, vel gravificando ergo gravitas offensæ crescit ad incrementum personæ offensæ.

§. V.

Solutio huius proponitur, & impugnatur.

Authores oppositæ sententiæ respondent distinguendo maiorem in qua continetur fundamentum nræ conclusionis, & illam concedunt de incremento geometrico, & proportionali, negant autem illam de incremento arithmetico, & ad æqualitatem, unde asserunt quod licet Deus offensus per peccatum mortale sit dignitatis simpliciter infinitæ, non propterea sequitur peccatum debere esse simpliciter infinitum in ratione offensæ, sed solum quod sit vel in ordine superiori, ad omnes offensas irrogatas creaturis, vel gravior præ omni offensa facta cuicumque creaturæ. nec amplius convincit prædictum axioma.

Comprobant seu parificant hoc suum assumptum in actibus bonis, qui licet versentur erga obiectum. simpliciter infinitum, ut in actu Charitatis. seu amoris Dei super omnia patet, non propterea sunt infiniti valoris. ut videre est in eodem actu amoris Dei super omnia. unde sicut isti actus solum excedunt actus boni qui erga creaturas versantr, ita similiter in peccato mortali esse dircurrendum affirmant.

Deinde a ratione intendunt suadere hoc suum assumptum, ex eo quia Deus per peccatum mortale solum inspicitur ut obiectum, obiectum autem cum sit quid extrinsecum, non potest refundere totam suam dignitatem in actum. quem extrinsece specificat: ergo peccatum non potest esse simpliciter infinitum, nec offensa crescere arismetice, & ad æqualitatem ad incrementum personæ offensæ.

Sed contra sic insurgo & in primis doctrina contenta in distinctione cum qua solvere conantur fundamentum nostrum, vera non est, & solum est ludere terminis. cuius ratio est. quia per offensam persona offensa moraliter subiicitr ad illam, & per illam deprimitur. ergo moraliter gravificare debet offensam. omnino æqualiter & arismetice, ac est digna. persona. consequentia probatur. quia. eo ipso quod persona offensa sic deprimatur, & subiiciatur. persona offensa. est subiectum morale iniuriæ. & offensæ. sed in moralibus subiectum est quod ei forma moralitatem præstat, ergo omnino æqualiter. & arismetice debet gravificare offensam, ac est in se digna persona.

Quod. & in honoribus parificatur. quia enim per obsequium. & reverentiam. persona obsequians. & reverentiam faciens

est quæ subicitur illi, cui obsequium fit, & cui reverentia exhibetur. obsequium factum a Rege, non potest non esse regium, & mensuratur proinde ad æqualitem cum dignitate personæ obsequiantis. Quo circa operationes Xpti Dni, dicuntur, & sunt Theandricæ, & Dei viriles, valoris proinde simpliciter infiniti: ergo e contra, quia in peccato, persona offensa est quæ deprimitur, & subicitur per iniuriam, offensa debet evadere æqualis arimetice, in gravitate cum dignitate personæ offensæ.

Et per hoc patet ad paritatem quam adducunt de actibus bonis, isti enim non tam valorantur ab obiecto, quam a persona. ab obiecto autem desumunt speciem, & persona elevata, & dignificata per eosdem actus, est quæ valorem personalem in ipsis constituit. quo pacto operationes Xpti Dni quia independenter ab obiecto inspecto per ipsas sunt operationes personæ dignitatis infinitæ exeunt omnes valoris simpliciter infiniti, licet quatenus respiciunt obiectum, sint inter se inæquales, & diversæ speciei, quia ut communiter dicitur species sunt sicut numeri, inæquales.

Fundamentum autem contrariæ sententiæ, est manifeste falsum quia Deus non est obiectum peccati mortalis, obiectum enim cuiuslibet peccati est illud, quod ipsum in specie constituit. & dignoscitur obiectum peccati per virtutem cui opponuntur. Sola enim peccata, quæ directe opponuntur virtutibus theologicis, Deum aversive ut obiectum inspiciunt. & infinitatem in ratione offensæ non a Deo, quem ut obiectum inspiciunt, sed a Deo quem ut subiectum morale offensæ, & iniuriæ inspiciunt.

Quæ doctrina comprobatur præter dicta ex tribus. Primo ob commune prædictum axioma; Honor est in honorante, & offensa in persona offensa, a D. Thoma ex philosopho adductum, & quasi communiter acceptatum. Secundo ex communi modo loquendi Theologorum, iuxta quos Deus dicitur pati offensam; sicut & in creatis ille dicitur offensam pati, cui offensa irrogatur. Tertio ex differentia quæ versatur inter peccatum sub ratione malitiæ, & ipsum sub ratione offensæ: etenim ut supra notavimus, peccatum in ratione malitiæ est malum peccatoris, & ipsum constituit malum, in ratione autem offensæ dicitur, & est malum Dei quandoquidem affective absolute, & effective conditionate tendit in destructionem Dei, siquidem auferendo a Deo rationem ultimi finis, aufertur a Deo prædicatum aliquod essentiale sine quo Deus non potest esse Deus. ergo est quia peccatum in ratione offensæ respicit Deum non ut obiectum, sed ut subiectum morale cui inhæret. Sed ut sæpe diximus, in moralibus subiectum est illud, quod ut forma præstat moralitatem, ergo quantitas gravitatis offensæ est infinita simpliciter, qualis est forma illam constituens, nempe Deus.

§. VI.

Secundo probatur conclusio retorquendo ad hominem fundamentum contrariorum.

Plures ex Doctoribus contrariæ sententiæ docent peccatum mortale in ratione offensæ esse ordinis superioris ad operationes bonas supernaturales elicitas a pura creatura quo pacto a pura creatura quantacumque sit gratia exornata, non potest satisfieri ad æqualitatem peccatum mortale. Ex doctrina ergo contrariorum sic formo rationem pro nostra conclusione stabilienda ad hominem contra ipsos.

Quia peccatum mortale ut evadat superioris ordinis ad actum amoris Dei super omnia v.g. aliter respicere Deum a quo superioritatem ordinis venatur, ac illum respicit ille actus Charitatis, sed si aliter Deum respicit ~~Deum~~ peccatum sub ratione offensæ, ac illum respicit actus Charitatis in ratione obsequij & satisfactionis, non solum in superiori ordine ad actum Charitatis sed in linea gravitatis simpliciter infinitæ debet constitui peccatum mortale. ergo vel non est superioris ordinis, vel est gravitatis simpliciter infinitæ in ratione offensæ. Maior videtur evidens. Si enim eodem modo respiceretur Deus ab actu Charitatis, ac respicitur a peccato, solum cum differentia aversionis, & conversionis, non esset ratio ob quam peccatum esset in ordine superiori ad actum Charitatis, imo potius actus Charitatis superaret peccatum, & esset in ordine superiori.

Minor autem probatur: diversus modus quo peccatum respicit Deum, contra positive ad actum Charitatis, nullus alius assignari potest, nisi asserendo, quod peccatum in ratione offensæ respicit Deum ut subiectum morale, actus vero Charitatis Deum respiciat ut obiectum, etenim dici non potest, quod ab utroque respicitur ut obiectum, alias non staret diversitas, nec potest dici quod a peccato respicitur ut obiectum, & ab actu Charitatis ut subiectum morale, cum hoc evidenter sit falsum, quia peccatum habet aliud obiectum, illud scilicet, quo specificatur, & actus Charitatis nullum aliud obiectum habeat præter Deum, ideo enim Charitas est virtus Theologica quia Deum ut obiectum respicit. S.d Si peccatum Deum respicit ut subiectum, evadit non solum superioris ordinis, sed gravitatis simpliciter infinitæ, vel si non evadit infinitæ gravitatis simpliciter talis, non evadit superioris ordinis. ergo vera est prædicti minor. maior inter illam proponendam est probata.

Hæc autem minor probatur. quia in moralibus subiectum est forma præstans moralitatem. sed subiectum est non solum ordinis superioris, sed dignitatis simpliciter infinitæ; ergo vel præstare debet hoc subiectum peccato gravitatem simpliciter infinitam, vel illi non potest præstare superioritatem ordinis.

Nec valet dicere, quod cognitio peccatoris per quam regulatur ad peccatum perpetrandum, impedit quod subiectum morale, nempe Deus, communicet suam infinitatem peccato, quia cognitio est finita, & limitata.

Non inquam valet hæc solutio quia prædicta cognitio non solum est finita sed etiam est inferioris ordinis, ergo si non obstante hac inferioritate in cognitione

potest Deus Superioritatem ordinis peccato communicare eadem ratione non obstare debet, ut suam infinitatem communicet, ergo vel infinitatem debet communicare, vel superioris ordinis illud non potest constituere.

§. VII.

Ratione a posteriori probatur conclusio.

Denique probatur nostra conclusio alia ratione etsi a posteriori. quia Causa moralis continens moraliter effectum simpliciter infinitum in aliqua linea non potest non esse simpliciter infinita in linea moris; Sed peccatum est huiusmodi Causa subratione offensę; ergo est simpliciter infinitum subratione offensę. maior est nota, ex eo quia ex natura rei implicat effectum excedere causam, illamq superare. & insuper constat paritate de linea phisica ad lineam moralem, Causa enim fisica continens effectum vel effectus infinitos, vel infinitum in linea aliqua, v. g. in duratione non potest non esse infinita. unde solus Deus qui in se est infinitus potest concreare in duratione fisica infinitas effectus a se productos. Probatur ergo minor quia peccatum in ratione offensę meretur pœnam infinite intensam, ut docet D. Th. loco citato ex 4. Sent. dist. 46. q. 2. ar. 2. questiuncula 1. & 2 dist. 42. q. 1. ar. 5. ad 2. per hęc verba * Ex hoc quod contra infinitum peccat debetur sibi pœna infinita; non autem potest esse infinita acerbitas, quia in creatura finita non potest esse qualitas infinita. sed compensatur per durationem infinitam. * ergo attenta natura intrinseca peccati continet demeritum infinitum respectu infinitę acerbitatis etiam intensive, quę si non ponitur non est ex deffectu demeriti in peccato, sed ex eo quia repugnat ex parte facti. prPter quam quod demeritum peccati extenditur ad pœnam in duratione infinitam. ergo peccatum est causa moralis effectum moralem infinitum precontinens. & perconsequens non potest non esse infinitum.

Replicabis paritate actus Charitatis hominis iusti, & viatoris, qui actus esto mereatur, & illi correspondeat vita aeterna, quę est premium infinitum in aliqua linea, nempe durationis, non est infiniti valoris, & infiniti meriti. ergo illa maior, causa videlicet continens moraliter effectum infinitum est sub illa ratione infinita vera non est.

Respondeo paritatem factam nullam esse unde ratio efformata non enervatur, est ergo maxima disparitas inter actum Charitatis, ex una parte, & peccatum mortale ex alia, quod peccatum mortale intrinsece, & ratione sui nullo alio extrinseco inspecto meretur pœnam infinitam, quę quia intensive infinita repugnat ex parte facti, compensatur, ut dicit Angelicus Magister cum pœna durationis infinitę. at econtra actus Charitatis

attento suo intrinseco valore non potest mereri durationem infinitam premij, & si de facto illi correspondet tale premium, videlicet visio beatifica, in duratione, a parte post infinita, est ratione meritorum Christi, quę applicantur adhei merito hominis iusti per Sacramenta in re, vel in voto.

Replicabis. in hypotesi quod Adamus non peccaret, & Xptus non veniret, gratia & iustitia originalis, tum in Adamo, tum in alijs iustis esset semen glorię, & proinde actui charitatis elicito a quolibet iusto correspondeset gloria eterna in premium, & tamen in hipotesi supra dicta tale meritum non esset ex meritis Xpti. siquidem non esset Christus. ergo quia actus Charitatis ex se, & ab intrinseco sui continet meritum infinitum, ergo & effectum infinitum, nempe gloriam eternam, & tamen non est valoris infiniti actus charitatis, ergo argumentum fallax nullum est.

Respondeo, quod in predicta hypotesi. adhuc actus Charitatis attento suo intrinseco valore non adequaret tale premium, unde illud non continet, quo pacto gloria eterna quę de facto correspondet. ex vi presentis providentię esset ex pacto Dei volentis libere premiare ita superabundanter actum charitatis. & iustorum meria, & proinde seclusio omni pacto extrinseco Dei. actui Charitatis non correspondet tale premium, sed aliud finitum, Deo cognitum, qui est ponderator spiritum, & cuiuscumque valoris.

§ VIII

Paritas de peccato veniali proponitur,

Si peccatum mortale est simpliciter infinitum in ratione offensę, quia respicit Deum ut subiectum morale offensę, sequeretur peccatum veniale esse etiam simpliciter infinitum in ratione offensę. sed peccatum veniale infinitum non est, nec in ratione offensę, ergo nec peccatum mortale. consequentia infertur, & minorem concedimus cum communi thomistarum, & aliorum theologorum. unde solum restat probanda maior seu sequella. quia non minus est Deus subiectum respectu offensę in peccato veniali, quam in peccato mortali. ergo sequella est legitima.

Confirmatur. quia forma moralis dignificans operationes Xpti Dni, est eadem in omnibus operationibus, videlicet est Divinitas in clusa in personalitate, omnes operationes Xpti Dni, sive respiciant obiectum grave, sive leve, sunt valoris simpliter infiniti, ergo similiter si forma moralis gravificans peccata omnia est Deus ut subiectum, quia in moralibus subiectum est forma moralitatem prestans, omnia peccata, sive gravia sive

levia

sive levia. erunt sub ratione offensę gravitatis simpliciter infinitę.

Si respondeatur cum communi modo dicendi Thomistarum assignando disparitatem inter operationes Xpti Dni ex una parte, & peccata venialia ex alia, nimirum quod peccata venialia ratione substracti quod est malitia, esse incapacia recipiendi infinitam gravitatem, quia tale substractum est leve. unde incapax talis effectus, operationes autem Xpti Dni esse etiam ratione substracti, ~~cap~~ nimirum bonitatis, capaces recipiendi infinitum valorem ab eadem forma, aqua dignificantur cęterę operationes Xpti Dni. . . Quę doctrina comprobatur pluribus exemplis. nam forma etsi sit communicata subiecto non communicat ipsi omnes effectus formales, quos in se continet, sed illos, vel illum, cuius subiectum est capax, ut patet in gratia sanctificante, quę Adamo, in statu innocentię, ipsi communicabat iustitiam originalem, quem effectum, ipsi postpeccatum, expiatum per pœnitentiam non communicavit, unde & ipsa gratia qua inpresenti iustificantur, licet sit eiusdem speciei cum gratia & iustitia originali, hunc effectum modo iustis non prestat, & similiter eadem gratia Xpto communicata non constituit filium adoptivum, & tamen iustos filios adoptivos constituit. & si lapidi unizetur lapidem non constitueret sanctum, sed qualem, quod et patet in alijs formis exemplificari, & ratio omnium est, quia diversa subiecta diversorum effectuum formalium sunt capacia, ergo similiter licet peccatum mortale, & veniale moralizentur ab eadem forma, & Deus offensus sit (eo quia subiectum morale utriusque offensę) forma respectu peccati mortalis, & venialis, hoc nonobstante, peccatum mortale quia est substractum grave eius malitia gravificabitur infinite, peccatum autem veniale, non grabificabitur infinite, quia eius malitia, ut pote levis, est substractum leve & proinde incapax illius effectus formalis infiniti.

Si inquam hęc disparitas assignetur

Replicat SS. P. M. Antonius dela Parra, inpresenti quod iste modus dicendi, est tantum dicere. & ad hoc suadendum iterum replicat paritate meritorum Xpti. etenim operationes omnes Xpti Dni sive graves, sive leves ex obiecto, sunt capaces valoris simpliciter infiniti, eo quia forma dignificans operationes omnes est eadem, ergo peccatum sive mortale, sive veniale, licet differant penes gravitatem, & levitatem ex obiecto, si forma constituens & gravificans offensam est Deus, erit quodlibet peccatum simpliciter infinitum sub ratione offensę, quia effectus formalis formę nil aliud est quam forma communicata, sed forma communicata in esse moris peccato veniali est Deus ipse ut offensus, qui est simpliciter infinitus, ergo peccatum veniale evadet simpliciter infinitum in ratione offensę.

Hoc argumento convincitur precitatus SS. Magister Parra. unde licet nobiscum conveniat in conclusione, asserendo Peccatum mortale esse simpliciter infinitum, in ratione offensę, econtra autem asserat peccatum veniale infinitum non esse in ratione offensę. ut & nos cum communi sententia tenemus. tamen nostra ratio nihilo aestimatur ab ipso. unde aliter probat suam. & nostram conclusionem. nimirum asserit ideo peccatum mortale esse simpliciter infinitum in ratione offensę, quia est a Voluntate creata. ut a principio infinito in linea defficiendi. id est ab ipsa. quatenus est nihillo. sub qua ratione est primum defficiens, & in isto genere indipendens. & insubordinata.

Sed hęc ratio, quę sola ipsi videtur efficax, mihi displicet. & videtur inefficax. & si veram doctrinam contineret. potius ex illa sequitur peccatum veniale esse simpliciter infinitum in ratione offensę, quod & ipse verbis negat. sequella videtur evidens, quia peccatum veniale, etiam oritur a Voluntate creata reduplicative, ut deffectiva, ut patet. peccare enim venialiter defficere est. ergo si hoc principium. quia sub ista ratione est primum, & indipendens infinitatem refundit in peccatum mortale, eadem ratione. & in peccatum veniale illam refundet;

Nec huic authori iuvare potest disparitas desumpta ex eo quia peccatum mortale est subtractum grave. & veniale est subtractum leve, unde incapax recipiendi infinitatem.

Iuvare inquam non potest huic Doctori ista solutio seu disparitas. quia. ut verbis suis utar, hoc est tantum dicere. & proinde ab ipso est impugnata. ut paulo antea vidimus, & proinde eodem argumento potest impugnari. ergo potius stando in ista ratione nulla est disparitas inter peccatum mortale, & veniale. & proinde verbis solum negat infinitatem simpliciter sub ratl. offensę in peccato veniali. quod & mihi facile suadeo. ex eo quia ipse fatetur esse publice defensatam ab ipso infinitatem in peccato veniali in ratione offensę, quam sententiam asserit esse ab ipso in publicis disputationibus defensatam, tum Compluti, tum Salmanticę, tum in hac alma urbe Romę. unde taliter in suo ~~[illegible]~~ libro negat hanc sententiam, quod verbis eam tenet.

Secundo impugnatur ista sua ratio. quia ex illa sequitur peccatum mortale, & veniale esse infinitum simpliciter etiam in ratione malitię, quia quodlibet peccatum sub ratione malitię, est a Voluntate creata, ut defectiva, ut patet. qua ratione Deus causare malitiam reduplicative ut talem non potest. & est extra sphęram causalitatis divinę. sed ipse docet peccata sub ratl. malitię non esse infinita, alias omnia peccata essent

aequalis. sub ratione malitiæ, & sub ratione offensæ, & proinde sub omni ratione turpi. ergo est quia suum fundamentum est nullius roboris.

Tertio impugnatur, quia falsum supponit quando asserit voluntatem ut principium defficiens, esse independentem omnino quando quidem dependet a Deo permittente, sine decreto enim permissivo, voluntas defficere non potest. ergo non est principium sub ista ratione infinitum. Præterea etiam reduplicative ut defectiva, dependet ab entitate, substractiva, seu a substracto in quo est offensa. quod substractum identice, & materialiter est ens, & proinde bonum trans cendentaliter, & causabile a Deo ut a prima causa, omne enim ens sub ratione entis causatur a Deo, & existere nequit sine dependentia a Deo, ut a primo efficiente.

Quarto impugnatur hæc sua ratio quia dato, & non concesso, voluntatem esse primum principium, & infinitum in linea defficiendi, adhuc non convincitur peccatum esse infinitum, quia oritur ab isto principio infinito. assumptum probo, quia omne ens creatum est a Deo, & causatur a Deo infinito utique in linea effectiva, & in omni linea, & non exinde convincitur entia creata esse infinita, cum evidenter constet esse entitative finita, & limitata. ut ergo a principio infinito oriatur aliquid infinitum, exigitur quod principium infinitum influat modo infinito, & quantum potest. unde in divinis processionibus, Filius nascitur a Patre ut infinitus, quia Pater infinito modo ipsum generat. ergo licet peccatum esset a voluntate ut a principio infinito in linea defectiva, ultra hoc erat necessarium, quod voluntas influeret modo infinito, seu defficeret modo infinito, quod ex terminis repugnat.

Quinto denique impugnatur iste modus dicendi: quia peccatum formalissime sub conceptu offensæ non respicit voluntatem creatam ut principium, sed ex terminis implicat quod aliquis moralis moralizetur a principio quod non respicit, ergo peccatum sub ratione offensæ non accipit quantitatem deformitatis a principio. maior probatur, quia conceptus offensæ est conceptus passivus, unde non denominat voluntatem offensam, sed Deum denominat offensum. ergo sub ista formalitate non respicit voluntatem, sed Deum ut subiectum morale offensum. ergo a Deo ut subiecto, & non a voluntate quantitatem debet accipere.

Confirmatur, quia obsequium est moralitas activa, non accipit valorem a persona cui fit, & præstatur, sed a persona obsequiante, quam denominat, quo pacto ut obsequium dicatur, & sit regium, non sufficit quod ab aliquo, præstetur Regi, sed exigitur quod Rex sit qui illud præstat. ergo quia offensa est moralitas passiva, non a principio offendente, sed a subiecto offenso debet mensurari eius quantitas.

Confirmatur secundo quia malitia est formalitas activa, denominat principium a quo oritur, & proinde illud malum constituit quo pacto ut in astabilibus dicebamus peccatum in ratione malitiæ est malum peccantis illumque malum constituit, & proinde malitia non est infinita, ergo econtra quia offensa est formalitas passiva, denominans Deum offensum, accipiet quantitatem ab ipso subiecto denominato, & cum subiectum sit infinitæ dignitatis evadit proinde infinita, ergo est quia offensa mensurari non potest a principio a quo oritur.

Et per hoc impugnata manet quædam disparitas quæ assignatur ab hoc S. Magistro inter offensam, & malitiam peccati mortalis. asserit enim solvendo argumentum quoddam, simile ad illud quod nos paulo ante secundo loco fecimus, quod ideo offensa evadit infinita eo quia a principio efficiente infinito, non autem malitia evadit infinita licet oriatur ab eodem principio, quia malitia specificatur ab obiecto, & cum obiectum sit quid extrinsecum ideo illam infinitam non potest constituere, offensa autem pensatur penes principium.

Manet inquam impugnata hæc disparitas, cum ex dictis constet continere falsam doctrinam, etenim offensa non a principio, sed a subiecto offenso gravificatur. malitia autem mensuratur penes principium, cum sit formalitas activa, & proinde penes maiorem, vel minorem cognitionem regulantem actum voluntatis, crescit, vel minuitur malitia. obiectum autem dat peccato speciem quasi phisicam, & quamdam moralitatem, cum ut amatum refundatur seu uniatur cum principio amante illud.

§ IX

Respondetur ad paritatem de peccato veniali

Respondetur ergo ad paritatem de peccato veniali solutione insinuata ex communi Thomistarum. unde negamus maiorem argumenti facti, seu sequellam, & ad probationem distinguatur antecedens: non minus Deus est subiectum offensæ peccati mortalis, quam venialis, non minus & eodem modo nego ant. & diverso modo diversitate se tenente ex parte substracti utriusque peccati, nimirum quia substractum peccati mortalis, quia est grave, est capax infinitudinis, & econtra substractum peccati venialis, quia leve capax non est, concedo ant. quæ solutio non est tantum dicere, ut nobis opponit prædictus Magister, sed fundatur, in ipsis naturis rerum, nam formæ sive sint tales phisice, sive moraliter, non possunt præstare subiecto ~~cui~~ cui communicantur nisi illum effectum formalem cuius capax est tale subiectum, ut patet in exemplis relatis.

Ad Confirmationem quatenus est replica contra præcedentem Solutionem, respondeo negando Suppositum antecedentis, videlicet negamus quod inter operationes Xpti Dni. detur aliqua, vel aliquæ quæ sint leves ratione Substracti, seu constent ex Substracto levi. omnes enim habent substractum grave, & bonum bonitate sufficienti ad recipiendum valorem infinitum desumptum a persona merente, & satisfacienti per illas. & ad probationem sub intellectam, nimirum, quod ex operationibus Xpti Dni aliquæ sunt leves ex obiecto, Respondeo quod aliud est quod obiectum aliquarum sit inferius ad obiectum aliarum, ut videre est in actu misericordiæ, respectu actus Charitatis, ~~quod~~ qui actus misericordiæ non habet ita nobile obiectum ac actus Charitatis. aliud quod obiectum sit potens constituere substractum leve, primum est verum; Secundum falsum. nam obiectum cuiuslibet actus liberi Xpti Dni. quantumcum sit actus in inferiori specie, constituit actum Simpliciter bonum, unde & capax valoris infiniti. E contra autem obiectum peccati Venialis. non constituit actum liberum in quo situm est peccatum veniale Simpliciter malum, sed tantum secundum quid; & malum, quod simpliciter malum non est, sed tantum secundum quid, substractum leve est, & incapax gravitatis infinitæ.

Ratio autem huius doctrinæ fundatur in doctrina expresse tradita ab Angelico Præceptore pluribus in locis, præsertim 1.2. q.88. ar.1. ad.1. ubi hæc habet verba* Ad primum ergo dicendum quod divisio peccati in veniale, & mortale, non est divisio generis in species, quæ æqualiter participant rationem generis. Sed analogi in ea de quibus prædicatur secundum prius, & posterius. & omnino perfecta ratio peccati. quod Augustinus ponit, convenit peccato mortali; peccatum autem veniale, dicitur secundum rationem imperfectam, & in ordine ad peccatum mortale, sicut accidens dicitur ens in ordine ad substantiam.* quam doctrinam etiam tradit Angelicus Doctor. in 2. dist.42. q.1. ar.3 in corpore. & in 4. dist.4. q.2. ar.1.ª quæstiunc. 1. ad.3. & q.25. de Verit. ar.5. in corp. & q.7. de Malo ar.1. ad.1. & ar.5. ad.4.

Ratio autem apriori huius doctrinæ est, quia bonum consistit in indivisibili, nempe in tendentia ad obiectum conformæ rationi, in qua tendentia licet dari possit maior vel minor intensio, quo pacto una actio est intensior alia, & magis meritoria præalia, & licet dari possit ex parte differentiarum contrahentium bonum generice sumptum, excessus. ita ut unum obiectum sit nobilius alio, tamen implicat quo aliqua operatio sit bona. & quod non conformetur suo obiecto, & in hoc quod est conformari, ita conformatur actus in bonitate inferiori constitutus, ac

obiecto. quam conformatur suo obiecto quilibet alius actus bonus. quantumcumque in specie perfectissima constitutus. & proinde quilibet actus bonus participat aequaliter bonitatem formalem, unde est simpliciter bonus. — Econtra autem accidit in malitia, quae utique non consistit in indivisibili, cum enim malum, seu operatio mala, constituatur per tendentiam in ordine ad obiectum dissonum rationi & in ista tendentia sit quam maxima latitudo, etenim deviatio a bono, sicut, & a veritate, possit esse pluribus modis inde est quod differentiae contractivae mali non aequaliter participant rationem mali, sed aliquae, perfectiori modo prae alijs, & aliquae proprie. aliae improprie. aliae simpliciter, aliae per similitudinem, & secundum quid. unde inter operationes malas aliae sunt simpliciter pravae, aliae tantum secundum quid. quo pacto si deviatio a bono, fuerit parva, actio erit non bona, cum bonum ex integra causa, erit autem mala, quia malum ex quocumque deffectu. ergo malum dividitur in sua inferiora analogice, econtra vero, bonum dividitur divisione univoca, & generis, in species.

Quae doctrina confirmari potest in veritate, & falsitate, quae sunt differentiae contractivae veri, & falsi quae continentur intra limites obiecti intellectus. quo pacto in Methaphisica docet communis sententia, quam & nos dedimus, quod una veritas formalis non est maior alia, seu quod una propositio vera, non est verior altera formaliter, licet in esse entis, & materialiter unum verum sit perfectius alio. econtra autem una falsitas: seu una propositio falsa, potest esse falsior altera falsa. etiam formaliter. maior enim falsitas formalis est affirmare. quod duo sunt centum, quam dicere duo sunt quatuor, vel duo sunt tria. & ratio apriori est quia veritas formalis consistit in adequatione intellectus cum obiecto ut est in se, in qua adequatione non datur magis vel minus. ita enim adequatur suo obiecto iste actus Petrus est homo, quam iste. Petrus est albus. si revera Petrus habet albedinem. falsitas autem consistit in difformitate intellectus cum obiecto, & in ista difformitate datur latitudo, ut iam notavimus.

§ X

Alia argumenta solvuntur

Obiicies secundo. Actus Charitatis in ratione obsequij non est simpliciter infinitus, ergo nec peccatum in ratione offensæ. antecedens est certum. loquimur enim de Actu Charitatis puræ creaturæ. consequentia autem probatur. quia actus Charitatis in ratione obsequij respectu Dei eodem modo comparatur, ac offensa in ratione iniuriæ. ergo si actus Charitatis infinitus non est. nec peccatum in ratione offensæ. antecedens probatur, quia sicut per peccatum aufertur a Deo ratio ultimi finis affective absolute, & effective conditionate, quatenus videlicet si per impossibile posset peccator phisice, & realiter a Deo auferre rationem ultimi finis, & illam in creatura collocare, illam de facto auferret, ita similiter per actum Charitatis iustus in Deo collocat rationem ultimi finis. seu complacet, & amat rationem ultimi finis, quæ in ipso Deo est, ergo actus Charitatis in ratione obsequii eodem modo comparatur respectu Dei, ac peccatum in ratione offensæ.

Respondeo negando consequentiam, & ad probationem, negatur antecedens, & ad probationem negatur omnimoda paritas. quia licet verum sit quod per peccatum affective absolute, & effective conditionate, aufertur a Deo ratio ultimi finis. & per actum Charitatis ponitur, adhuc tamen est magna disparitas inter utrumque actum. disparitas ergo stat in eo quod peccatum respicit Deum non ut obiectum, sed ut subiectum morale offensæ, e contra vero actus charitatis solum tendit in Deum ut in obiectum, non tamen illud respicit ut subiectum morale obsequij. unde actus charitatis non valoratur a deitate. Ratio a priori huius discriminis, sumitur ex prædicatis intrinsecis utriusque, seu ex natura obsequij, seu honoris, & ex natura offensæ seu iniuriæ. quia ut supra dicebamus offensa est formalitas passiva Deum afficiens, etenim Deum subiicit, & deprimit. postponitque creaturæ, honor autem est moralitas activa. unde Deum respicit ut cui honorem tribuit. & elicientem ipsum subiicit Deo.

Replicabis, Sed actus charitatis etiam respicit Deum non solum ut obiectum, sed ut subiectum morale, eodem modo quo peccatum, ergo si hoc non obstante actus Charitatis non evadit infinitus in ratione valoris nec peccatum evadet infinitum in ratione offensæ. probatur subsumpta. ideo peccatum sub ratione offensæ respicit Deum ut subiectum morale, quia Deus est qui dicitur qui patitur offensam, unde Deum denominat offensum. sed etiam per actum charitatis dicitur Deus amatus, & pati amorem, ergo actus charitatis in ratione obsequij respicit Deum ut subiectum.

Respondeo negando minorem subsumptam. vel illam distinguendo charitatis gratia. actus Charit.is

respicit Deum ut subiectum cui, concedo, quod nego. peccatum autem respicit Deum ut subiectum quod. non autem ut subiectum cui, nisi ad summum gramaticaliter, non vero moraliter. per quam solutionem preocupatur ratio in probationem minoris adducta. Explicatur solutio. dicimus ergo quod per peccatum Deus vere patitur passione utique morali, offensam, quando quidem per offensam deprimitur, & post ponitur Deus, quod revera est pati ut quod, moraliter. unde moraliter loquendo Deus est subiectum quod offensę, licet grammaticaliter possit construi ita ut Deus sit subiectum cui irrogatur offensa, cęterum modus iste essendi subiectum cui. non extrahit Deum a vera ratione subiecti moralis ut quod. & cum in moralibus subiectum quod sit forma moralizans. si forma est infinita, & alias subiectum est capax, illi communicat suam infinitatem, ut accidit in casu nostro.

Ei contra autem est in actu Charitatis, licet enim grammaticaliter Deus dicatur amatus, seu amari, vel pati amorem, moraliter ista non est passio, unde moraliter Deus solum est subiectum, cui tribuitur obsequium, vel honor. qui enim moraliter patitur per actum charitatis, est ipse amans et eliciens actum charitatis, qui licet phisice, & grammaticaliter agat efficit, et eliciat active, & effective amorem tamen moraliter est patiens ab amore quando quidem subiicitur, mediante amore Deo. quo pacto dicitur amor pondus amantis. idest pondus quo fertur amans in amatum. iuxta illud * Amor meus pondus meum. amore feror quocumque feror.* ergo subiectum quod morale amoris seu actus charitatis est ipse eliciens amorem, sed in moralibus forma moralizans est subiectum morale ut sepe dictum est. ergo valor actus charitatis sumitur a persona active eliciente amorem & eius dignitas penes obsequiantem pensatur. quo pacto dicitur * honor est in honorante, & offensa in persona offensa *

Obiicies tertio. Si peccatum mortale esset infinitum in ratione offensę sequeretur unum peccatum mortale non esse maius alio, sed omnia esse equalia. sicut docebat error Stoicorum. Sed contrarium docet fides chatolica, credens peccata mortalia esse inequalia, & alia esse prae aliis graviora. ergo est quia peccatum mortale non est infinitum in ratione offensę. sequella maioris videtur nota. quia unum infinitum non est maius alio

Varie occurrunt huic argumento nostrę sententię Authores. Respondent aliqui negando sequellam. & ad probationem respondent quod quando dicitur quod unum infinitum non est alio maius. hoc intelligendum est de infinito

quod est tale in genere entis, vel substantiæ, quæ prædicata sunt superiorissima. unde in genere entis, vel substantiæ, unum infinitum non est maius alio, imo neque æquale. quo pacto Deus solus est infinitus. at vero in alio genere non ita superiore & præsertim si genus est moraliter tale unum infinitum potest esse maius alio, ut videtur manifeste in infinito quantitatis discretæ, si enim darentur infiniti homines, infinitum capillorum esset maius. ergo ~~etc~~ licet peccatum mortale sit simpliciter infinitum, unum peccatum potest esse magis infinitum præ alio, & unum pro inde gravius alio. Quæ doctrina videtur conformis Angelico Magistro 3. p. q. 10. ar. 3. ad 3. ubi loquendo de infinito in determinato genere hæc habet verba * Species numerorum parium sunt infinitæ. & similiter species numerorum imparium. & tamen numeri impares sunt plures quam pares *

Sed hæc solutio mihi non placet præsertim in moralibus, unde quia operationes Xpti Dni attento valore personali sunt infiniti valores, attento hoc valore omnes sunt æquales, licet ex alijs capitibus aliæ sint præ alijs perfectiores. unde relicta in sua probabilitate aliter respondendum iudico.

Respondetur ergo distinguendo maiorem sequeretur quod unum peccatum non esset maius alio. in ratione offensæ, transeat, in ratione malitiæ nego maiorem., error autem Stoicorum sub omni ratione ponebat mortalia peccata esse æqualia. & proinde ut verificetur quod unum peccatum sit alio gravius. ut fides docet sufficit quod in malitia sint inæqualia. quo pacto ipsis correspondet diversa pœna, iuxta illud Apoc. 18. * Quantum se glorificavit, tantum date illi tormentorum * & quia in ratione offensæ gravificantur ab eadem forma, ideo sub ista ratione sunt æqualia, unde correspondet æqualis pœna, quæ consistit in privatione visionis Dei, quæ in omnibus damnatis est eadem. quæ doctrina parificari potest in meritis Xpti attento valore personali, sub qua ratione omnes operationes sunt æquales & infiniti valoris.

Replicabis. sed peccata mortalia ~~non~~ sunt æqualia in ratione offensæ, ergo solutio est nulla. probatur subsumpta. quia Deus magis offenditur per unum peccatum, quam per aliud. v. g. magis offenditur per sacrilegium, vel per blasphemiam. quam per mendacium grave. v. g. vel furtum.

Respondetur negando subsumptam. & ad probationem distinguatur antecedens. magis offenditur extensive per unum peccatum quam per aliud, concedo, intensive nego. quia per peccatum gravius plura attributa attinguntur expresse, aversive, quam per peccatum non ita grave, etsi omnia intensive a toto Deo avertantur.

Obiicies quarto si peccatum mortale esset infinitum in ratione offensæ esset etiam infinitum in ratione demeriti; sed in ratione demeriti infinitum non est. ergo neque in ratione offensæ. præmisse indigent probatione, probatur ergo maior probanda postea minor. & primo probatur maior, quia demeritum est formalitas subsequuta ad formalitatem offensæ. ergo eiusdem rationis erit demeritum ac offensa. ergo si offensa est infinita, demeritum etiam erit infinitum. Secundo probatur. eodem modo comparatur demeritum ad offensam, ac comparatur meritum, seu valor ad obsequium. Sed meritum ita sequitur ad obsequium. quod si obsequium est fininitum, meritum seu valor sit finitum. si autem obsequium est infinitum, meritum sit infinitum, ut patet in satisfactione, & merito Xpti. ergo si offensa est infinita. & demeritum esse debet infinitum. Iam ergo probatur illa minor quam probandam reliqui. Quia si peccatum mortale esset infinitum in ratione demeriti sequeretur. quod mereretur omnem pænam possibilem, sed peccatum mortale non meretur omnem pænam possibilem, ergo non est infinitum in ratione demeriti. maior est nota. & comprobatur paritate meritorum Xpti, quia enim meritum Xpti est simpliciter infinitum. meretur omne præmium possibile, ergo demeritum infinitum meretur omnem pænam possibilem.

Minor ista ultima probatur

Primo. Quia si peccatum mortale mereretur omnem pænam possibilem ~~infinitam~~, non posset puniri citra condignum, sed iuxta communem theologorum assertum. peccatum mortale punitur citra ~~ergo~~ condignum, sicut e contra opera meritoria præmiari ultra condignum. etenim sic in omnibus resplendet misericordia Dei, ergo peccatum mortale non meretur omnem pænam possibilem, maior probatur. quia puniri citra condignum. est puniri defectu proportionali [illegible] ad demeritum. sicut præmiari ultra condignum est præmiari excessu proportionali ad meritum. Sed ad pænam infinitam non datur proportionalis defectus, non enim potest deficere ab infinito, nisi ablata infinita pæna, & remanente finita pæna. ergo si peccatum mortale mereretur omnem pænam possibilem, non posset puniri citra condignum.

Secundo probatur eadem minor. quia in pœnis peccatis debitis datur maioritas, & minoritas, iuxta illud Apoc. 18 * Quantum se glorificavit, tantum date illi tormentorum *. Sed omnis pæna possibilis non admittit maioritatem. vel minoritatem. ergo est quia peccatum non meretur omnem pænam possibilem.

Tertio probatur eadem minor.

Quia si peccatum mereretur omnem pænam possibilem mereretur carentiam acceptationis meritorum Xpti, cum ista carentia sit pæna possibilis potens correspondere

& cadere sub demerito. Sed hoc est absurdum, alias demeritum peccati esset supra meritum Xpti, ergo idem.

Quarto probatur eadem minor. quia si peccatum mereretur omnem pœnam possibilem mereretur carentiam Incarnationis, cum ista carentia sit etiam pœna potens cadere sub demerito. Sed hoc est absurdum, alias plus demereretur peccatum quam meritum Xpti. cum Xpus mereri non potuisset suam incarnationem. ergo idem.

Quinto quia alias satisfactio Xpti Dni non esset superabundans, quod est contra nostram, & communem Theologorum sententiam. ergo. sequella videtur nota quia ad minus peccatum demereretur tantum quantum Xpus meruit. ergo adæquaret in demerito meritum Xpti.

Respondetur concessa maiori, seu sequella, negando minorem, & similiter ad probationem concessa etiam maiori, seu sequella, negatur minor. & ad eius primam probationem negatur maior. dicimus ergo quod licet vera sit illa propositio. videlicet Deus præmiat ultra condignum, & punit citra condignum, imo sit ita vera, quod iam transierit in axioma. tamen illa duo adverbia. Ultra, & Citra non accipiuntur, nec possunt accipi in eodem sensu, nimirum quod sicut ly Ultra significat moderatum, & proportionatum excessum præmij ad meritum, ly Citra etiam debeat significare moderatum, & proportionatum defectum pœnæ ad demeritum. Sed intelligitur, istud adverbium Citra iuxta taxationem pœnæ constitutæ, & stabilitæ a divina Iustitia, & in ordine, & proportione duorum peccantium, videlicet quod si uni remittitur unus gradus pœnæ propter tot peccata, alteri, propter duplicia peccata, remittatur duo gradus pœnæ. Nam si pœna absolute conferenda esset iuxta demeritum peccati, cum istud sit infinitum, deberet dari pœna infinita. quia ut vidimus ex Angelico Magistro peccatum mortale dignum est pœna infinita, quæ quia repugnat ex parte facti compensatur per durationem infinitam, & æternam a parte post. in pœna. quod & docet. 1.2. q. 119.

Ad secundam probationem respondetur ex D. Th. in 4. dist. 46. q. 2. ar. 2. questiunc. 1. quod illa adverbia, tantum, & quantum non denotant proportionem arimeticam pœnæ ad culpam absolute, cum demeritum culpæ, secundum se inspectum excedat pœnam sine proportione; sed intelliguntur comparatione & proportione facta respectu duorum peccantium ad duas pœnas, nimirum quod plus puniatur, qui plus, vel in numero, vel in gravitate peccavit. cum ut supra dicebamus demeritum cuiuslibet peccati mortalis ex se exigat infinitam pœnam.

Ad sextam probationem distinguatur maior, peccatum mortale meretur carentiam acceptationis meritorum Xpti, absolute transeat, supposito quod Xptus Dominus applicuisset sua merita ad deletiorum peccati nego maiorem, etenim hac suppositione facta Deus non potuit non acceptare satisfactiom Xpti Dni, cum non solum esset infinita, sed[a] ex stricta, & rigorosa iustitia, ut suo loco ostendetur, & modo supponimus. unde non acceptatio meritorum Xpti. in illa suppositione non restat pœna possibilis.

Ad quartam probationem Respondetur concessa maiori, attento demerito peccati secundum se, & negatur minor & ad probationem subintellectam negatur sequella, quia Xptum nom posse mereri suam incarnationem, non est ex defectu valoris intrinseci in merito, sed ex eo quia principium meriti non potest cadere sub merito.

Ad quintam, & ultimam probationem negatur sequella maioris, quia demeritum peccati est in inferiori ordine ad meritum Xpti. cum meritum Xpti sit in ordine hypostatico.

Nec valet si replices quod demeritum peccati ad plus se extendit, quam meritum Xpti. cum demeritum peccati secundum se se extendit ad carentiam Incarnationis, & meritorum Xpti.

Non inquam replica ista aliquid convincit, quia si meritum Xpti non se extendit ad existentiam incarnationis non est ex defectu valoris intrinseci, sed ex eo quia ut supra dicebamus principium meriti non potest cadere sub merito. unde meritum Xpti ut sit superabundaris sufficit. quod intensive, seu suis praedicatis intrinsecis inspectis, sit dignius. quam sit indignum peccatum, licet alias. se extendat demeritum peccati se extendat ad id ad quod non potest se extendere meritum Christi. ob impedimentum assignatum, dummodo intrinsece, & intensive inspectum meritum Xpti posset se extendere ad promerendam Incarnationem.

Articulus II

Vtrum Homo purus possit de condigno satisfacere pro peccato mortali proprio, vel alieno?

§ I

Præmittuntur certa

Supponimus primo quod quando in titulo dicitur an homo purus, non intendimus excludere ab homine gratiam sanctificantem habitualiter, nec virtutes habituales supernaturales, vel alia dona supernaturalia, solum ergo nomine puri hominis intelligimus hominem, qui simul non sit Deus. unde aliis terminis poterat etiam excitari dubium prpsens, videlicet inquirendo an ut exhibeatur Deo perfecta, ęqualis, & condigna satisfactio pro peccato mortali sit necessaria Incarnatio? & perconsequens supponimus ut omnino certum purum hominem sine gratia habituali, & sine omni alio dono supernaturali, neutiquam prestare posse condignam, & ęqualem satisfactionem. imo neque aliquam, quantumvis imperfectam. iuxta illud Pauli ad Corint. 2. cap. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis. Sed sufficientia nostra ex Deo est.* & ratio est manifesta, quia homo, vel Angelus in puris naturalibus constitutus, & destitutus omni Auxilio supernaturali, nullam proportionem habet ad satisfactionem supernaturalem quę utique exigitur pro compensatione offensę Deo irrogatę per peccatum.

Rursus supponendum est quod si quęstio excitaretur alio assignato modo, nomine Incarnationis, non deberet intelligi, prout precise dicit unionem secundę personę Sanctissimę Trinitatis cum humanitate, sed latiori modo prout idem esset, ac Unio alicuius personę divinę ad aliquam naturam creatam intellectualem. nam certum est quod Persona Verbi, vel alia Sanctissimę Trinitatis persona, imo subsistentia absoluta prout est communis tribus divinis personis, uniri potest naturę humanę, vel Angelicę. imo, & animę rationali separatę a corpore, & elicere actus liberos infinite satisfactorios, & meritorios, ut modo est satisfactio Xpti Dni

Ulterius supponendum est hominem purum, quacumque gratia ornatum non posse prestare satisfactionem pro peccato mortali proprio, vel alieno, quę sit talis, ex toto rigore iustitię, servando nimirum omnes conditiones exactas ad rigorosam iustitiam, in qua suppositione fere omnes conveniunt. unde solum est dubium an possit prestare satisfact[ionem] quę sit condigna, & ęqualis pro peccato mortali?

Denique supponendum est quod Satisfactio, non est idem, ac restitutio: ista enim respicit rem ablatam, illa personam. & proinde stare potest adequata restitutio alicuius rei quin stet satisfactio pro offensa, & iniuria illata. Satisfactio ergo consistit in obsequio, honore, & compensatione prestita ab offensore, seu satisfaciente personę offensę, quo pacto satisfactio prout ad presens pertinet diffinitur ab Angelico Magistro in 4.° dist. 15. q. 1. quod sit: * illatę iniurię compensatio, * vel alijs terminis: * est actio voluntaria, & libera, per quam pro offensa, seu iniuria illata, offertur compensatio * .

§ II

Referuntur sententiæ

Tres circa presentem difficultatem circumferuntur sententię. Prima est absolute affirmativa. eam tenet Scotus in 4. dist. 15. q. 1. quem sequuntur communiter eius discipuli. eam etiam tenet Paludanus in 3. dist. 20. q. 2. Soto in 3. dist. 19. q. 1. ar. 2. Medina, & Granados, in presenti. & pro hac sententia affirmativa citatur ab aliquibus Caietanus in hac. 3. p. q. 1. ar. 2. ast Ill. Arauxo illum vendicat ab hac impostura.

Secunda sententia absolute est negativa. hanc sententiam tenent cum Angelico Preceptore in presenti communiter thomistę, quorum cathalogum esset in longum recensere. preter thomistas tenent hanc sententiam Durandus in 3. dist. 20. q. 2. D. Bonaventura. in 3. dist. 20. q. 3. & 4. Ricard. in 3. dist. 20. q. 4. Capreolus in 4. dist. 15. q. 1. Ferrara. 4 contra g. cap. 54. Vazq. 3. p. disp. 2. & est etiam communior inter PP. Societatis.

Tertia denique sententia distinguit inter peccatum proprium, & alienum, & asserit quod licet homo purus possit satisfacere de condigno pro peccato, alieno, tamen ęqualem, & condignam satisfactionem prestare non potest pro peccato mortali proprio. ita Suarez in presenti, disp. 4. sect. 7. Vega. lib. 3. in Tridentinum. cap. 5.

§ III

Eligitur sententia negativa. & suadetur ex PP, & ex Angelico Magistro

§ Sit nostra conclusio: Nulla pura creatura potest satisfacere de condigno, & adequalitatem pro peccato mortali, proprio, vel alieno. habet duas partes. & utraque suadetur ex patribus. Sit primum testimonium ex Magno Parente Augustino in Enchirid. cap. 8. ubi hęc habet verba: * Neque per ipsum liberaremur, unum Mediatorem Dei, & hominum Xptum Iesum, nisi esset Deus. * ubi indefinite loquitur de omni peccato, sive proprio, sive alieno.

quandoquidem supponit quod nulla satisfactio facta a pura creatura esset condigna liberatio pro peccato.

S. Ambrosius super cap. 9 ad Hebreos asserit eausque gravem esse offensam peccati mortalis, ut illam solus Deus homo posset compensare; hec enim sunt verba S. Doctoris. * tantum fuit peccatum nostrum, ut salvari non possemus aliquando, nisi Unigenitus Filius Dei moreretur pro nobis.*

S. Basilius Magnus super illa verba Psalmi 48. *frater non redimit, redimet homo* sic exponit: * Non homo nudus, sed homo-Deus Iesus Xptus, qui solus pro nobis omnibus propitiationem dare potest.*

S. Leo Papa Serm. 1. de Nativit. hec habet: * Nisi esset verus Deus non afferret remedium, & nisi esset homo verus non preberet exemplum.*

Deinde probatur ex Angelico Doctore D. Th. etenim in 3. dist. 20. q. 1. ar. 4. expresse tenet nostram conclusionem. hec sunt eius verba: * Ex parte Dei fuit alius modus possibilis nostre liberationis, quia eius potentia limitata non est. quem si elegisset, convenientissimum fuisset; non tamen habuisset rationem redemptionis, sed liberationis tantum, quia liberatio non fuisset facta per solutionem pretij * quid clarius? etenim affirmat quod sola liberatio facta per Xptum, verum Deum, & hominem poterat esse redemptio, & satisfactio condigna.

Rursus 3 ad Anib. dist. 20. ar. 3. ait * non potuit genus humanum aliter redimi nisi per Incarnationem, & passionem alicuius persone divine. *

Ulterius. in 3 dist. 20. q. 1. ar. 3. ait: * Ad hoc ut satisfactio esset condigna oportebat quod haberet virtutem infinitam, quia peccatum pro quo fiebat satisfactio, habebat infinitatem quamdam ex tribus. primo ex infinitate Maiestatis divine, &c.*

Denique. ut alia omittam testimonia. in hac. 3. p. q. 1. ar. 2. in corp. expresse docet nostram conclusionem manifestando necessitatem Incarnationis, quam affirmaverat in argumento sed contra. inter alia, prope finem corporis hec habet: * Homo autem purus satisfacere non poterat. pro toto humano genere, Deus autem satisfacere non debebat unde oportebat Deum, & hominem esse Iesum Xptum. * & in responsione ad secundum hec habet verba, rationem nostre conclusionis continentia: * Ad secundum dicendum quod aliqua satisfactio potest dici dupliciter sufficiens, uno modo perfecte, quia est condigna per quamdam adequationem, & recompensationem culpe commisse, & sic hominis puri satisfactio sufficiens esse non potuit. pro peccato. tum

quia tota humana natura erat per peccatum corrupta, nec bonum alicuius personę, vel etiam plurium, poterat per æquiparantiam totius naturę detrimentum compensare. tum etiam quia peccatum contra Deum commissum quamdam infinitatem habet ex infinitate divinę Maiestatis: tanto enim offensa est gravior, quanto maior est ille in quem delinquitur, unde oportet ad condignam satisfactionem, ut actus satisfacientis haberet efficaciam infinitam, ut pote Dei, & hominis, existens *

§. IV.

Ratione probatur conclusio.

Ratio fundamentalis utramque partem nostrę conclusionis suadens sumitur ex infinitate peccati mortalis in ratione offensę, quam infinitatem stabilitam relinquimus art. pręcedenti. & ex limitatione, & finitudine actus satisfactorij, qui elici potest a pura creatura, quacumque gratia ornata. & breviter sub hac forma proponitur.

Satisfactio condigna, & æqualis pro offensa peccati mortalis, debet in obsequio per ipsam pręstito adęquare gravitatem offensę peccati mortalis, sed nulla satisfactio pręstita a pura creatura, vel ab ipsa pręstabilis, potest esse huiusmodi, ergo nulla pura creatura potest condigne, & ad æqualitatem satisfacere pro peccato mortali quocumque, sive proprio, sive alieno. Maior videtur ex ipsis terminis manifesta, iuxta dicta, & stabilita in notabilibus, etenim satisfactio est illatę iniurię compensatio, ergo satisfactio condigna, & æqualis pro iniuria, & offensa peccati mortalis, esse debet condigna & æqualis compensatio pro tali iniuria, & offensa. & cum alias compensatio offensę, fiat per obsequium pręstitum a satisfaciente, personę offensę obsequium debet in valore, & æstimatione adęquare gravitatem offensę.

Minor autem probatur. quia obsequium pręstabile a pura creatura, etiam adiuta viribus cuiuscumque gratię necessario est valoris finiti, & limitati; sed huiusmodi obsequium adęquare non potest gravitatem peccati mortalis, ergo obsequium pręstabile a pura creatura, non potest esse satisfactio adęquans gravitatem offensę peccati mortalis. Maior est certa quia nullus actus elicitus a pura creatura potest esse obsequium valoris, & æstimationis infinitę. cum omnis honoratio creaturę limitetur a persona illam eliciente quia honor iuxta commune proloquium, supra explicatum est in honorante, & penes ipsum mensuratur, & per consequens licet obsequium aliquem valorem veneretur, & participet ab obiecto, licet obiectum sit infinitum cum solum extrinsece

se habeat. & extrinsece speciem tribuat ipsi obsequio. limitatur a persona obsequante imo obiectum cum solum extrinsece specificet suam infinitatem communicare non potest actui a se specificato. minor autem etiam ex se est manifesta. quia eviden ter patet quod obsequium finitum, & limitatum, valoris proinde finiti, & limitati, non potest adequare gravitatem simpliciter infinitam offensę, sed peccatum mortale est infinitum in ratione offensę, ut modo supponimus, & supra probavimus, ergo obsequium prestabile a pura creatura, etiam adiuta viribus cuiuscumque gratię, adequare non potest gravitatem offensę peccati mortalis.

Secundo probatur conclusio ratione specialiter suadente primam eius partem, nimirum, in ordine ad peccatum proprium. Quia homo existens in peccato mortali, non potest elicere condignam, & ęqualem satisfactionem pro illo. ergo non potest satisfacere condigne & ad ęqualitatem pro peccato proprio. ans prob. quia actus consequens remissionem offensę, & proinde supponens remissam, & condonatam offensam, non potest esse satisfactio pro offensa. sed actus satisfactorius pro peccato mortali proprio, ut esset satisfactorius deberet necessario supponere remissam, & condonatam offensam, ergo non posset esse satisfactio condigna, & ęqualis pro offensa. minor est certa quia alias si non supponeret remissam, & condonatam offensam illud opus esset actus hominis existentis in peccato, & proinde esset opus mortuum, & ad summum disponeret ad remissionem. Probatur ergo maior quia satisfactio est via ad remissionem offensę, & culpę. ergo si supponit remissionem culpę, & offensę non est satisfactio pro illa.

Confirmatur primo. quia meritum est via ad premium implicat quod premium in ratione talis presupponatur ad meritum, ergo quia satisfactio est via ad extinguendum debitum, implicat quod extinctio culpę, seu offensę presupponatur ad remissionem.

Confirmatur secundo. quia gratia, & primum auxilium presupponuntur ad meritum, prima gratia, & primum auxilium non possunt cadere sub merito. ergo idem.

Tertio suadetur conclusio quo ad hanc secundam partem. Quia si per aliquem actum posset homo satisfacere de condigno, & adequate pro peccato mortali proprio. maxime per actum contritionis perfectę, sed per istum non potest; ergo per nullum. probatur minor. si actus contritionis posset esse ęqualis, & condigna satisfactio. pœnitentia esset pars subiectiva iustitię, & non esset pars potentialis sed pœnitentia solum est pars potentialis iustitię, ut modo supponitur ex tract.

de Poenit. 3. p. q. 85. ergo actus contritionis perfectae non potest esse aequalis, & condigna satisfactio pro peccato mortali proprio. maior est certa, quia si contritio posset esse aequalis & condigna satisfactio, poenitentiae virtus illum eliciens, poneret aequalitatem, & cum alias non deficiat a vera parte subiectiva iustitiae ex defectu alteri, sed ex defectu aequalitatis, quem defectum iam non haberet, esset proinde vera pars subiectiva iustitiae, & non tantum potentialis.

§. V.

Quidam modus dicendi impugnatur.

Ratio fundamentalis supra in forma constructa pro nostra conclusione stabilienda, displicet Authoribus negantibus infinitatem simpliciter in peccato mortali ratione offensae & alias nobiscum in hac nostra conclusione, quo ad utram quo partem, vel solum quo ad primam, sentientibus. unde P. Suarez, loco supracitato affirmante, purum hominem posse satisfacere pro peccato mortali proprio, satisfactione digna, & hanc satisfactionem condignam pro peccato alieno negante. cum etiam teneat peccatum mortale infinitum non esse. aliter probat conclusionem fundamento innitente in superioritate ordinis, in qua est peccatum mortale. suum ergo fundamentum sic proponit.

Res inferioris ordinis quantumcumque in perfectione, intensione, vel numero augeatur, adaequare non potest in perfectione rem ordinis superioris: sed peccatum mortale licet non sit infinitum in ratione offensae est tamen superioris ordinis ad obsequium praestabile a pura creatura pro suo peccato mortali, ergo nulla pura creatura quacumque gratia exornata potest aequalem & condignam satisfactionem pro suo peccato mortali. maiorem supponit probatam alibi, & minorem probat. quia animal inferioris ordinis est respectu Angeli quantumcumque crescat in perfectione. non potest pervenire ad perfectionem Angeli. similiter in peccatis venialibus, quae quantumcumque crescant in intensione, dummodo remaneant venialia, vel multiplicentur numero non adaequant gravitatem unius peccati mortalis.

Sed nobis displicet haec ratio. quia deficit in maiori, & in minori. deficit in maiori. quia probatum relinquitur peccatum mortale esse simpliciter infinitum, vel non esse ordinis superioris, ad obsequium a pura creatura praestabile. & praeter suo loco dicta ulterius probatur hoc assumptum. quia peccatum mortale non est in ordine divino, per participationem divinitatis, ut forma est gratificans. alias illud gravificaret infinite, ut potè subiectum capax infinitatis, non enim est minus capax moralitatis offensae, quam opus meritorium a Xpto Dno elicitum est capax moralitatis infinitae in linea valoris. ergo peccatum mortale solum est in ordine divino obiective. quatenus videlicet respicit Deum ut obiectum; sed actus Charitatis, elicitus

a pura creatura etiam est in ordine divino obiective. quia respicit Deum ut obiectum, ergo peccatum mortale, si infinitum simpliciter non est, quia respicit Deum ut subiectum morale, quo modo actus Charitatis Deum non respicit, ut late est supra ostensum, non est in ordine superiori ad obsequium praestabile a pura creatura.

Nec iuvat responsio quam iste Author praestat, asserens quod licet actus Charitatis, & peccatum mortale solum sint in ordine divino obiective, tamen gravius evadit peccatum, quam dignus evadat actus Charitatis, eo quia iuxta commune proloquium offensa crescit ad incrementum personae offensae, & obsequium ad incrementum personae obsequiantis.

Non inquam ipsi iuvare potest haec disparitas, seu solutio. quia illud proloquium in suo modo dicendi verum non potest esse. quia si persona offensa solum est obiectum respectu offensae, solum extrinsece moralizare potest offensam, & proinde eodem modo ac persona obsequiata moralizat obsequium, videlicet ut obiectum, & ut forma moralis extrinseca. Ut autem proloquium illud verum teneat recurrendum est necessario ad modum discurrendi Thomistarum, quia nimirum persona offensa est subiectum morale offensae, & proinde forma moralis intrinseca moraliter offensae. & persona obsequians est subiectum obsequii, & proinde forma moralis, etiam moraliter intrinseca obsequio, ac proinde iuxta qualitatem personae offensae erit offensa. & iuxta qualitatem obsequiantis erit obsequium. ergo vel asserendum est quod peccatum mortale est simpliciter infinitum in ratione offensae, vel peccatum mortale non est ordinis superioris ad actum charitatis. ergo ratio efformata ab isto authore defficit in maiore quam assumit.

Defficit etiam in minori. quia si peccatum mortale proprium est in ordine superiori ad obsequium praestabile a pura creatura eadem ratione peccatum mortale etiam alienum erit in ordine superiori. vel si obsequium praestabile a pura creatura potest adaequare, & esse condigna satisfactio pro peccato mortali alieno, eadem ratione adaequare poterit, & esse condigna satisfactio pro peccato proprio. ergo inconsequenter affirmat posse praestari a pura creatura condignam satisfactionem pro peccato alieno, & negat posse praestari pro peccato proprio.

§ VI

Alius modus dicendi proponitur, & impugnatur

P. Vazquez qui similiter docet peccatum mortale non esse infinitum in ratione offensae, reiicit etiam rationem a nobis supra efformatam, imo & aliam quamcumque, & solum probat nostram, & suam conclusionem, discursu a se excogitato. illumque sic proponit:

Satisfactio, quę non compensat omne debitum, sed dumtaxat unam partem, alia gratis condonata, non est satisfactio condigna, sed omnis satisfactio quam pro peccato proprio potest offerre pura creatura, est huiusmodi, ergo nulla pura creatura, potest adęquate satisfacere pro peccato mortali proprio. maiorem supponit ut certam, & probat minorem: quia ut homo eliciat actum contritionis, per quem satisfaciat pro suo peccato mortali debet prius supponi gratis condonatum a Deo demeritum quod habet per ipsum peccatum, carendi auxilio supernaturali exacto ad talem actum contritionis eliciendum, ergo satisfactio quam pręstare potest pura creatura, talis conditionis est, ut non compenset omne debitum, sed dumtaxat unam partem, alia gratis condonata.

Sed hęc ratio, quę solum placuit huic Doctori, displicet communiter cęteris Theologis, etiam ex Societate. & merito, quia in pręsenti non dubitatur. An homo purus, vel pura creatura, possit satisfacere ad ęqualitatem pro pœnis, quas meretur per peccatum mortale? sed an possit offerre pro culpa ęqualem, & condignam satisfactionem? debitum autem carendi auxilio supernaturali ad actum contritionis eliciendum, est pœna, non autem est aliqua offensa vel formaliter offensę, sed quid fundatum in offensa, & culpa commissa. ergo creaturam non posse extinguere istam pœnam non arguit satisfactionem contentam in actu contritionis non esse satisfactionem condignam & ęqualem. nisi aliunde probetur.

Vrgentius. quia si de ratione satisfactionis condignę, & ęqualis esset extinguere debitum quodlibet, & omnem pœnam promeritam pro peccato mortali, sequeretur satisfactionem Xpti Dni, non fuisse condignam, & ęqualem, sed hoc est falsum, ut modo supponitur, & ab ipso conceditur, ergo quod per actum contritionis homo non extinguat omnem pœnam promeritam, sed potius ut actus contritionis existat requiritur condonata a Deo pœna promerita, carendi videlicet omni auxilio supernaturali exacto ad elicientiam ipsius actus contritionis non arguit satisfactionem contentam in actu contritionis non esse condignam & ęqualem nisi aliunde probetur. Sequella maioris probatur. quia homo per peccatum mortale non solum contraxit debitum carendi auxilio supernaturali intrinseco exacto ad eliciendum actum contritionis. sed etiam contraxit debitum carendi omni auxilio extrinseco, & carendi Redemptore, & redemptione, quando quidem meretur omnem pœnam possibilem. sed Xptus Dnus non extinxit hoc debitum, seu hoc demeritum, ergo eius satisfactio non erit condigna & ęqualis.

Minor probatur. quia debitum carendi Redemptore, solum potest auferri per causam potentem ponere Redemptorem sed Xptus Dnus nec meruit nec potuit mereri sui existentiam, ut postea suo loco ostendetur ergo Xptus Dnus non extinxit hoc debitum. minor supponitur, & maior est nota

quia causa unica potens ponere illud dem plurem. Solum est liberalis misericordiosa, & gratuita voluntas Dei, non Xpus, qui sui existentiam non potest mereri. ergo merito displicet omnibus alijs hæc ratio formata ab illo Doctore.

§. VII.

Argumenta specialiter pugnantia contra primam partem conclusionis soluuntur.

Obiicies 1°. si homo purus non posset satisfacere pro suo peccato mortali, condigne, & adæqualitatem max.ª quia peccatum est infinitum. Sed hæc ratio non urget. ergo. probatur minor, quia etiam actus contritionis habet infinitatem in suo valore, ergo adæquat infinitatem peccati. ant. probatur ex D. Th. in 4. dist. 15. q. 1. ar. 2. ad. 1. ubi ait: * Ad primum dicendum quod sicut offensa habuit quamdam infinitatem ex infinitate divinæ maiestatis; ita satisfactio accipit quamdam infinitatem ex infinitate divinæ misericordiæ, prout est gratia informata, per quam acceptum redditur, quod homo reddere potest.*

Respondeo. D. Th. intelligendum esse iuxta quod immediate antea dixerat in corpore eiusdem articuli. ubi hæc habet: * Unde non potest homo satisfacere si ly satis æqualitatem quantitatis importet. si importet æqualitatem proportionis ut dictum est, & hoc sufficit ad rationem iustitiæ. ita sufficit ad rationem satisfactionis. * quod etiam docet in 4. ad Anib. dist. 15. q. unic. ar. 1. in corp. dicimus ergo quod in satisfactione a creatura præstita est quædam infinitas pure extrinseca, ex divina misericordia acceptante quod non est æquale, ac si esset, eo quia videt Deus quod per contritionem ponit homo quantum potest, infinitas autem peccati in ratione offensæ est intrinseca, quia divina maiestas est subiectum morale intrinsecum, & proin & forma moralis intrinseca, unde inter peccatum, & actum contritionis, est æqualitas proportionalis, non autem est æqualitas quantitative, quæ ~~ex~~ exhigebatur ad condignitatem.

Obiicies secundo qui potest efficienter causare formam destructivam peccati potest ponere satisfactionem pro peccato, sed creatura potest efficienter causare formam destructivam peccati mortalis proprij; ergo potest ponere satisfactionem pro peccato proprio. maior videtur nota nam qui causat formam destructivam peccati, causat non esse peccati. sed cum non esse peccati non potest stare ratio offensæ, quæ exigit satisfactionem, cum offensa fundetur in peccato, seu sequatur ad malitiam peccati ergo causans efficienter formam destructivam peccati ponit satisfactionem pro peccato. probatur ergo min. causans effective formam incompossibilem cum peccato, causat formam destructivam peccati. seu causat destructionem peccati, unde ille dicitur destruere formam, qui causat formam incompossibilem cum illa. quo pacto dicitur quod generatio unius est corruptio alterius. sed actus contritionis est forma incompossibilis cum peccato. tum quia in probabili sententia est forma sanctificans, tum quia licet non sit forma sanctificans, ut docet verior sententia, est forma adhuc incompossibilis cum peccato, eo quia est dispositio ultima, & concomitans, ad gratiam, quæ formaliter expellit peccatum.

Respondeo distinguendo maiorem si forma est destructiva peccati ratione valoris moralis æqualis ad gravitatem offensæ concedo maiorem, si solum est destructiva peccati ratione incompossibilitatis phisicæ & ratione phisicæ oppositionis inter entitatem, & entitatem nego maiorem. & distinguatur minor sub eisdem terminis, & negatur consequentia. nec probationes in contrarium urgent contra istam solutionem; quia licet concedatur actum contritionis esse, vel posse esse formam sanctificantem ut tenet sententia probabilis aliquorum: cuius contrarium iudico verius, tamen actus contritionis non destruit peccatum & offensam ratione valoris æquantis in morali æstimatione gravitatem offensæ, sed ratione suæ entitatis quæ fisice contrariatur, & opponitur peccato. & idem dicimus gratia sanctificante quæ ~~[illegible]~~ postea infunditur a Deo ex eo quia præcessit contritio disponens ad illam.

Obiicies tertio, replicando contra istam doctrinam. sed actus contritionis adæquat ratione valoris offensam. ergo nulla est solutio. probatur subsumpta. per actum contritionis offertur Deo tantum, quantum fuit ablatum per peccatum. ergo in valore adæquat offensam. probatur antecedens per peccatum abstulit homo a Deo rationem ultimi finis, sed per actum contritionis reddit homo Deo hanc eamdem rationem, ergo tantum offertur quantum fuit ablatum.

Respondetur negando minorem subsumptam. & ad probationem distinguo antecedens. offertur tantum actu adæquante rem ablatam, transeat, actu adæquante in valore offensam causatam ex re ablata, nego antecedens, & consequentiam. igitur satisfactio, ut in notabilibus notatum est, non est idem quod restitutio. ista respicit rem ablatam, illa iniuriam. per actum contritionis restituit homo Deo rationem ultimi finis quam a Deo abstulit. non vero satisfacit pro iniuria facta ex tali ablatione.

Argumenta contra secundam partem conclusionis commodius diluentur articulo sequenti, in quo movetur dubium ob illa solvenda.

Articulus. III.

Vtrum purus homo possit de potentia absoluta constitui a Deo Caput morale aliorum in ordine gratiæ, ita vt illis possit promereri de condigno gratiam santificantem. mundantem a peccato mortali?

§. I.

Proponitur sententia negativa cum suis fundamentis, et simul proponitur ratio dubitandi.

Si purus homo potest constitui a Deo, de potentia saltim absoluta, caput morale aliorum in ordine ad illis promerendam gratiam sanctificantem, & mundantem a peccato, talis homo satisfaceret de condigno pro peccato mortali alieno, sed articulo præcedenti contrarium stabilitum relinquimus, ergo est quia Deus non potest constituere purum hominem caput morale in ordine ad illis promerendam gratiam sanctificantem. Sequella maioris probatur, quia non videtur posse non esse condignam satisfactionem illam per quam homo meretur condigne pro alijs extinctionem offensæ peccati mortalis. Sed merendo alijs de condigno gratiam sanctificantem mundantem a peccato ponit extinctionem offensæ peccati mortalis, ergo. si esset caput morale modo dicto satis faceret de condigno pro peccato mortali. alieno.

Confirmatur. homo merens de condigno gratiam mundantem a peccato ponit satisfactionem de condigno. ergo casu quo homo esset constitutus caput morale ad promerendum de condigno alijs gratiam mundantem a peccato poneret satisfactionem de condigno. probatur antecedens. homo merens de condigno gratiam mundantem a peccato, inducit obligationem in Deo vt conferat gratiam mundantem a peccato, ergo ponit satisfactionem de condigno. antecedens videtur notum. nam meritum de condigno, inducit obligationem in premiante vt conferat premium. & comprobatur in ~~gratia~~ gloria quæ per modum coronæ datur. in præmium meritorum de condigno respectu gloriæ. consequentia autem probatur.

quia in predicto casu Deus esset paccatus illi homini cui promerita est gratia, et esset amicus illius, illumque diligeret. Sed si Deus est amicus illius, & illum diligit, illique est paccatus Deus non potest ab illo satisfactionem pro offensa quæ iam nulla est, exigere, ergo est quia ille homo merens de condigno, ut caput morale, gratiam pro illo homine, illum mundantem à peccato ponit satisfactionem pro illo peccato ergo homo purus potest satisfacere de condigno pro peccato alieno.

Sententia ergo negativa circa præsens dubium est frequentior inter Thomistas. eam tenet M. Cornejo, disp. 9. dubio 2. Gregorius Martinez 1. 2. q. 119. ar. 6. et ex alijs Vazquez in 3. p. disp. 9. cap. 5. & videtur expressa Angelici Præceptoris. 1. 2. q. 119. ar. 6. in Corpore, ubi hæc habet. * Ex quo patet quod merito condigni, nullus potest alteri mereri primam gratiam, nisi solus Xptus. * quod & docet in hac 3. p. q. 8. ar. 6. in corpore. ubi dicit: * quod humanitas Xpti, ex hoc quod est Divinitati coniuncta habet virtutem iustificandi. *

Suadetur etiam hæc sententia negativa ex quadam Epist. Pontificis Adriani col. 9. ad Episcopos Hispaniæ in qua sic loquitur summus Pontifex: * Sicut peccata non tolleret, si ipse peccata haberet, ita adoptionis gratiam nobis non tribueret, si ipse propter hominem, quem assumpsit sine sorde peccati necessarium habuerit ut gratiam adoptionis acciperet. * ex quibus verbis colligitur quod ille qui indiget gratia adoptionis, qualis utique esset homo ille caput morale constitutus, non posse in alijs gratiam adoptionis causare.

Confirmatur. quia ex prædictis verbis constat quod sicut homo habens peccatum non potest peccatum tollere condigne satisfaciendo. ita habens necessitatem gratiæ adoptionis, alijs gratiam adoptionis promereri de condigno, sed habens peccatum nec de potentia absoluta potest condigne pro peccato satisfacere. ergo similiter indigens adoptionis gratia non potest de potentia absoluta alijs gratiam adoptionis promereri.

Ratione autem probatur quia gratia adoptionis dignificat opera meritoria eo quia virtualiter continet per modum seminis terminum conferendum, nimirum gloriam, quo pacto dicitur gratia semen gloriæ, sed nulla gratia adoptionis possibilis potest per modum seminis continere gloriam vel gratiam, aliis conferendam, sed solum illam gloriam, quæ est proprio subiecto conferenda & ea, quæ ad talem gloriam conferendam conducunt. Sicut semen arboris solum in proprio arbore fructificare potest, ergo implicat quod purus homo constituatur caput morale aliorum per gratiam adoptionis ad illis promerendum de condigno gratiam remissivam peccati.

§. II.

Proponitur sent.ª affirmativa cum suo fundamento & statuitur pro conclusione.

Pro parte affirmativa sunt quamplures, & non levioris notæ Thomistæ. et sunt Ill. Arausio 1.2. q. 114. ar. 6. & 3. p. q. 1. ar. 2. dub. 3. & q. 8. ar. 6 dub. unic. Marcus a Serra. 1.2. q. 114 ar. 6. Mag. Joann. a Sancto Thoma. 1.2. disp. 31 ar. 2. & 3. p. q. 1. disp. 1. ar. 2. ad 6. pro hac sententia referens Sotum. Vegam. & Scotum. Durandum Gabrielem. & Lorcam. 3 p. disp. 6 tenet etiam hanc Sententiam Ill. Godoi. 3 p. q. 1. tract. 1. disp. 2. §. 8. Gonet. 3. p. disp. 4. ar. 1. §. 1. num. 12. & alij. Sit nostra Conclusio. licet Sententia negativa sit valde probabilis. tamen mihi probabilior est affirmativa, etiam in via D. Thomæ. asserimus ergo quod de potentia absoluta, potest Deus constituere purum hominem caput morale aliorum in ordine gratiæ & illis mereri de condigno gratiam Sanctificantem & mundantem a peccato, quin ex hoc sequatur quod purus homo possit satisfacere de condigno pro peccato mortali alieno.

Habet Conclusio tres partes. & prima, videlicet quod Sententia negativa sit valde probabilis, patet ex fundamentis supra relatis ad illam stabiliendam, quæ absdubio illam intrinsece probabilem constituunt.

Secunda autem pars, nimirum pars affirmativa. Suadetur, & authoritate Angelici Magistri, & ratione, & Solutione rationum pro parte negativa. probatur ergo primo ex D. Th. in hac. 3 p. q. 64. ar. 4. in corpore, ubi distinguens Sanctus Doctor duplicem potestatem in Xpto Domino, nimirum potestatem Authoritatis, quæ Xpto convenit quia Deus, & potestatem Excellentiæ, quæ Xpto convenit secundum quod homo, docet primam non posse communicari puræ creaturæ. secundam autem communicari puræ creaturæ posse affirmat. verba Angelici Præceptoris ibidem sunt hæc; loquendo de potestate excellentiæ: * Et talem potestatem potuit ministris communicare, dando scilicet eis tantam gratiæ plenitudinem, ut eorum meritum operaretur ad Sacramentorum effectus. *. ubi nota loqui D. Thom. de merito de condigno. non de congruo, quia illud meritum de congruo de facto convenit puris creaturis, in ordine ad promerendum pro alijs gratiam remissivam peccati.

Sic ergo Subsumo, sed præcipuus effectus Sacramentorum est gratia remissiva peccati mortalis, ergo homo purus potest de potentia absoluta condigne promereri gratiam Sanctificantem remissivam peccati mortalis & per consequens constitui caput morale aliorum in ordine ad illis promerendam gratiam remissivam peccati mortalis de condigno.

Nec valet dicere potestatem Excellentiæ quam habet Xptus Dominus, & quam concedit posse communicari puræ creaturæ de potentia absoluta, esse potestatem secundum convenientiam analogam, non autem secundum convenientiam univocam.

Non inquam id valet; quia hoc modo etiam communicari potest potestas Dignitatis.

etenim potestas Excellentiæ convenientiam analogam habet cum potestate Dignitatis. Sed iuxta D. Th. in eo sensu in quo potestas excellentiæ communicari potest, non potest communicari potestas Dignitatis, ergo est quia sentit potestatem excellentiæ ipsi posse communicari puræ creaturæ secundum convenientiam univocam.

A priori probatur conclusio. Quia id quod non implicat contradictionem concedendum est omnipotentiæ Dei. Sed in eo quod Deus constituat aliquem purum hominem seu creaturam intellectualem caput morale aliquorum in ordine ad promerendum illis de condigno gratiam sanctificantem, & mundantem a peccato nulla videtur contradictio, ergo concedendum est Omnipotentiæ Dei. minor præter quam quod constabit ex solutione argumentorum pro sententia negativa, probatur ratione quia non implicat quod finitum præmium cadat sub merito condigno puræ creaturæ adiutæ viribus gratiæ; Sed gratia ut conferenda alijs, & illos mundans a peccatis est præmium finitum ergo cadere potest sub merito condigno puræ creaturæ adiutæ viribus gratiæ. maior est nota, præmium enim finitum adæquari potest a merito finito, quale unico potest esse meritum puræ creaturæ. minor autem probatur. quia entitas gratiæ sanctificantis, & mundantis a peccato est quid creatum, & qualitas recepta in anima.

Dices quod quatenus est meritoria expulsionis peccati, quod est simpliciter infinitum, non potest non esse moraliter infinita, ut pote destructiva alicuius infiniti.

Sed contra, quia gratia illa promerita a puro homine ut capite morali, & communicata alteri, esto expelleret peccatum, tamen non esset expulsiva illius, quia esset satisfactio pro offensa, sub qua ratione peccatum est simpliciter infinitum, etenim illa gratia non adæquat in suo valore morali gravitatem offensæ. Sed solum expelleret peccatum per incompossibilitatem physicam quam cum illo habet, unde identice, & materialiter illud expelleret. Sed ut illa gratia per modum satisfactionis æquivaleret offensæ peccati mortalis erat necessarium quod in valore morali tanti æstimaretur, ac est grave peccatum in ratione offensæ, ergo licet illum hominem mundaret a peccato, illum sanctificando, non esset satisfactio pro peccato.

Replicabis, Sed gratia illa si semel est remissiva peccati, est satisfactiva pro offensa condigne, ergo vel non potest homo ille condigne mereri pro alijs gratiam remissivam peccati, vel necessario ponit condigne satisfactionem pro peccato. Subsumpta probatur. quia si illa gratia ut promerita est remissiva de condigno peccati, homo habet ius contra Deum, ut ipsi remittat peccatum seu ut ipsi conferat formam remissivam peccati, aliunde si simul non est satisfactio condigna pro peccato, Deus habet ius intrinsecum contra hominem, ut ipse homo sibi præstet satisfactionem. Sed hæc duo iura sunt simul pugnantia inter se, & unum est destructivum alterius, ergo si semel est remissiva condigne peccati, est satisfactio condigna illius offensæ.

Respondo negando minorem subsumtam ob rationem supradatam, ad eius probationem distinguo, & explico maiorem. homo habet ius contra Deum, ut Deus ipsi conferat gratiam remissivam peccati, habet ius fundatum in pacto libero Dei; ut conferat gratiam remissivam peccati in ratione malitiæ concedo, sub rat. offensæ subdistinguo, remissivam ~~peccati~~ per se peccati sub ratione offensæ, nego maiorem, per accidens remissivam peccati sub ratione offensæ, eo quia defficit substractum conservativum offensæ, & quia Deus ex illo pacto sibi libero obligatus fuit ad condonandam offensam, quæ non poterat subsistere, defficiente peccato sub ratione malitiæ sub qua ratione est substractum conservativum illius concedo maiorem. & ~~concedo consequentiam~~ nego secundam partem maioris, & deinde concedo minorem, & nego consequentiam. Dicimus ergo quod Deus in illo casu ius non habet contra hominem ut ipsi conferat satisfactionem, non quia positus sit valor, in satisfactione seu in illo merito, qui sit æqualis gravitati offensæ. sed defficit in Deo ius quod habebat contra hominem ut ipsi satisfactionem præstaret, eo quia, Deus paciscendo cum homine, quem caput constituit in ordine ad gratiam condigne aliis promerendam, libere voluit cedere offensæ, eo quia voluit se obligare ad ponendam formam destructivam entitatis peccati, nimirum gratiam, qua entitate peccati destructa, non remanet substractum conservativum peccati, quod conferebat Deo ius exigendi satisfactionem.

Quæ solutio potest aliqualiter comprobari. cum illo casu, qui refertur lib. 2. Reg. cap. 14. quando David condonavit Absaloni crimen commissum occidendo Amnon fratrem suum, & filium ipsius Davidis. quam condonationem fecit ob parabolam quam ipsi Davidi proposuit mulier illa Theucitis ad Regem. per hæc verba: * Heu, mulier vidua ego sum: mortuus est enim vir meus. & ancillæ tuæ erant duo filij: qui rixati sunt adversum se in agro, nullusque erat qui eos prohibere posset: & percussit alter alterum, & interfecit eum. Et ecce consurgens universa cognatio adversum ancillam tuam, dicit: tradde eum, qui percussit fratrem suum, ut occidamus eum pro anima fratris sui, quem interfecit, & deleamus heredem: & quærunt extinguere scintillam meam, quæ relicta est, ut non supersit viro meo nomen & reliquiæ super terram. * & post pauca ait Rex mulieri: * Vivit Dominus, quia non cadet de capillis filij tui super terram. * & post pauca decifrando parabolam intellexit Rex quod loqueretur ad liberandum Absalon. quem pepercit Rex. dicens, * revertatur in domum suam, & faciem non videat. in isto casu David condonavit delictum & postea admittendo Absalon in sua domo condonavit offensam mere gratis. & non attento valore intrinseco in obsequio facto ab Absalon. vel a Ioab. vel ab utroque.

in isto ergo exemplo est aliqualis. & si non omnimoda paritas. meritum enim unius. nempe Ioab, vel mulieris Theucitis. gratiam promeruit pro Absalon, quæ gratia per se non erat satisfactio pro offensa

Sed David condonando crimen ob mulierem, vel ob Ioab, gratis postea condonavit offensam

Est autem hec diff.ᵃ & utique maxima inter gratiam factam a creatura. & gratiam factam a Deo. quod gratia facta a voluntate creata, est extrinseca respectu subiecti cui fit gratia, eo quia voluntas creata non est effectiva, sed tantum affectiva, unde crimine dimisso potest conservare offensam, et satisfactionem exigere, gratia autem Dei, est intrinseca subiecto cui fit, eo quia voluntas divina, & eius amor divinus est affectivus, & simul effectivus, unde expellit adequate peccatum, & per accidens remittitur offensa ex deffectu videlicet subiecti sive substracti conservativi offense, unde si Deus determinatur, vel obligatur ratione alicuius pacti sibi libero ad conferendam gratiam, obligatur ad gratiose & liberaliter condonare offensam. quia vult quod non sit substractum a quo in conservari dependet offensa.

Ulterius ratione probatur nostra conclusio, seu aliter probatur minor illa principalis que continetur in ratione apriori. Quia potuit Deus cum homine puro pacisci ut pro illius merito condigno augmenti gratie, & glorie, alias ipsi merenti conferendi, non hoc augmentum sed prima gratia sanctifans, infundatur homini existenti in peccato mortali, ut illum iustificet, & mundet a peccato: Sed hoc pacto presupposito meritum istius hominis esset condignum respectu gratie remittentis alterius peccatum illud que a subiecto expellentis, ergo de potentia absoluta potest homo purus alteri condigne mereri gratiam iustificantem, & a peccato mortali mundantem. maior videtur nota; cum in illo pacto nullo appareat implicatio, quippe Deus pro suo libito potest omnes voluntates aliarum in voluntatem unius transfundere, & illum respectu aliorum caput constituere, & de inde modo dicto cum illo pacisci, vel ita ut etiam eidem promittat aliquod augmentum gratie, & glorie pro se ipso prebere, & preterea gratiam mundantem a peccato pro alio, vel pro alijs. probatur ergo minor. quia tali pacto supposito gratia illa prima conferenda extraneo subiecto, non excedit meritum illius hominis, nec augmentum alias sibi conferendum, nisi intercederet pactum, sed respectu augmenti proprie gratie esset equale, & condignum meritum, ergo & respectu prime gratie extraneo subiecto conferende.

Dices. quod etiam tali pacto presupposito, meritum illius hominis, licet sit condignum respectu proprij augmenti, non tamen potest esse condignum respectu prime gratie conferende extraneo subiecto. primo. quia maius beneficium est conferre aliquid intuitu alicuius inimico, quam idem conferre, eodem intuitu, amico. Secundo. quia adest alia repugnantia in eo quod gratia adoptionis fructificet. in alieno subiecto.

Sed contra, & respondeo est maius beneficium, infinite excedens, nego. finite excedens, nego, unde supposito pacto, vincit

per pactum excessus ille, cum sit finitus, & limitatus. ad secundum respondetur quod repugnantia nulla est in eo quod gratia adoptionis fructificet in subiecto extraneo, ut patet in gratia originali Adamo collata, quę Adamo non peccante fructificaret in posteris, unde licet in casu posito, gratia illa sit phisice propria homini merenti, & capiti, & alij homines sint subiectum phisice extraneo, tamen moraliter illa gratia est intrinsece propria aliorum, & moraliter cęteri homines sunt subiectum intrinsecum gratię, imo & respectu illius hominis cum cęterorum voluntates sint moraliter precontentę ratione pacti in illo homine capite constituto.

Ex dictis iam patet tertia pars nostrę conclusionis, videlicet, quod hęc gratia ab illo homine capite morali, pro alijs condigne promerita, non sit satisfactio condigna pro peccato, licet sit remissiva peccati, & exclusiva illius, & sanctificativa respectu subiecti, cui est promerita. quia ut esset satisfactio pro peccato, erat necessarium quod ęquaret in valore morali gravitatem offensę, sed non ęquat ergo non est satisfactio. maior ex terminis est nota, & minor patet, cum illa gratia sit donum finitum, etiam moraliter & sit valoris finiti in ęstimatione morali, & peccatum sit gravitatis infinitę, ergo non adequat moraliter illa gratia, peccatum in ratione offensę & proinde satisfactio condigna, & ęqualis esse non potest. quod amplius constabit ex solutione primi argumenti quod ocasionem ad rationem dubitandi prębuit, & est in principio propositum, ut argumentum contra secundam partem conclusionis stabilite in articulo pręcedenti.

§. III

Respondetur ad rationem dubitandi

Respondetur enim negando maiorem, seu sequellam, & ad probationem distinguatur maior si mereretur condigne pro alijs extinctionem offensę peccati mortalis, actu adęquante in valore gravitatem offensę, vel si mereretur formam adęquantem in valore morali gravitatem offensę concedo maiorem actu non adęquante, nego maiorem, et distinguo minorem, ponit extinctionem offensę, ponendo formam entitative incompossibilem cum peccato, & ponendo formam illam actu non adęquante in valore gravitatem offensę concedo minorem, actu adęquante gravitatem offensę, & ponendo formam extinguentem offensam, ratione adęquationis in valore ad gravitatem offensę nego minorem & consequentiam.

Ad confirmationem negatur antecedens, & ad eius probationem, distinguo antecedens, inducit in Deo obligationem obligationem ut conferat gratiam mundantem a peccato, supposito pacto, Deo libero, ratione cuius Deus obligatur ad condonandum gratiose offensam, eo quia Deus vult & amat non esse entitatis pecati in qua

conservatur offensa, & a qua offensa dependet in esse, & conservari, concedo antecedens, inducit talem obligationem in Deo eo quia offerat homo ille caput, obsequium aliquod valoris moralis æqualis gravitati offensæ nego antecedens, & consequentiam.

Quam solutionem non infringit comprobatio apposita, seu paritas de gloria in præmium per modum coronæ collata, quia gloria æquatur in valore morali a gratia quæ est principium meriti, & actio meritoria est tanti valoris moralis, ac est gloria, quod non accidit in casu præsenti.

Similiter non infringit solutionem datam probatio consequentiæ, concessa enim maiori, distinguatur minor, non potest Deus exigere satisfactionem ab illo homine pro offensa, quæ iam non est, nec existit; non potest, eo quia ratione pacti ex quo fuit obligatus ad gratiam remissivam peccati conferendam, fuit Deus obligatus ad condonandam liberaliter offensam concedo minorem, eo quia Deo sit præstita satisfactio aliqua condigna, per aliquod obsequium æquans gravitatem offensæ nego minorem, & consequentiam.

§. IV.

Respondetur argumentis, seu fundamentis pro sententia negativa.

Ad authoritatem Angelici Præceptoris desumptam ex 1. 2. q. 114. ar. 6 in corpore respondetur, ibi Angelicum Magistrum loqui de potentia ordinaria, & iuxta præsentem providentiam. & similiter ad alia verba ex 3. p. q. 8. ar. 6.

Similiter eadem solutione respondetur ad verba Pontificis Adriani ad Episcopos Hispaniæ, etenim iuxta præsentem providentiam gratia adoptionis solum fructificat in subiecto proprio, per quod non convincitur quod de potentia absoluta aliter contingere possit.

Secundo respondeo, quod gratia adoptionis dupliciter potest conferri a Deo, vel per obsequium adæquans, vel excedens gravitatem offensæ peccati mortalis, sub qua ratione, etiam esset simul satisfactio pro illo, vel secundo dari potest per obsequium solum adæquans ipsam gratiam adoptionis, quæ conferenda est, quæ alias ex se & ex natura sua est incompossibilis cum peccato mortali, primo modo solus Xptus nobis contulit gratiam, & solum creatura intellectualis quæ simul sit Deus, per unionem substantialem ad personam divinam, potest illam promereri. Secundo autem modo illam creatura pura promereri potest, & hoc de potentia absoluta, non autem iuxta præsentem providentiam. & fuit intentum illius Summi Pontificis Adriani, unde paritas in confirmatione adducta, quæ sumitur ex verbis

ipsius Adriani solum convincit hoc. anlis admissum, nec aliam partem potest extendi etenim ut sic adducta sufficiebat ad intentum Adriani. in illa Epistola.

Et per hoc patet ad argumentum sumptum a ratione maior enim est vera iuxta hanc providentiam. si vero extenditur ad providentiam de potentia absoluta possibilem debet distingui, quia virtualiter continet per modum seminis terminum conferendum, continentia virtuali vel physice, vel morali, concedo maiorem, solum continentia physica nego maiorem, & distinguo minorem sed nulla gratia adoptionis possibilis potest per modum seminis continere gloriam, vel gratiam alijs conferendam, per seminis continentiis physice concedo minorem, per modum seminis continentis vel physice, vel moraliter, nego minorem & consequentiam. Solutio patet ex dictis. nec paritas de semine continentis arborem officit huic solutioni. cum illud solum sit tale physice.

§. V.

Quid dicendum sit circa satisfactionem pro peccato veniali proprio, vel alieno?

Sit conclusio. Purus homo existens in gratia & amicitia Dei, potest per actus ex viribus gratiæ elicitos, & ipsa gratia adoptionis formatos satisfacere de condigno pro peccato propio veniali, & hoc in præsenti providentia. Pro peccato verò veniali alieno, in præsenti providentia non potest etiam per tales actus satisfacere de condigno. at vero de potentia absoluta. potest satisfacere pro illo, etiam de condigno.

Conclusio habet quatuor partes. & quælibet ex dictis videtur manifesta, & propterea probatur quælibet pars. Probatur ergo prima pars. quia ideo homo non potest condigne satisfacere pro peccato mortali proprio. & quia opus a satisfaciente elicitum non supponit dignitatem in eodem subiecto satisfaciente, & quia cum peccatum mortale sit in ratione offensæ simpliciter infinitum, vel in alia sententia, superioris ordinis ad actus a pura creatura eliciendos, & a gratia sanctificante formatos, sed utrumque cessat respectu peccati venialis proprio in homine existente in gratia, & amicitia Dei, quippe suum opus satisfactorium est a subiecto in dignitate gratiæ & amicitiæ Dei existente, & licet opus satisfactorium sit finitum adæquare potest gravitatem peccati venialis in ratione offensæ, cum sit finite gravitatis. ergo purus homo existens in gratia, & amicitia Dei, potest per actus ex viribus gratiæ elicitos. & ab ipsa gratia dignificatos satisfacere de condigno pro peccato veniali proprio, etiam in præsenti providentia.

Secunda autem pars utique contenta in ista prima, videlicet quod non possit satisfacere de condigno pro peccato veniali proprio, quando non est in gratia, & amicitia Dei ~~aeterna~~, est certa, quia pro ut sic est in peccato mortali. in praesenti enim providentia, homo vel est in gratia Dei, vel illam per peccatum mortale amisit. Sed opus elicitum ab homine existente in peccato mortali, licet bonum ex obiecto, & non sit peccatum, & proinde non sit mortiferum, etenim non opus liberum elicitum a peccatore, ut definitum est, non est peccatum, tamen tale opus est mortuum, & non meritorium, ergo non potest esse satisfactio condigna pro peccato ~~mortali~~ veniali proprio.

Tertia autem pars probatur. quia in praesenti providentia, ut docet D. Th. in 4. dist. 20. q. 1. ar. 2. quaestiuncula. 3. ad. 1. & ad. 2. culpa defacto remittitur iuxta dispositionem subiecti, & consequenter omnis satisfactio quae defacto datur pro aliqua culpa, solum fit per actus qui simul disponunt ad gratiam, vel ad eius augmentum subiectum cui culpa remittitur, sed in praesenti providentia actus unius alterius dispositio esse nequit. ergo in praesenti providentia homo iustus non potest satisfacere de condigno pro peccato veniali alterius.

Confirmatur. ex eo quia, ut ex dictis constat, iuxta praesentem providentiam gratia adoptionis non potest fructificare in alieno subiecto. sed si posset satisfactio unius esse condigna pro alio. etiam in ordine ad peccatum veniale, fructificaret in alieno subiecto, ut patet. ergo est quia defacto homo iustus non potest satisfacere de condigno pro peccato veniali alterius.

Ceterum nota primo quod haec ratio solum probat de satisfactione condigna, non autem de congrua satisfactione. de congruo enim unus potest satisfacere pro peccato veniali alterius. unde valde nobis prosunt orationes ~~[illegible]~~ iustorum, & sanctorum ~~[illegible]~~ qui iam facie ad faciem vident divinam essentiam.

Nota secundo, quod pro ~~culpa~~ poena debita pro peccato veniali, & peccato mortali iam remisso, potest unus homo satisfacere pro alio, quia poena debita post remissionem culpae non taxatur iuxta dispositionem subiecti, cum aliquando ille qui sanctior est, & proinde plures gratiae habet, habeat maioris poenae reatum unde licet actus unius alium non disponant possunt satisfacere condigne pro poena temporali debita pro peccato. quae doctrina ~~[illegible]~~ docetur ab Angelico Magistro loco nuper citato ex 4. sent. dist. 20. q. 1. ar. 2. quaest. 3.

Denique ultima pars conclusionis patet. cum ratio ob quam defacto unus non potest condigne satisfacere pro peccato veniali alieno cessetit, de potentia absoluta, ut consideranti patebit.

§. VI.

Corollaria ex dictis circa necessitatem Incarnationis.

Ex dictis infertur. Incarnationem absolute loquendo, non fuisse opus necessarium. cum sit opus ad extra, & omne opus ad extra, est opus Deo simpliciter liberum, & nullo modo ipsi necessarium

Secundo Incarnatio etiam ex suppositione conditi Universi, non fuit necessaria. quia nullam habet essentialem connexionem cum Universo condito. unde potuit Universum existere non existente mysterio Incarnationis.

Tertio. Incarnatio non fuit simpliciter necessaria ad reparandum hominem a peccato. quia potuit Deus aliter hominem a peccato liberare. nimirum, illud misericorditer condonando, & nullam exigendo satisfactionem

Quarto non fuit Incarnatio simpliciter necessaria ad remissionem peccati mortalis, dummodo talis remissio non esset simul satisfactio condigna. quia de potentia absoluta purus homo in gratia constitutus caput morale aliorum potuit aliis mereri remissionem peccati; merendo nimirum gratiam mundantem a peccato.

Fuit ergo Incarnatio simpliciter necessaria ex suppositione quod Deus voluisset liberare hominem a peccato per satisfactionem condignam & rigorosam ad quam exigendam ius habebat Divina iustitia lesa per peccatum. etenim ut ex dictis constat nulla satisfactio puræ creaturæ, etiam attenta potentia absoluta poterat adæquare gravitatem offensæ peccati mortalis.

Ceterum nota quod Incarnatio quæ ad hunc effectum dicitur quod est necessaria simpliciter, non est Incarnatio stricte accepta, prout determinate dicit Verbum Divinum assumere naturam humanam determinate hanc numero, sed Incarnatio quæ simpliciter necessaria dicitur, est late accepta, prout dicit unam personam Sanctissimæ Trinitatis, sive esset Pater, sive Filius, sive Spiritus Sanctus, sive etiam omnes simul assumerent aliquam naturam intellectualem sive Angelicam, sive humanam. Quia opus satisfactorium elicitum a quolibet supposito ex his, in quacumque natura intellectuali, esset infiniti valoris, eodem modo ac est modo satisfactio Xpti Domini, unde esset condigna satisfactio pro offensa irrogata Deo.

Vlterius infer. Convenientius fuisse Filium Dei incarnari quam Patrem vel Spiritum Sanctum. primo, quia Vnio est similium: Filius autem est imago, unde ratio similitudinis est ipsi propria. Secundo, quia opera artis per eamdem ideam debent reformari, per quam formata sunt, & homo factus est per Verbum iuxta illud omnia per ipsum facta sunt. Tertio. quia ut dicit Guitmundus Aversanus Episcopus in confessione de Sancta Trinitate: * Quoniam mortuus est homo per insipientiam, oportuit eum vivificari per Sapientiam. Incarnata est igitur Dei Sapientia, ut deleretur hominis insipientia.* unde cum Filius sit conceptus divinæ Sapientiæ, convenientius fuit Filium incarnari. Quarto. Incarnatio facta fuit ad constituendos homines filios Dei adoptivos quod congruentius fit per Filium naturalem. Quinto quia incarnatio facta fuit in remedium peccati primi Parentis, qui peccavit appetendo scientiam, unde conveniens fuit ut per Verbum veræ Sapientiæ & quod est ipsa vera Sapientia, homo reduceretur in Deum, qui est vera Sapientia. Has quinque congruentias affert D. Th. in hac. 3. p. q. 3. ar. 8. quas desumpsit ex Patribus.

Aliam rationem assignant Sancti Patres. ne nomen filij transiret ad alias personas Sanctissimæ Trinitatis, & originaretur confusio. ita Genadius lib. de dogmatibus Ecclesiasticis cap. 2. & D. Bernardus serm. 2. de Adventu.

Inferes denique convenientius fuisse naturam humanam assumi, quam Angelicam. Primo quia natura humana erat reparanda, ergo convenientius debuit reparari per actus humanos divinos. seu humano divinos. Secundo. quia magis debuit provocare divinam misericordiam natura imbecillior, & quæ per suam fragilitatem peccaverat. Tertio quia Angeli immobiliter adhærent obiecto, quod semel appetierunt, unde reparabiles non sunt ex sua natura.

DISPUTATIO TERTIA DE
Incarnationis motivo.

Articulus primus.

Utrum Verbum Divinum factum fuisset Homo ex vi præsentis decreti, Adamo non pecante?

§ I.

Aperitur sensus quæstionis, & referuntur sententiæ.

Consulto in quæstionis titulo posita est illa particula: *Ex vi præsentis decreti*, ad denotandum dubium præsens solum procedere circa illud quod defacto esset, si Adamus non peccasset, quia ut notat D. Tho. in hac q. 1. ar. 3. nulli dubium est Deum potuisse carnem assumere, et hominem fieri nullo existente peccato, quandoquidem Incarnatio Divini Verbi ex suis prædicatis intrinsecis nullam connexionem habet cum peccato. Et aliunde cum potentia Dei limitata non sit neque alligata ad hunc, vel ad alium finem poterat Deus propter alium, vel alios fines sibi cognitos hominem fieri, et habere alia decreta, cuius indagatio nostri non est ut colligitur ex Ap. ad Rom. 11. Quis enim cognovit sensum Domini? = Solum ergo procedit difficultas præsens ex vi præsentis decreti? videlicet: An supposito decreto quod Deus defacto habuit circa Incarnationem, venisset Christus Adamo non peccante? quod est idem ac inquirere: Utrum decretum efficax quod defacto Deus habuit circa Incarnationem sit connexum, connexione utique libera, cum decreto permissivo peccati Adami?

Præsentem quæstionem, utique celebrem, celebriorem faciunt duæ sententiæ e regione oppositæ, quæ præcipue in hac parte circumferuntur. = Prima est Scoti in 3 dist. 7. q. 3. = et dist. 19. q. unic. quæ docet: Venturum Christum ex vi præsentis decreti, Adamo non peccante. = Ad quam sententiam stabiliendam duplex decretum cognoscit Scotus in Deo, Primum terminatum ad substantiam Incarnationis secundum se; secundum terminatum ad substantiam proximæ passibilitatis, et asserit ex vi primi decreti Christum venturum fore in carne impassibili, et immortali; ~~[illegible]~~ Adamo non peccante, et ex vi secundi venisse in carne passibili, prævisso peccato Adami. Scotum sequuntur eius discipuli. ~~[illegible]~~ tenent etiam hanc affirmativam sententiam Alensis. 3. p. q. 3. memb. 13. Caterinus. lib. 1. de eximia Christi prædest. Faber. in 3. dist. 7. q. 3. et ex Patribus Societatis tenent hanc eandem sententiam Suarez 3. p. disp. 5. sect. 5. Puente Hurtado. disp. 13. sect. 12. et alij

Secunda sententia extreme opposita est D. Th. in 3. dist. 1. q. 1. ar. 3. & q. 29. de Verit. ar. 4. ad 3. & 1. Ad Thimotheum 1. Lect. 4. & ex professo in hac 3. p. q. 1. ar. 3. unde ista sententia negativa, nullum cognoscit in voluntate divina decretum, ~~[illegible]~~, ~~[illegible]~~, efficax divinae voluntatis, circa Incarnationem Verbi non connexum cum peccato Adami, seu cum decreto permissivo peccati Adami, illudque inferens, vel supponens in aliquo genere causae, ac proinde ex vi praesentis decreti Verbum divinum incarnandum non fore Adamo non peccante. = Angelicum Magistrum sequuntur eius discipuli tam antiqui, quam moderni, unde tenent hanc sententiam Capreolus. in 3. dist. 1. q. unic. Ferrara 3. contra gen. cap. 55. Caietanus. in hac 3 p. q. 1. ar. 3. Ex modernis Illust. Godoy 3. p. q. 1. disp. 8. per tot. Noster M. Parra. in praesenti disp. 1. q. 7.

§. 11.

Statuitur conclusio D. Thomæ.

Nostra conclusio est secunda supra relata sententia Divi Thomae, & omnium Thomistarum communis. dicimus ergo, quod ex vi praesentis decreti Christus non veniret nec fieret homo, Adamo non peccante, ac proinde quod de facto nullum fuit in divina voluntate decretum vel non connexum cum decreto permissivo peccati Adami, illudque inferens, vel non supponens in aliquo genere causae praedictum decretum permissivum peccati Adami. Probatur nostra conclusio ratione qua in praesenti utitur D. Th. quia decretum divinum circa Incarnationis existentiam, cum sit supra debitum naturae, & sit actus liber divinae voluntatis nullo alio modo potest nobis innotescere nisi per revelationem ex scriptura, Patribus, et concilijs, sed quoties cumque Scriptura, Patres, & concilia loquuntur de hoc decreto, explicant connexionem illius cum decreto permissivo peccati Adami, illudque inferens, vel supponens, ergo ~~[illegible]~~ ex vi decreti quod de facto Deus habuit circa Incarnationem, Verbum carnem non assumeret Adamo non peccante. caetera patent, & probatur min. quoties cumque Scriptura, et Patres loquuntur de decreto quod Deus habuit de facto circa Incarnationis existentiam, explicant ut motivum Dei ad efformandum illud decretum, ut Incarnatio sit remedium peccati, Christusque sit Redemptor humani generis infecti cum peccato origali, sed eo ipso decretum de Incarnationis existentia vel est connexum cum decreto permissivo peccati Adami, & illud infert, vel supponit decretum permissivum peccati in aliquo genere causae, ergo quoties cumque Scriptura, Patres, & concilia loquuntur de decreto circa Incarnationis existentiam explicant connexionem illius cum decreto permissivo peccati Adami, vel illud supponens. caetera patent. & solum maior indiget probatione, quae quoad suas partes probatur. Probatur ergo primo ex scriptura. Math. 18. & Lucae 19. dicitur: Venit Filius hominis quaerere, & salvum facere quod perierat. Lucae 5. Non egent qui sani sunt Medico sed qui male habent, non veni vocari iustos, sed peccatores ad poenitentiam. = Joann. 3. sic Deus dilexit mundum, ut filium suum Unigenitum daret, ut omnis qui credit

in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam: non missit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum == Ap. 1. ad Thimot. c. 1. Christus Jesus venit in mundum peccatores salvos facere. ergo quotiescumque Scriptura loquitur de decreto quod Deus habuit circa Incarnationis existentiam explicat pro motivo Dei ad formandum istud decretum, ut Incarnatio sit remedium peccati.

Secundo probatur eadem maior ex Concilijs præcipue Nicæno in Symbolo fidei ubi dicitur. Qui propter nos homines, et propter nostram Salutem descendit de cælis, et Incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine: et Homo factus est. = ergo idem

Tertio probatur ex Sanctis Patribus Aug. Serm. 8. de Verbis Dni sic ait: Si Homo non peccasset Filius hominis non venisset. et Serm. 9 sequenti, ut habetur in Glosa ad illa verba Pauli 1. ad Thimot. c. 1. Christus Jesus venit peccatores salvos facere: ait Sanct. Doct. Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere, tolle morbos, tolle vulnera, nulla est medicinæ causa. = Ambrosius. lib. de Incarnationis Dominicæ Sacramento sic habet: quæ erat causa Incarnationis, nisi ut caro, quæ peccaverat redimeretur? Athan. oratione 3. contra Arrianos: Quod autem Filius Dei Homo factus est numquam accidisset nisi hominum necessitas causam præbuisset. = Irenæus lib. 5. adversus hæreses. cap. 19: Si non haberet caro salvari numquam Verbum Dei caro factum esset. Leo Papa serm. de Nativit. Si Homo ad imaginem, et similitudinem Dei factus in suo honore permansisset, nec diaboli fraude deceptus a lege sibi posita, per concupiscentiam deviasset, Creator mundi creatura non fieret. Cyril. Alex. dialogo. 5 de Trinit. circa medium: si non peccassemus, neque factus esset nobis similis Filius Dei. Petrus Cellensis Abbas in lib. de Panibus c. Non inclinaret Cælos partus Virgineus, si pomum prohibitum non contingeret Evæ lactus temerarius. Rupertus Abb. de operibus Spiritus Sancti cap. 6. cum Christo aloquens ait: Et siquidem multum tibi debemus nos Deus Christe, quia homo factus es, at tu e contra multum nobis debes homo Christe, quia propter nos in Deum assumptus es, nam nisi fuissemus peccatores causa cur tu assumi in Deum deberes nulla fuisset. ergo ex Patribus convincitur veritas illius nostræ propositionis.

Denique probatur eadem maior ex verbis Sanctæ Matris Ecclesiæ, quæ continentur in Exultatione ad quam invitat per Diaconum in Sabbato maioris hebdomadæ, vocatur enim ibi peccatum Adæ quid necessarium ad existentiam videlicet Incarnationis, dum dicit: O certe necessarium Adæ peccatum; ad quid enim aliud fuit illud peccatum necessarium, nisi ut Deus fieret homo, et rursus ibidem fœlicem denominat illam culpam, eo videlicet quia causa fuit habendi Redemptorem. Si enim de facto alia esset causa veniendi Christo, etto in carne impassibili non deberet decantari culpa ut felix causa, sed potius ut infelissima, siquidem causa fuisset ut de impassibili, immortali, et glorioso, passibilis, et mortalis fieret, opprobium hominum, et abiectio plebis. ergo motivum unicum quod agnoscit Ecclesia ad decretum circa Incarnationis existentiam, est remedium peccati.

apponatur ista secunda ratio, tertio loco, & quæ est tertio loco apponatur hic, in secundo loco.

§. III.

Tertio ~~secundo~~ aliter formatur nostræ conclusionis ratio.

Quia omne decretum de facto existens in Deo circa existentiam Incarnationis, est connexum ex libera Dei voluntate, cum decreto permissivo peccati Adami, ergo de facto non veniret Christus ex vi præsentis decreti Adamo non peccante. consequentia patet, quia de facto venit Christus ratione decreti existentis de facto in Deo ergo si omne decretum de facto existens in Deo circa Incarnationis existentiam est connexum ex libera Dei voluntate cum decreto permissivo peccati Adami, de facto non veniret Christus Adamo non peccante, deficiente enim termino connexionis alicuius decreti, & deficere decretum necesse est. antecedens autem probatur. quia omne decretum de facto existens in Deo circa Incarnationis existentiam est decretum respiciens Incarnationem ut remedium peccati, sed omne decretum respiciens Incarnationem, ut remedium peccati, est connexum cum decreto permissivo peccati, ergo omne decretum de facto existens in Deo circa Incarnationis existentiam est connexum ex libera Dei voluntate cum decreto permissivo peccati. cætera patent, & maior quæ probatur indiget probatur. ex dictis in probatione antecedentis, tum ex scriptura, tum ex Ecclesia, tum ex Nicæna synodo. & tum ex Patribus.

§. IV. ista apponatur ante, & anterior = apponatur hic =

Secundo ~~tertio~~ aliter efformatur conclusionis probatio.

Quia omne decretum ~~[illegible]~~ de facto existens in Deo circa Incarnationis existentiam, est decretum supponens prævisionem peccati Adami, & ex illa prævisione motivum sumens ad sui efformationem, hoc est, ad efficaciter intendendum existentiam Incarnationis, ergo Adamo non peccante Christus de facto non veniret, consequentia patet, & antecedens probatur. eadem probatione qua probatur antecedens, primum, in præcedenti probatione assumptum, = licet duæ probationes in prima luce videantur eadem revera toto cœlo discrepant, & fundantur in diverso modo constituendi decreta Dei, ut ex dicendis clarius constabit, at illas notare volui pro stabilienda solutione ad fundamentum principale Scoti, quod solvemus duplici via, iuxta hos duos ultimos modos probandi nostram conclusionem.

§. V.

Quarto aliter formatur probatio conclusionis.

Quia Incarnatio facta fuit, vel de facto fienda foret ex vi decreti efficaciter intentivi, de facto existentis in Deo. sed decretum de facto existens in Deo efficaciter intentivum incarnationis est circa Incarnationem ut modo est facta, scilicet in carne passibili, & ex vi præsentis decreti Incarnatio non fieret Adamo non peccante. maior constat, quippe, si dicatur fore tunc casus aliud decretum, & est mera divinatio, & est exire limites quæstionis, quando quidem solum disputatur de Incarnatione, an esset vel non esset ex vi præsentis decreti de facto existentis in Deo. unde solum restat probanda minor, quæ sic probatur. quia decretum existens de facto in Deo efficaciter intentivum Incarnationis, vel

est circa Incarnationem determinate in carne passibili, vel determinate in carne impassibili, vel præscindendo amodo passibilitatis vel impassibilitatis, si dicatur hoc ultimum est quid repugnans, & impossibile. Si dicatur secundum est falsum, ergo dicendum est necessario primum, proindeque decretum de facto existens in Deo efficaciter intentivum Incarnationis est circa illam, ut modo est facta, ac per consequens de facto non veniret Christus ex vi præsentis decreti Adamo non peccante.

Caetera patent, & probatur minor quoad partem in qua dicit falsum esse quod decretum efficax de facto existens in Deo circa Incarnationem fuit circa ipsam in carne passibili, & facile probatur quia vel Incarnatio de facto facta fuisset in carne impassibili, quod est contra fidem Passionis, & mortis Domini nostri Iesu Christi, vel de facto fuisset mutatum efficax in aliud efficax circa Incarnationem in carne passibili, vel illud decretum non habuit intentum & mansit inefficax quod utrumque est contra fidem tum immutabilitatis divinæ voluntatis, tum efficaciæ ipsius, quandoquidem omnia quæcumque voluit fecit, ut dicit Prophetæ Reg. Psal. 113. ergo falsum est dicere quod illud decretum efficax quod de facto habuit Deus circa Incarnationem terminatum fuit ad illam ut in carne ~~pass~~ impassibili.

Iam ergo probatur eadem minor quoad aliam partem, quia decretum efficax divinæ voluntatis, cum sit volitio efficax perfectissima terminari debet ad obiectum determinatum non in confuso, quippe respicere debet Incarnationem non præcisive, & in abstracto, sed determinate & in concreto seu ut causans existentiam in obiecto alias efficax non esset. ergo decretum efficax circa Incarnationem terminari ad ipsam sub præcisione passibilitatis, vel impassibilitatis, est quid repugnans, & impossibile. = Secundo probatur eadem pars, quia intelligere, & velle aliquod obiectum in communi, & in confuso & postea in particulari, est imperfectio quæ solum habet locum in intellectu, & voluntate creata. ergo idem. = 3º quia in actibus divini intellectus, & divinæ voluntatis non reperitur ordo prioris, & posterioris, nisi ratione obiectorum, ita ut terminare passivum unius, sit ratio apriori terminationis passivæ alterius. ut patet in decreto intentivo gloriæ ut coronæ, & in decreto electivo mediorum, quæ ideo habent ordinem inter se, quia obiecta comparantur in ratione causæ, & effectus, sed Incarnatio sub illa præcisione, non est causa Incarnationis quæ de facto fuit, ergo repugnans & impossibile est decretum efficax circa Incarnationem sub illa præcisione. — Denique probatur eadem pars minoris. Nam quia Prædestinatio, ~~quæ~~ est actus divini Intellectus connotans decretum efficax divinæ voluntatis, Prædestinatio qua Deus ordinat creaturam intellectualem ad gloriam ut coronam non respicit gloriam in abstracto, & in confuso, sed in gradu, & mensura, qua de facto prædestinatus fruetur proindeque requirit non respicere omnes circumstantias, ut dicitur ad tractatum de Prædest. ergo deprimus ad ultimum quod illud decretum respiciens sub illa præcisione Incarnationem, est quid repugnans & impossibile.

Ex qua doctrina manet exclusa sententia quædam specialis N. R.mi & D.mi P. Aversa qui conciliare volens sententiam D. Th. & Scoti, asserit fuisse in voluntate divina duplex decretum circa Incarnationem & utrumque efficax, aliud primum scilicet circa Incarnationem seu assumptionem naturæ intellectualis ad esse personale divinum præscindens hoc decretum ab eo quod esset natura Angelica, vel humana, quæ assumenda esset ad ordinem hypostaticum, & similiter præscindens hoc decretum a Personis divinis, an videlicet qui assumpturus esset naturam intellectualem ad ordinem hypostaticum, vel futurus foret hic Deus, prout communis tribus, vel Pater, aut Filius, aut Spiritus Sanctus, proindeque hoc decretum primum, seu in primo signo intellectum, solum vult & amat excellentiam mysterii Incarnationis secundum suam substantiam, quatenus amabilior præ omnibus operis ad extra, & conducentior ad manifestandam gloriam Dei, & ad suam bonitatem communicandam excellentiori modo possibili: quod decretum nullo modo supponit præviomodo decretum permissivum peccati Adami — Aliud autem, secundum scilicet, in secundo signo intellectum, docet terminatum fuisse ad Incarnationem eo modo quo facta fuit, determinate in hac natura humana Christi, & decernendo efficaciter quod Filius, & non alius illam in unitate Personæ assumeret. Et hoc ~~quo dicendi modo stabilito sibi videtur conciliasse utramque sententiam quandoquidem~~ secundum decretum, docet iste Sapientissimus, quod supponit peccatum Adami, & decretum permissivum illius; — quo dicendi modo stabilito, sibi videtur conciliasse utramque sententiam, quandoquidem ex illa sequitur hunc hominem Christum non venturum fore Adamo non peccante, ut docet Angelicus Magister, & omnes ex sua Angelica Schola, at vero Adamo non peccante venturum fore alium Christum vel istum impassibilem,

Manet inquam exclusa hæc doctrina, & hic dicendi modus, ut patet ex dictis, quandoquidem nec intellectus nec voluntas divina potest res attingere in illa præcisione, & abstractione, unde iste dicendi modus communiter reiicitur, quia tantum abest quod utramque sententiam conciliet, quod potius instituit aliam tertiam utrique contrariam, & insuper est divinatoria cum nullum vestigium illius detur in Sacris litteris, imo est repugnans, & impossibilis ut paulo ante probatum relinquimus.

§ VI.
Proponitur Solutio Scotistarum & impugnatur.

Ad prædicta fundamenta pro stabilienda conclusione Angelici Magistri, & Thomistarum omnium, efformata respondere connantur Scotistæ

prædicta testimonia tum Sacræ paginæ, tum Conciliorum, tum Sanctorum Patrum in quibus firmatur ratio pro nostra conclusione stabilienda efformata loqui de adventu Christi in carne mortali, et passibili, seu loqui de Christo ut Redemptore sub qua formalitate non veniret Christus, Adamo non peccante, at vero non loqui de adventu Christi in carne impassibili, et immortali, in qua veniret Christus Adamo non peccante unde veniret ut Caput hominum, et Angelorum per derivationem gratiæ adoptivæ in ipsos: unde et veniret ut consumator gloriæ.

Hæc solutio est unicum confugium et asilum pro tuenda ista Scoti, et suorum discipulorum sententia, verum multipliciter impugnatur. primo. Argumento Patris Vazquez, qui optime arguit contra istam solutionem, quia id quod fieri potest duobus modis ex eo præcise quod uno modo non fiat, non dicitur absolute, et simpliciter non fieri, cum absoluta negatio omnem modum fiendi excludat, sed Sacræ paginæ testimonia, et Sanctorum Patrum loquutio absolute, et sine addito pronuntiant: non venturum fore Christum Adamo non peccante, ergo Adamo non peccante nullo modo veniret, ergo prædicta solutio consonans non est Sacris litteris, et Patribus.

Confirmatur. Si aliquis Rex absolute et simpliciter affirmaret, se non venturum in præsenti anno in Italiam v.g. et postea in hoc præsenti anno veniret etsi ambulandi causa illa sua propositio absolute esset falsa, etsi posset respondere animum suum fuisse explicare se non venturum fore cum armis et expugnationis motivo, ergo est quia propositio negativa absolute, et simpliciter prolata omnem modum fiendi negat.

Confirmatur 2° ex doctrina, et regulis dialecticæ, quia in dialectica docetur, et quod negatio est malignantis naturæ, et totum quod post se invenit negat, et quod propositio indefinita æquivalet universali, sed ista propositio: Christus non veniet Adamo non peccante, est negativa, et est indefinita, ergo negat prædicatum scilicet adventum totaliter, et illud universalizat, tunc sic, sed ut iacet continetur in Sacris litteris, et in Patribus vel saltim evidenti infertur illatione logica, quæ illam conclusionem theologicæ constituit, ergo affirmatio alicuius adventus Christi in carne passibili, vel impassibili repugnat Sacris litteris et Patribus.

Rursus impugnatur prædicta solutio, hæc propositio: Christus veniet aliquomodo Adamo non peccante, est contradictoria in sensu rigoroso huic alteri: Christus nullo modo veniet Adamo non peccante sed ista universalis subiectis terminis pronuntiatur a D. Augustino, et a Sancto Yrenæo, ut videre est in testimoniis pro nostra conclusione allatis, et particularis affirmativa est sententia Scoti, et discipulorum eius. ergo hæc solutio Scoti opponitur contradictorie Patribus, imo et Sacris litteris.

Rursus impugnatur, quia prædicta Scoti solutio opponitur, contradictorie saltim virtualiter testimoniis

Sacræ paginæ, q° sustineri nequit. ans probatr. hæc propositio Non veni vocari iustos, sed peccatores est immediate prolata a S. Luca in Evang. c. 5. S.d in casu quo veniret in carne impassibili, & non peccasset Adamus, nec fuisset peccatum, veniret Christus, & non vocare peccatores q° videtr quod oppo nitr contradictorie saltim virtualiter Sacris litteris.

Urgentius rursus impugnatur prædicta Solutio. quia Si ut docet Scotus, & alij ex sua schola, Patres, vere potue runt proferre absolute, Christum non venturum fore. Adamo non peccan te, quia videlicet non erat venturus in carne passibili, q° vere poterit aliquis proferre absolute Christum non venturum fore iudicare vivos & mortuos, ad iudicium generale. probat consequentia, quia poterit dicere se affirmare Christum non venturum fore ad iudiciū generale iudicare vivos & mortuos, in carne mortali, & passibili; S.d cum gloria venturum fore. S.t illa propositio absolute non potest proferri, q° neque illa ex qua sequitur.

Rursus. Et urgentius, impugnatur prædicta Solutio, quia si prædicta solutio esset vera, sequeretur, esse veram hanc propositionem: Verbum Caro factum non est = et sequeretr esse etiā verā istam: Et Homo factus non est. quod esse falsissimū, immo & hæreticū, constat. Sequela probatur, quia ut docet Scotus Patres vere potuerunt dicere, quod Christus non veniret Adamo non peccante, quia non veniret in carne passibili. scilicet non veniret uno ex duobus modis quibus poterat venire. S.d de facto uno modo quo Christus poterat fieri Caro, & homo, non fuit factus Caro & homo, scilicet in carne impassibili, ergo vere posset affirmari Verbum Caro factum non est, & Homo factus non est.

Deniq impugnatr prædicta solutio. quia ex illa sequitur quod Incarnatio quoad substantiam non sit propter nos homines, & propter nostrā salutem. Sed solum quoad circumstantiam passibilitatis, quod videtr pias aures offendere, quandoquidē Joann. c. 3. dicit Sic Deus dilexit mundū ut filiū suū unigenitum daret, non dicit quod sic Deus dilexit mundū, ut filiū suum qui alias venturus erat in carne impassibili, in carne passibili daret. Sequela vero prob. quia etiā Adamo non peccante Deus daret filiū suū in carne impassibili q° solū propter nos homines & propter nostrā salutē induit passibilitatem. quod non videtr dicendū, conformiter ad Sacræ paginæ, & Sanctorū Patrū testimonia.

Quod expresse inter alios aureis verbis docet Chrisostomus serm. 1. Pentecostes. ubi enumerando naturalia, & supernaturalia a Deo facta, omnia esse propter Ecclesiā statuit. En verba Chrisostomi Deo chara est Ecclesia, propter Ecclesiam enim extensum est cœlum. diffusum est mare, extensus aer, fundata terra, propter Ecclesiam pelagus scindebatur, findebatur petra, fluebat manna de Cœlo,

Propter Ecclesiam Prophetæ, Propter Ecclesiam Apostoli, imo propter Ecclesiã Unigenitus Dei factus est homo. in quibus verbis videtur docere quod propter Ecclesiã substantia cœlorum, et Elementorum, facta est, et cum alioquin eodẽ tenore verborum loquatur de adventu Christi, videtur docere quod ipsa substantia Verbi Incarnati est propter Ecclesiam.

§. VII.

Proponitur fundamentum apriori pro sententia Scoti, et sit primum argumentum.

Ratio fundamentalis, et apriori pro sententia Scoti tuendam, his vel alijs terminis, potest efformari. Decretum efficax quod de facto fuit circa Incarnationem, et Prædestinationem Christi, fuit pro priori ad prævisionem peccati Adami; ergo Christus veniret etiam Adamo non peccante, consequentia patet. si enim adventus Christi habuisset pro motivo adæquato liberationem a peccato, decretum efficax circa Incarnationem supponeret pro aliquo signo prævisionem peccati. ut patet. Antecedens autem probatur. decretum efficax circa Incarnationem fuit pro signo priori ad decretum producendi creaturas, sed decretum efficax permissivum peccati, est decretum supponens pro aliquo signo decretum efficax producendi creaturas, ergo decretum efficax circa Incarnationem, et Prædestinationem Christi fuit pro priori ad prævisionem peccati, seu ad decretum permissivum peccati. minor est evidens quippe decretum efficax permissivum peccati supponere debet decretum de productione creaturæ quæ est commissura peccatum. et consequentia est bona, unde solum restat probanda maior in qua est difficultas.

Probatur ergo 1º. ex illo Prov. 8. Dominus possedit me in initio viarum suarum antequam quidquam faceret a principio. qui textus, et si ab aliquibus intelligatur de Sapientia Increata; tamen a pluribus intelligitur de Sapientia Incarnata. sic illum intelligunt: Basilius, Athanasius, Nazianzenus, Chrisostomus, Augustinus. Ambrosius. Hilarius, et alij. ergo Christus fuit initium viarum Domini, seu operum ad extra, tunc sic 3º. non fuit initium in linea executiva, ut patet, ergo fuit initium in linea intentiva, ergo decretum efficax intentivum Incarnationis fuit pro priori ad omne decretum intentivum creaturarum.

Secundo probatur eadem maior ex illo Pauli ad Colos. 1. ubi loquendo de Christo dicit quod est Primogenitus omnis creaturæ. quod necessario venit intelligendus de Christo prout terminat decretum intentivum, ergo istud efficax decretum intentivum Christi est prius pro aliquo signo quam decretum efficax productivum creaturarum.

Sextio probari potest eadem maior ex illo Ioann. 1. omnia per ipsum facta sunt, sed omnis causa prior est effectu, ergo Incarnatio prior est creaturis, non in executione, ut patet; ergo in intentione, ergo decretum efficax productivum creaturarum supponit pro aliquo signo decretum efficax intentivum Incarnationis, pro indeque etiam Adamo non peccante Christus veniret.

Denique probatur eadem maior ratione, quia omnis ordinate volens qualis utique est Deus prius vult perfectiora, et proximiora ad finem ultimum, manifestandi videlicet sua attributa ostendendi gloriam suam, et participationem suae bonitatis, quam imperfectiora, et remotiora ad hunc finem, Sed Incarnatio est perfectior prae omnibus operibus ad extra, et aliunde proximior ad praedictum finem; ergo prius fuit amata, et intenta efficaciter a Deo, ac pro inde etiam Adamo non peccante veniret Christus.

§. VIII.

Modus dicendi P. Suarez ad hoc argumentum refertur, et impugnatur.

Pater Suarez, qui absolute tenet sententiam Scoti, et alii cum eodem Suario, ut ab argumentis Thomistarum, ex Sacra pagina, et Patribus desumptis se expediant docent quod in primo signo Deus suo decreto efficaci, voluit Incarnationem Verbi divini, propter excellentiam huius mysterii, et in hoc primo signo non praecessisse praevisionem peccati absolute, unde ex vi decreti efficacis huius signi veniret Christus Adamo non peccante. = Et postea in alio signo subsequenti praevidens Deus absolute futurum peccatum Adae, inficiens naturam humanam. alio decreto efficaci intentivo voluit eamdem Incarnationem quo ad substantiam ob remedium peccati, ita ut quodlibet decretum ex his fuisset efficax, et adaequatum motivum ut veniret Christus, solum cum hac differentia quod in vi primi, veniret, Adamo non peccante, non ut Redemptor; et in vi secundi, ut Redemptor veniret, Adamo non peccante.

Et si Suario, suisque asecliis opponatur quod ex sua doctrina sequitur eumdem effectum habere duas causas finales adaequatas, et in subordinatas, Respondent concedendo sequelam. et assignat Suarez exemplum ad probandum non implicare eumdem effectum provenire a duplici, causa finali adaequata, ut si aliquis Rex vellet efficaciter mittere Filium suum in Italiam v. g. ob aliquem finem efficacem, praestandi obedientiam v. g. Pontifici, et postea conscius factus idem Rex de necessitate gravi alicuius sui Charissimi Amici, qui indiget suo adiutorio; ob quam necessitatem succurrendam etiam mitteret filium suum, in Italiam, tamen movetur ex duplici motivo ad mittendum in Italiam filium suum.

Sed hic dicendi modus displicet communiter, etiam propriis ex sua familia, et merito quidem, quia ut docetur in Phylosophia, et Methaphisica, implicat eundem numero effectum provenire a duplici causa totali et adequata finali; quae implicantia in nostra, et communi Thomistarum sententia, etiam est talis, de potentia absoluta, et in aliorum sententia ad minus naturaliter repugnat, sicut repugnat eundem numero effectum provenire a duplici causa efficienti totali, et adequata, et similiter a duplici causa formali, vel materiali, totali et adequata. Sed de divinis decretis theologizandum est iuxta providentiam communem, connaturalem, et conformem naturis rerum, quando aliter non est revelatum, ergo admittendum non est quod Incarnatio facta fuisset propter duos fines totales. Nec exemplum adductum a Suario, ipsi iuvat quia in illo casu, Rex ille naturaliter movetur a duplici illo motivo ad Filium suum in Italiam mittendum. Et si quodlibet motivum esset causa finalis adequata, iam naturaliter et iuxta communem ordinem rerum idem effectus a duplici causa finali adequata dependere posset. quod adversatur rationi in omnium sententia. imo si posset sic evenire idem effectus a duplici causa totali adequata, posset creatura simul habere duos ultimos fines adequatos, videlicet Deum et creaturam aliquam, unde eadem actio esset actus meritorius vitae aeternae, et peccatum mortale dignum poena aeternae. ergo Rex ille qui movetur a duplici illo motivo, movetur a quolibet inadequate, quia unum alteri ordinat, et subordinat adinvicem, quod in Deo locum non habet ratione suae infinitae immutabilitatis. Secundo impugnatur iste modus dicendi. quia alias non esset sincerus modus loquendi Scripturae, quatenus asserit, quod misit Deus filium suum propter nos homines. et propter nostram salutem, quando quidem esset alia principalior causa illius missionis.

§. IX.

~~[illegible]~~

Instatur argumentum, pro sententia Scoti factum.

Antequam diluamus argumentum Scoti, quod et Aquila pro sua sententia scandaloso magni aestimatur, placet illud manifeste, ne dicam, quasi ad evidentiam, instare. quia si ratio apriori efformata a Scoto efficaciter probaret intentum, convinceret etiam quod veniret Christus saltim in carne impassibili, etiam universo non existente, neque aliqua creatura illius, sed hoc secundum nec erit sententia Scoti, nec illud defendere audivi per triginta annos in circa, nec legi aliquando, ergo nec primum convincit. Sequella probatur. quia tota vis, et efficacia in ratione apriori Scoti fundatur in eo quod decretum efficax intentivum Christi est prius pro aliquo signo, quam decretum permissivum peccati, et quam praevisio peccati; sed etiam est prius omni decreto efficaci intentivo creaturarum,

imo ideo probatur in sententia Scoti esse prius decretum intentivum Christi, quam decretum permissivum peccati, seu quam peccati praevisione quia decretum efficaciter intentivum creaturarum, est prius pro aliquo signo, quam praevisio peccati, ergo etiam veniret Christus saltim in carne impassibili universo non existente, nec aliqua creatura illius.

Secundo instatur, quia si argumentum Scotistarum efficaciter convinceret suum intentum, convinceret quod veniret Christus de facto ut de facto venit in carne mortali, et passibili, universo non existente, nec aliqua creatura illius existente, sed hoc secundum non dicunt Scotistae, ergo est quia sua ratio non convincit intentum. Sequella probatur, quia tota ratio, et vis et efficacia argumenti Scotistarum fundatur in illa prioritate quam gaudet decretum efficax intentivum Christi, prae creaturis, quam prioritatem probat ex testimoniis Sacrae paginae, adductis, sed decretum intentivum Christi, de quo loquuntur testimonia illa, est decretum intentivum Christi reduplicative ut in carne passibili, et Christi reduplicative ut Redemptoris, quando quidem Christus etiam ut redemptor actualis est mihi viarum domini, et Primogenitus creaturarum, ergo si ex illis testimoniis convincitur Christum venturum fore Adamo non peccante, ex illis etiam convincetur eadem efficacia, venturum Christum ut Redemptorem, et in carne passibili universo non existente, et nulla existente creatura. Minor patet. nam illa testimonia loquuntur de Christo qui de facto est, non de Christo ut est phantasiato ab Scotistis.

Instatur 3.o quia Christus efficaciter intentus pro illo priori ad decretum efficax intentivum creaturarum, sive sit Christus in carne impassibili, sive in carne passibili, sive praescindendo pro illo signo a modo carnis in qua foret incarnandus, intelligitur ut caput morale Praedestinatorum omnium, per derivationem scilicet gratiae adoptivae et perfectivae hominum, et Angelorum, et tamen pro illo signo esto non sit decretum aliquod efficax circa productionem hominum et Angelorum, dari debet vel connexio inter decretum efficaciter intentivum Christi, et decretum efficax intentivum hominum et Angelorum, vel sufficiens praecedentia hominum, et Angelorum ad Christum, ut Christus possit intelligi ut caput per derivationem gratiae adoptivae et sanativae, cum intelligibile sit quod praecedere non debeat materia perficienda formam perfectivam, ut instat contra nos quando ex eo quod peccatum est materia destruenda per Incarnationem, proinde quae debet praesupponi, quod peccatum cum in sententia Scoti non praesupponatur, nec intelligatur pro aliquo priori ad Incarnationem, inde infert venturum Christum Adamo non peccante, ergo vel ratio a priori Scoti non est efficax, nec convincit intentum, vel eodem modo quod ipse Scotus, et Scotistae cum eo, componere debent, quod decretum efficaciter intentivum Christi, esto sit pro priori ad omne decretum circa creaturas, tamen non sequi venturum fore Christum, non existente universo, nec creatura aliqua existente, et simul eodem

modo, quo debent componere quod stante prioritate illa in decreto intentivo Incarnationis, tamen verificari debet Christus esse efficaciter intentum in illo signo, ut caput hominum, & Angelorum per derivationem in ipsos gratiæ adoptivæ, & sanativæ. eodem modo, & eadem Solut. componemus & nos quod stante illa prioritate in decreto intentivo efficaci Incarnationis, tamen, possit intelligi in illo priori ut Redemptor, proindeque & quod sit necessario verum quod ex vi præsentis decreti Adamo non peccante Christus non veniret.

Explicatur magis hæc tertia instantia. Christus efficaciter intentus pro signo priori ad omne decretum circa creaturas, iuxta illud, initium viarum Dni, intenditur ut caput morale hominum, & Angelorum per derivationem in ipsos gratiæ adoptivæ, & perfectivæ, & tamen pro isto priori decreti intentivi Christi non intenditur nec intelligitur aliqua creatura intellectualis, quæ perficienda est per gratiam adoptivam & perfectivam derivatam per Christum in ipsam; ergo Similiter ex eo quo signo priori in quo intelligitur unice decretum efficax intentivum Christi, non intelligatur peccatum, poterit decretum illud intentivum Christi, terminari ad Christum ut Redemptorem, & ut remedium peccati, consequentia patet a paritate, quia non minus debet materia destruenda per formam aliquam, præsupponi ad formam destruentem, quam debeat præintelligi & præsupponi materia perficienda ad formam perficientem. ergo responsionem quam Scotus, & Scotistæ dederint, ut stante prioritate vera in decreto intentivo Christi respectu omnium creaturarum, tamen salvetur, quod intenditur Christus ut Caput, et ut perficiens naturam intellectualem per derivationem gratiæ adoptivæ, & perfectivæ in ipsam intellectualem creaturam, erit etiam responsio pro nostra doctrina ut etiam stante prioritate vera in decreto efficaci intentivo Christi respectu creaturarum omnium, proindeque et respectu permissionis peccati, seu respectu decreti permissivi peccati tamen salvetur quod intenditur Christus etiam ut actualis Redemptor, & ut remedium peccati, per gratiam sanativam & redemptivam, sanantem videlicet naturam humanam, & destruentem peccatum. proindeque sit verum stante illa prioritate in decreto intentivo Christi, respectu omnium sit verum quod ex vi præsentis decreti non venturus foret Christus Adamo non peccante.

§. X.

Directa Solutio ad argumentum Scoti, & sequacium ~~[illegible]~~ stabilitur. duplici via, & proponitur prima.

Respondetur ergo directe ad argumentum Scotistarum quod ut Achilles æstimatur, duplici solutione, iuxta doctrinam nostram. secundum quam stabilivimus supra rationes duas, utramque a priori, pro nostra conclusione firmanda, quarum una est in secunda ratione, et alia in tertia, iuxta dicta ergo in secunda nostra probatione

Respondeo distinguendo antecedens: decretum efficax quod de facto fuit circa Incarnationem, et praedestinationem Christi, fuit pro priori ad praevisionem peccati Adami, prioritate causae finalis cuius gratia, concedo antecedens, prioritate causae materialis, seu prioritate causae finalis cui, nego antecedens et consequentiam: Explicatur solutio ~~[illegible]~~ alia enim est causa finalis cuius gratia, ~~[illegible]~~, alia est causa finalis, cui, seu alijs terminis, alius est finis qui, et cuius gratia, alius est finis cui utilitatis, qui finis cui, seu quae causa finalis cui, revera est causa materialis, vel perficienda, vel destruenda, iuxta modum scilicet materiae, et finis cui = Incarnatio enim in linea causae finalis cuius gratia, seu in linea finis qui, et cuius gratia, praecedit omnia, unde et praecedit decretum efficax permissivum peccati, et decretum efficax intentivum nostrae salutis ut reparandae, quod probant et testimonia sacrae paginae adducta ab Scoto et ratio a priori ipsius, at vero in linea causae finalis cui, seu in linea finis cui et in linea causae materialis, seu in linea materiae et praecedunt creaturae intellectuales et ~~[illegible]~~ peccatum, ut destruendum, et nostra salus ut reparanda, quod probant testimonijs scripturae, et Patrum et rationibus pro nostra conclusione adductis, - unde ad probationem antecedentis pro sententia Scoti, respondetur iuxta hanc solutionem quae non impugnant, distinguendo maiorem, decretum efficax intentivum Incarnationis, fuit pro priori ad decretum efficax intentivum creaturarum, prioritate causae finalis cuius gratia, concedo maiorem, prioritate causae finalis cui, seu causae materialis, nego maiorem, et admissa minori distinguo consequens, distinctione primi antecedentis,

Et iuxta hanc doctrinam patet intelligentia ad illum textum ex 1. Prov. c. 8. Dominus possedit me etc. et ad illum ex illo Pauli ad Colos. 1. quem et tradit Evangelista Ioann. in sua Apocalipsi. cap. 1. de primogenitura Christi. textus isti solum probant primatum Christi in linea causae finalis cuius gratia, quod non negat thomistarum sententia, verum cum ista praecedentia, et anterioritate causae finalis cuius gratia quam habet Incarnatio, et Christus Dominus, componitur quam optime, quod ex vi praesentis decreti Christus non venisset Adamo non peccante, quando quidem causa finalis cuius gratia etsi prior sit in isto genere, tamen in diverso genere causae, posterior est. = ad tertium textum ex Evang. Ioannis, Omnia per ipsum facta sunt, ex quo intendunt probare prioritatem Incarnationis, respondeo primo quod textus ille non loquitur de Verbo homine, sed de Verbo in Deitate, iuxta contextum, In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, etc. non loquitur Ioannes de Verbo homine in illo textu usque ad finem quando dicit et Verbum Caro factum est etc. Respondeo 2° quod si loquitur de Verbo homine, vel verba illa accommoditie, illa applicantur Verbo Incarnato quando dicitur omnia per ipsum facta sunt, illud per, quod revera dicit causalitatem, non potest intelligi de causalitate efficienti, sed de finali, quo pacto usurpatur illud per, in locum de illud propter, et in isto sensu, distinguo seu explico propositionem, illud per, seu propter dicens finem qui, seu cuius gratia concedo, illud per seu propter dicens ~~[illegible]~~ finem cui nego. = Ad probationem sumptam ex ratione, respondeo eadem doctrina, distinguendo maiorem omnis ordinate volens qualis ut sit est Deus prius vult finem, et perfectiora seu proximiora etc. si sermo sit de fine qui, seu cuius gratia, illum vult prius, prioritate causae finalis in eodem genere. concedo maiorem, prioritate alia, seu causae finalis cui.

seu prioritate causæ materialis nego maiorem, et concessa minori, distinguo conseq. ergo fuit prius amata, prioritate finis qui, et cuius gratia concedo consequentiam alia prioritate nego conseq. et similiter nego consequentiam subsillatam.

Hæc solutio fundatur in illa communi thomistarum doctrina, quæ traditur et docetur in Methaphysica, et Philosophia de mutua prioritate, et posterioritate, præcedentia, et sequentia causarum ad invicem, iuxta illud Philosophi Causæ sibi invicem sunt causæ quod sine mutua, et reciproca prioritate et posterioritate causarum interse intelligi nequit. quæ doctrina et si aliquibus displiceat tamen est fundatissima et quæ optime ibidem fulcitur a thomistis, quod in præsenti debet supponi, et si etiam breviter, rationem pro illa stabilienda insinuabimus, quia omnis causa sub formalitate sub qua est causa præcedit effectum, sed plures causæ etiam sub aliqua ratione seu formalitate sint causæ, sub alia ratione, et formalitate sunt effectus. ergo mutuo debent se præcedere et subsequi, maior est principium primum lumine naturæ notum, et conseq. infertur, et minor demonstratur etiam evidenter, nam materia sub formalitate una causat formam, videlicet in genere causæ materialis, et sub alia est effectus formæ, videlicet in genere causæ formalis, quandoquidem, et recipit, seu materializat formam, et informatur, et specificatur a forma; ergo materia et forma sunt sibi invicem causæ. = Similiter calor ut octo, in genere causæ materialis dispositivæ præcedit formam ignis, et in genere proprietatis subsequitur ad formam ignis. = Ulterius, apertio fenestræ ad ingressum aeris, prior est in genere causæ materialis, ad ingressum aeris, et in genere causæ finalis efficientis impulsivæ, prior est ingressus quam apertio fenestræ. = Denique finis, cuius gratia, seu finis qui perfectionis, prior est materia perficienda in genere intentivo, at in genere causæ receptivæ perfectionis, prior est materia perficienda, quo pacto ad tractatum de prædestinatione dicitur, quod substantia prædestinati est effectus prædestinationis, et similiter pænitentia, prior est in genere causæ finalis quam permissio peccati, et in genere causæ materialis prius est peccatum quam pænitentia, quod et innumeris exemplis suadere patet. qua doctrina intellecta, utraque ad evidentiam stabilitur nostra conclusio, et fundamenta Scoti manebit impugnata et infundata.

§. XI.

Stabilitur secunda solutio ad fundamentum Scoti.

Secundo iuxta doctrinam datam ad tertio probandam nostram conclusionem Respondeo distinguendo etiam primum ans profundo Scoti efformatum: decretum efficax circa Incarnationem, et prædestinationem Christi fuit prosperiori ad prævisionem peccati, et ad decretum permissivum illius, et simul connexum connexione stricte libera Dei, cum decreto permissivo peccati concedo ans, sine tali connexione nego ans, et consequentiam. et ad eius probationem, quæ revera

non officit huic Solutioni, distinguo etiã maiorem. decretũ efficax intentivũ Incarnationis fuit pro signo priori ad decretũ producendi creaturas, & connexũ cũ tali decreto concedo maiorem, sine tali connexione nego maiorem, & concessa min. distinguo conseq. eisdem terminis. — quã Solutionem non infringunt probationes quas ex Sacrapagina assumunt, S. potius ex illis textibus, componendis quidem cum textibus Sacræ paginæ pro nra doctrina adductis, confirmatr & roboratur modus iste dicendi.

Quæ nostra Solutio & doctrina confirmatur, & roboratur hoc sequenti discursu: quia stat quam optime aliquid esse prius alio in linea intentiva, seu prioritate finis qui, & cuius gratia, & tamen in linea executiva seu in executio non posse existere sine illo posteriori, ratione connexionis unius cum alio, g.o stare poterit quod Christus in linea intentiva seu prioritate finis qui, sit prior, quam peccatũ Adæ, & tamen quod in linea executiva, seu in executione existere non possit Christus, si peccatũ Adæ non extiterit. eo quia conectitur Christus cũ illo, ut cũ materia destruenda. ans probatr. imo & ad hominẽ contra Scotũ meo videri instatr evidenter, quia in sententia ipsius Scoti, & communi etiã thomistarũ in tractatu de prædestinatione decretum intentivum gloriæ, ut coronæ conferendæ iustis, est prius decreto efficaciter intentivo mediorũ, & tamen in linea executiva non intelligitur gloria ut corona, seu in executione non dabitur iustis gloria ut corona, sine eo quod prius sint, & existant merita. *g.o Similiter stare poterit quod decretũ intentivũ Christi sit priũs decreto permissivo peccati, & tamen quod in executione Christus non veniret neq. carnem assumeret peccato non existente. eo quia decretũ efficax intentivum Christi, & eius Incarnationis, & prædestinationis taliter præcedit decretũ efficax intentivũ producendi creaturas, & decretum permissivũ peccati, quod alias est connexũ cum illis quia Deus sic & non aliter voluit, & decrevit existentiam Christi, quam connexionem utique Deo liberam cognoscimus ex locis Sacræ paginæ, & ex Sanctorũ Patrũ testimonijs.

*Similiter decretum intentivũ Christi est priũs decreto intentivo creaturarum, & tamen in executione non veniret Christus universo, & creaturis non existentibus.

Sed replicabis pro sententia Scoti quod stare potest quod etsi decretũ efficax intentivũ Christi sit prius decreto intentivo creaturarũ tamen sit connexũ cũ illo, ac proinde convincatr quod non veniret Christus universo non existente, & similiter non existentibus creaturis, ast vero decretũ efficax intentivũ Christi connexũ non posse esse cũ decreto permissivo peccati, ac proinde veniret Christus peccato non existente, & Adamo non peccante. ergo nostra doctrina pro solutione suæ rationis non subsistit. assumptũ probas. et eo conexio decretorum inter se, etiã si unum decretum sit prius alio, pro aliquo signo priori ad aliud infertur, & cognoscitur ex connexione, & dependentia obiectorũ inter se, Sed licet dari possit connexio, & dependentia, inter obiectũ decreti efficaciter intentivi Christi, & obiectũ decreti efficaciter intentivi huius universi, & creaturarum, quo pacto arguatur connexio decretorũ inter se, tamen inter obiectum decreti efficaciter intentivi Christi, & obiectũ decreti permissivi peccati

connexio aliqua non potest, ergo stare potest quod etsi decretum efficax intentivum Xpti sit prius decreto intentivo creaturarum, & tamen sit connexum cum illo, ita ut universo hoc non existente, vel non existentibus creaturis, Xphus non veniret, tamen exinde non convincatur quod decretum intentivum Xpti connexum sit cum decreto permissivo peccati. prob. min. quia si inter obiecta illorum decretorum, videlicet inter Xptum, & peccatum Adami daret connexio, quæ argueret connexionem decretorum inter se, sequeretur Deum volentem efficaciter Xptum, velle, & amare peccatum. Sequella probatur. quia ex connexione Xpti cum universo, & cum creaturis intellectualibus, & proinde ex connexione decretorum inter se, videlicet ex connexione decreti intentivi Xpti, cum decreto intentivo universi, & creaturarum bene sequitur Deum velle efficaciter universum, & creaturas, & similiter ex connexione gloriæ, ut coronæ, cum medijs, nempe cum meritis, & proinde ex connexione decreti efficaciter intentivi gloriæ, ut coronæ cum decreto efficaciter intentivo meritorum sequitur Deum velle, & amare efficaciter media, ergo etiam ex connexione Xpti cum peccato Adæ, & ex connexione decreti efficaciter intentivi Xpti cum decreto permissivo peccati optime sequitur Deum velle, & amare peccatum.

Sed contra hanc replicam respondeo negando ans. seu assumptum, & ad eius probationem concessa maiori nego minorem, & deinde nego sequellam. ad cuius probationem distinguo antecedens. ex connexione Xpti cum universo, & cum creaturis, & similiter gloriæ ut coronæ cum meritis &c. ex connexione ut cumque nego ans, ex tali connexione, videlicet ex eo quod extrema connexa sunt capacia amoris concedo ans, & nego consequentiam. Explicatur solutio. Connexio aliquorum inter se potest esse, vel physica, vel pure Logica, & rursus connexio pure logica, alia est perfectiva saltim possibiliter alia est destructiva. Connexio physica duorum extremorum inter se, arguit quod si ans, est dignum amore, sit & consequens, amans enim antecedens, phisice connexum cum consequenti reali, & amare consequens est necessario. quo pacto qui amat causam physicam ut talem, amat effectum. Unde cum Xphus amatur in decreto intentivo, ut caput hominum, & Angelorum, & ut hominum Redemptor decretum, seu actus voluntatis divinæ amans Xptum ut Caput, amat homines, & Angelos, quatenus per Xptum illis vult gratiam adoptivam, unde actus divini amoris amantis Xptum ut redemptorem amat hominum salutem, ut reparandam per gratiam adoptivam. — Similiter Deus amans per decretum efficax intentivum gloriam ut coronam, amare intelligitur merita ut effectus causæ finalis illius decreti. Connexio pure logica alia est perfectiva, alia est destructiva. Connexio Logica perfectiva vel respicit terminum connexionis cuius est perfectio, ut existentem, vel ut futurum, vel ut possibilem, si respicit terminum, ut existentem, vel ut futurum etiam ex amore efficaci antecedentis sequitur & arguitur amor efficax consequentis, quia iam est quasi causa presuppositive physica. unde amante Deo gloriam, ut coronam iustis, & amare media est necesse quando quidem illa logice infert. Si illum respicit ut possibilem ex amore antecedentis, nec

amor nec odium consequentis infertur, unde ex eo quod Deus amet suam Omnipotentiam licet connectatur logice cum possibilibus, non sequitur, nec quod Deus amet, vel odio habeat creaturas possibiles. Et ratio est quia connexio non tribuit bonitatem termino connexo, bonitas enim ex ordine ad existentiam sumitur, et connexio exerceri potest inter praedicata abstrahentia ab statu. Connexio autem logica destructiva, tantum abest quod amorem termini destruendi arguat, quod potius infert odium, respicit enim terminum ut materiam destruendam, unde tendit ad non esse illius, et non esse amabile non est.

Qua doctrina stabilita dicimus quod licet Xptus connectatur cum peccato, et decretum intentivum Xpti connectatur cum decreto permissivo peccati, non sequitur Deum amare peccatum, sed potius illud odio habere, solum enim sequitur Deum amare suum decretum permissivum, quia amabile est cum sit actus divinae voluntatis. Sicut in simili ad materiam de Praedest. dicitur quod Poenit.^a^ est effectus praedestinationis, et ex eo quod Deus velit, et amet efficaciter poenitentiam, quae est necessario connexa cum peccato, non seq.^r^ quod Deus velit, et amet peccatum, quia poenit.^a^ est connexa cum peccato, ut cum materia destruenda.

Vrgentius instatur etiam in sententia Scoti, quia Xptus Dominus qui de facto nos redemit, formalissime etiam ut Redemptor Actualis, amatur a Deo quandoquidem etiam sub ista formalitate est dignus amoris, est enim aestimabilitatis infinitae, quia homo Deus, et negare non potest Scoti schola quod sub ista formalitate connectitur cum peccato, quandoquidem ipsum ut destruendum supponit, ergo ex connexione Xpti cum peccato, non sequitur neque quoad umbram quod si Deus amat Xptum teneatur amare peccatum.

Denique licet Deus amet voluntatem creatam defectibilem proxime, qualis est voluntas hominis, et creaturae intellectualis in statu viae, et licet voluntas creata ut defectibilis connectatur cum possibilitate peccati, non sequitur Deum velle, et amare possibilitatem peccati. Ergo ex connexione unius termini cum alio non est efficax argumentum quod si unum amatur, et aliud debeat amari. Et ratio omnium est quia ad amorem requiritur quod obiectum in se habeat bonitatem ratione cuius contineatur intra sphaeram voluntatis praecipue divinae; ad connexionem autem sufficiunt praedicata, etiam ut praescindentia a bonitate, explicatio- nem efficaciter intentivum Xpti connectatur cum decreto permissivo peccati praescindendo

quod ex vi praesentis decreti non venisset Christus Adamo non peccante, tamen ex illa connexione neutiquam sequatur Deum velle, et amare peccatum.

Et ex his patet solutio ad rationem pro suadendo assumpto Scoti efformatam. Respondeo ergo: distinguendo maiorem omnis ordinate volens, qualis utique est Deus, prius vult finem, et perfectiora et proximiora, etc. prius prioritate connexa, vel in connexa, iuxta modum voluntatis connectentis vel non connectentis concedo maiorem. prius prioritate semper inconnexa nego maiorem, et distinguo minorem, si Incarnatio est perfectior, et proximior, et aliunde connexa cum peccato ut destruendo connexione utique liberata sic et non alio modo volente ex vi praesentis decreti Incarnationem, concedo minorem, et aliunde non connexa nego min. et consequentiam. quae solutio roboratur eisdem instantiis, gloria enim exterminii non est connexa cum mediis. quando quidem potest Deus gloriam dare sine meritis, at vero ex suppositione tamen libera quod illam praeintenderit ut coronam, decretum intentivum gloriae, est connexum cum decreto electivo mediorum. sic similiter Deus absolute bene potuerat decernere Incarnationem sine connexione cum peccato ut destruendo, sed amando illam propter se, at vero ex suppositione sibi libera quod Incarnationem decrevisset in remedium peccati, et propter nos homines et propter nostram salutem, connexa est cum peccato ut cum materia destruenda.

§. XII.

Ex dictis stabilitur coordinatio divinorum decretorum.

Dupliciter rationem ad nostrae conclusionis suadendae stabilivimus, et iuxta eam doctrinae duas solutiones ad argumentum pro ratione apriori efformatum pro sententia Scotistarum stabilienda, dedimus, unde iuxta hos duos dicendi modos in nostra et communi Thomistarum sententia, ordo divinorum decretorum de facto existentium in Deo prout ex locis sacrae paginae colligitur stabiliendus venit. et si primam rationem, et solutionem primam ad argumentum Scoti teneamus, de mutua scilicet prioritate causarum ad invicem sic stabilienda sunt decreta. Verum notandum et supponendum est quod etsi utamur verbis significantibus prioritatem, tamen omnia simul in eadem reali indivisibili duratione vidit et decrevit Deus, unde solum volumus significare prioritatem rationis, et signi aequo, unius ad aliud cum fundamento tamen in re. ~~[illegible]~~

Et supponimus quod Deus in primo

signo rationis vidit, et cognovit per scientiam simplicis intelligentiae omnia possibilia. Et secundo decrevit libere manifestationem suorum attributorum per communicationem suae bonitatis, et perfectionis ad extra. = Deinde in tertio signo ad hunc finem consequendum, et ex intentione illius, ex pluribus modis possibilibus ab ipso visis, elegit hoc universum, seu hunc mundum constantem ex varijs naturis rerum aliis universis possibilibus in mera possibilitate relictis.

In his tribus signis praesupponendis nullum discrepare videtur, at vero praesupposito quod universum hoc ex varijs naturis, et ordinibus constet, in construenda coordinatione decretorum ad has varias naturas, et ad hos varios ordines terminatorum est discrimen inter Theologos, unusquisque statuendo ordinem iuxta sua principia. Iuxta nostrum ergo primum modum dicendi, sic stabilienda esse decreta ad naturas huius universi terminata dicimus. quod in primo signo, in quo Deus naturas in particulari selegit, primum prioritate causae finalis, et finis cuius gratia, seu finis qui, decrevit in linea intentiva efficaci Christum, prae omnibus alijs naturis, verum in isto signo taliter formavit hoc decretum efficaciter intentivum Christi. quod etiam in genere causae finalis cui, quod genus causae proprie est genus causae materialis, cum finis cui, sit materia perficienda, praecessit decretum intentivum efficax naturae cuiuslibet intellectualis, videlicet hominum, et Angelorum, et simul praecessit in genere hoc causae materialis decretum permissivum peccati Adami, et decretum denegans gratiae efficacem ad vitationem peccati Adami, unde Christus in hoc primo signo esto in genere causae finalis cuius gratia, non solum fuit praeintentus quo ad substantiam Incarnationis, quo pacto caput est Angelorum et hominum per derivationem gratiae adoptivae, et perfectivae, sed et praecessit Christus reduplicative ut Redemptor per derivationem gratiae redemptivae, et sanativae respectu naturae humanae unde in isto signo praecessit praedestinatio Christi, ut causa non solum exemplaris praedestinationis cuiuslibet praedestinati, sive Angeli, sive hominis, scilicet et ut causa influxiva, influxu finalizante. imo et influxu physico efficienti instrumentali, causante gratiam, valorantem media, quibus consequenda foret praedestinatio, aliter tamen, et aliter, nam gratia, quae instrumentaliter causavit in Angelis erat solum gratia adoptiva, et perfectiva, in hominibus autem gratia erat non solum adoptiva, et perfectiva, scilicet et redemptiva nota in hoc 1.° signo amorem Dei erga homines.

In secundo signo decrevit praedestinationem hominum, et Angelorum. quod signum est etiam causae finalis, cuius gratia, et ad istud signum praecessit in genere causae materialis decretum intentivum hominum et Angelorum praedestinatorum. = In tertio signo, decrevit efficaciter ordinem gratiae, et similiter in hoc eodem tertio signo praecessit in genere causae materialis quaelibet natura intellectualis, sive Angelica sive humana, quae perficienda erat gratia supernaturali, = In quarto signo etiam lineae intentivae, decrevit efficaciter, omnes Angelos, et numerum determinatum hominum, et in quinto signo

x.° illud ... mundum amorem ... [illegible]

obsuos altissimos fines, quorum aliqui ex sacris litteris dignoscere licet, videlicet ad ostensionem suae gratiae sapientiae suavis, et tum ad elationem hominis deprimendam decrevit permittere peccatum tum in Angelis, tum in homine, ut cognoscerent quod gratia non erat a se, sed a Deo Creatore, illam liberaliter donante, et conservante. in sexto signo Angelis qui peccavere in suo peccato relictis decrevit ex sua misericordia hominem a peccato liberare, et ex multis modis quibus hominem a peccato liberare poterat, videlicet vel gratiose condonando, vel acceptando inaequalem satisfactionem decrevit convenientissime per condignam et aequalem satisfactionem, et videns quod talis non poterat exhiberi a pura creatura decrevit Christum quem elegerat in primo signo fuisse hominem factum propter nos homines.

Si autem teneamus secundam solutionem, ablata illa mutua prioritate causarum, instituenda sunt decreta modo assignato, ast ita taliter quod Deus ex sua libera voluntate voluisset Incarnationem efficaciter intentam in primo signo, connecti cum aliis in sequentibus signis efficaciter intentis unde unum decretum elicuit ut connexum libere cum aliis. unde in sexto signo assignato decretum circa incarnationem Verbi in primo signo habitum sortitum fuit suum effectum, videlicet essendi propter nos homines et propter nostram salutem.

§. XIII
Ratione probatur istiusmodi decretorum coordinatio

Consonat uterque iste noster modus dicendi cum doctrina ad tractatum de praedestinatione communi, unde fulciri potest eisdem rationibus quibus ibi probatur nostram praedestinationem esse effectum praedestinationis Christi, proindeque Christi praedestinationem supponere. et rursus ibi affirmatur substantiam praedestinati, dona supernaturalia ad praedestinationem conducentia, imo et permissionem peccati in praedestinato esse effectum praedestinationis, et rursus affirmatur omnes res huius Universi, quae aliquomodo conducunt ad praedestinationem esse effectum praedestinationis. unde nostra praedestinatio ~~[illegible]~~ in aliquo genere causae debet praecedere substantiam praedestinati, et res omnes huius universi. et cum aliunde in alio aliquo genere causae praedestinatio dependeat a meritis, inter quae enumerantur principaliter merita Christi, quae supponit peccatum omnia ista vel debent praecedere nostram praedestinationem, vel institui decreta inter se connexa. ergo ut subsistat doctrina in materia de praedestinatione stabilita, et doctrina quam modo firmamus de adventu Christi Adamo peccante, vel non venturum Adamo non peccante, ~~[illegible]~~ colligeat inter se ~~[illegible]~~, decretorum coordinatio coordinanda est modo a nobis stabilito.

Ratione autem probatur & praecipue stabilitur illud quod diximus Deum videlicet decrevisse in primo omnium signo (prioritate videlicet finis qui, seu cuius gratia quae dicitur etiam prioritas a quo, non in quo, unde est prioritas causae non vero prioritas subsistendi consequentiae,) Christum etiam reduplicative ut Redemptorem fuisse praeintentum efficaciter in illo signo.

Quia omnis ordinate volens, qualis utique est Deus prius vult finem, & ea quae sunt perfectiora, & fini proximiora, quam imperfectiora, & distantiora, sed ad finem praeintentum efficaciter a Deo, qui utique fuit manifestatio suorum attributorum, ad suam gloriam, proximior, & nobilior est Christus etiam reduplicative ut redemptor actualis, sua quoque passio, & omne opus meritorium Christi. ergo in genere causae finalis cuius gratia Christus reduplicative ut redemptor (sua quoque passio, & omne opus Christi) fuit in primo omnium signo praeintentus. Nunc sic subsumo, sed aliunde Christus ut Redemptor actualis supponit peccatum ut delendum nostramque salutem ut reparandam, ergo decretum intentivum Christi fuit in primo omnium signo, & praevisionem peccati aliquomodo supponit, proindeque coordinatio decretorum modo a nobis stabilito debet institui. Haec minor ultima subsumpta cum sua consequentia nec negatur, nec potest negari. maior autem primi syllogismi est certa, imo principium a quo moventur Scotistae ad asserendum Deum in carne impassibili, Verbum videlicet venturum fore Adamo non peccante. minor autem principalis quoad omnes suas partes suadetur eadem ratione qua Scotus cum suis probat Christum in carne impassibili debuisse intendi in primo omnium signo, quia videlicet est nobilius obiectum, & dignitatis simpliciter infinitae, & ut dicunt ob excellentiam mysterii, sed Christus reduplicative ut actualis redemptor, sua quoque passio, & omne opus Christi, habet eandem excellentiam, cum quodlibet sit aestimabilitatis & dignitatis infinitae, unde etiam quoad circumstantiam passibilitatis seu passionis actualis excedit omnia, ergo ad finem praeintentum a Deo, qui utique est sua gloria, & manifestatio suorum attributorum nobilior est Christus, nobilior sua passio, & nobilius quodlibet opus Christi ac per consequens fuerunt omnia haec praeintenta in illo primo signo, praeintenta videlicet in genere causae finalis cuius gratia.

Confirmatur quia illud amatur ut finis cuius gratia, seu ut finis qui, cuius gratia caetera fiunt, sed gratia humanitatis Christi, quam de facto Verbum sibi univit, & reduplicative ut actualiter passibilis, seu patiens, omnia facta sunt, iuxta illud Apostoli ad Corint. 3. Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei, ergo Christus ut actualis Redemptor fuit praeintentus in primo omnium signo, unde & in aliquo genere causae debuit praevideri, & praesupponi peccatum, vel cum illo ut delendo connecti.

Replicabis & dices, quod ex verbis Symboli Niceni videtur quod Incarnatio, est propter nos homines, & propter nostram salutem, non econtra, ut paulo ante dicebamus. unde nostra salus in genere intentivo, & finis cuius gratia debet praecedere Incarnationem.

S^d. contra & respondeo quod hz propter nos homines, contentum in Symbolo quam optime explicatur, & in rigoroso sensu causæ finalis, etiam si hz propter dicat rationem finis cui, sive finis effectus, ergo cum aliunde testimonia aliæ sacræ paginæ cogant nos ut asseramus Christum fuisse finem qui, seu cuius gratia creaturarum iuxta illud Initium viarum Dni, & dominus possedit me in intio viarum suarum, & illud Primogenitus omnis creaturæ, & illud omnia vestra sunt, vos autem Christi, & insuper ratio naturalis etiam suadeat, quod ad Incarnationem ut modo est facta, omnia ordinentur, ut ad quid omnium perfectius, ideo Christo assignamus prioritatem finis qui, seu cuius gratia, & nobis hominibus, nostræque saluti prioritatem finis cui seu finis effectus. ans autem probatur, quia hz propter, quæ est particula explicans causalitatem finalem, etiam proprie, & in sensu formali & rigoroso significat finem cui, seu finem effectus, ut patet, in alijs rebus, dicitur enim in Philosophia, imo & ut axioma ex Philosophis desumptum, quod unumquodque est propter suam operationem, & quod substantia est propter suam operationem, & tamen operatio non est, nec potest esse finis qui, seu cuius gratia respectu substantiæ, cum substantia sit simpliciter nobilior accidenti; quale est operatio, nobilius non est propter ignobilius, sed econtra, ergo salvo rigoroso sensu in verbis Symboli nostra explicatio est legitima.

§. IXV.

Alia argumenta contra nostram principalem Conclusionem solvuntur.

Obiicies primo Ex D. Aug. lib. I de Nuptijs, & concupiscentia. cap. 21. ubi enumerans tria bona nuptiarum, nempe. operationem propagandæ prolis, pudicitiæ fidem, & connubij sacramentum significans coniunctionem Christi cum Ecclesia. hæc habet verba: Quid bonum est in nuptijs, unde peccati vinculum transiret in posteros? nempe nihil, & certe his tribus bonis perfecte se hababeret bonitas nuptiarum, quibus bonis, etiam nunc bonæ sunt nuptiæ; ergo ex mente Augustini matrimonium inter virum & fe~~[illegible]~~minam signum esset Christi venturi; etiam Adamo non peccante, atque consequenter etiam Adamo non peccante Christus veniret.

Communis Solutio huius argumenti est dicere quod in casu quo nullum peccatum existeret, proindeque Christus non veniret Coniunctio viri & fœminæ foret tantum aptitudinaliter signum coniunctionis Christi cum Ecclesia, non autem esset actualiter signum. id est quod coniunctio viri & fœminæ esset in illo casu aptius signum præ omni alio ad significandum coniunctionem Christi cum Ecclesia.

S^d. Contra hanc communem solutionem insurgit Ill^mus Godoi in præsenti & Gonet, et dicunt solutionem istam esse expresse contra mentem Parentis Augustini, nec salvare verba illius dum ait, & certe his tribus bonis perfecte se hababeret bonitas nuptiarum quibus etiam bonæ sunt nuptiæ. in quibus verbis expresse docet Sanctus Doctor, quod nuptiæ actu bonæ sunt, quia actu

et non tandem aptitudine significarent coniunctionem Christi cum Ecclesia, ergo etiam in statu quem supponit Sanctus Doctor, non solum aptitudinaliter, sed exercite et in actu significat coniunctionem Christi cum Ecclesia.

Respondent ergo Ill.mus Godoi et Gonet quod Sanctus Doctor loquitur ex vi praesentis providentiae, unde coniunctio viri et foeminae, etiam in statu innocentiae actu significabat coniunctionem Christi cum Ecclesia, quia in illo statu revera erat Christus futurus, cum etiam esset peccatum futurum, unde semper coniunctio viri et foeminae habuit actu significare coniunctionem Christi cum Ecclesia.

Sed venia istorum nec impugnatio ad solutionem communem, nec sua responsio mihi placet, quia revera, si numquam esset exiturum peccatum, hoc est si peccatum non esset futurum, cum in illa hypothesi Verbum non sumpturum foret carnem, revera coniunctio viri et foeminae non poterat actu significare coniunctionem Christi cum Ecclesia, cum in illa hypothesi talis coniunctio Christi cum Ecclesia non esset fienda. Unde solutio data subsistit, et non contrariatur verbis ex D. Augustino adductis, quia in illis loquitur Sanctus Doctor de nuptiis quae sunt et fuerunt ab origine in praesenti providentia, quae omnes actu significant coniunctionem Christi cum Ecclesia, cum in praesenti providentia semper fuisset vel futura talis coniunctio, vel iam praesens, ab Adventu Christi.

Obiicies secundo

Mysterium Incarnationis fuit primo homini revelatum in statu innocentiae, sed in illo statu praescius sui casus non fuit, nec potuit esse, ergo etiam Adamo non peccante Christus venisset, maior docet D. Tho. 2.2. q. 2. ar. 7. in corp. et in praesenti q. 1. ar. 3. ad 5. min. etiam constat, ex eodem Ang. M. ibidem, et ratio quia alias notitia illa sui peccati notitiam ipsi causaret, quae incompossibilis est cum illo felici statu. Et sequela patet quia eo ipso quod haberet notitiam mysterii Incarnationis, deberet habere notitiam motivi propter quod fuit tale mysterium.

Confirmatur ex D. Bern. Serm. [illegible] de Adventu ubi docet quod Diabolus cognovit rationalem creaturam assumendam fore ad unitatem personae Verbi, et invidit. Et haec invidia fuit causa sui peccati, unde ex invidia motus tentavit hominem ut laberetur in peccatum, ut peccato infectus esset indignus ut assumeretur ad unitatem personae Filii Dei; sed si Diabolus cognovisset quod Incarnatio non foret nisi Adamo peccante, non tentaret hominem, imo videtur quod impediret peccatum, ne homo ad dignitatem Filii Dei esset assumptus, ergo est quia cognovit quod Incarnatio esset Adamo non peccante.

Resp. concessis maiori, et minori, et negata consequentia ut docet D. Tho. loco citato. ex 3. p. q. 1. ar. 3. ad 5. ubi respondet ad simile argumentum. Dicendum quod nihil

prohibet alicui revelari effectum cui non revelatur causa, potuit igitur primo homini revelari Incarnationis mysterium sine hoc quod esset praescius huius casus, non enim quicumque cognoscit effectum cognoscit, et causam.

Replicabis. quod si non cognovisset causam, esset anxius ad causam cognoscendam, sed anxietas non compatitur cum illo statu, ergo cognoscere debuit causam. maior ex ipsis terminis liquet, quandoquidem cognito effectu est naturale desiderium cognoscendi causam, et insuper illud docet D. Th. 1. p. q. 12. ar. 1. in corp. ubi ex hoc se ex terminis habet eandem propositionem, ad probandum ex illa hominem posse videre Deum, quia est causa effectus cuiuslibet, quem homo cognoscit.

Resp. primo ex D. Th. loco citato ex 2. 2. q. 2. ar. 7. in corp. quod Adamus in illo statu cognovit causam aliquam etsi inadaequatam Incarnationis, scilicet gloriae consumationem. per haec verba * Ante statum peccati homo habuit explicitam fidem de Christi incarnatione secundum quod ordinabatur ad consumationem gloriae, non autem secundum quod ordinabatur ad liberationem a peccato per passionem *

Replicabis adhuc non cognita causa adaequata effectus non tollitur anxietas. ergo, vel consumatio gloriae fuit motivum adaequatum Incarnationis, ac per consequens etiam Adamo non peccante venisset Christus. vel anxietas compateretur cum statu Innocentiae quod non est dicendum. Resp. quod est duplex genus causae, alia quae intrinsece et ex natura sua ordinatur ad effectum, alia autem, quae solum extrinsece, et ex libera ordinatione operantis, primi generis causa cognosci debet ut auferatur anxietas, non autem secunda, et cum liberatio a peccato dependeat ex sola libera voluntate Dei, inde est, quod non necessario debeat cognosci, unde sufficit quod Adamus primum motivum cognosceret ut crederet Incarnationem, et non esset anxius ad aliam causam cognoscendam.

Et per hoc patet solutio ad Confirmationem, Diabolus enim, ut cognosceret Incarnationem quando fuit in statu viae, sufficit quod cognosceret motivum Incarnationis fiendae, inadaequate, quandoquidem illud inadaequatum motivum erat sufficiens ut ex terminis esset, etiam si revera exstitura non fuisset non stante peccato Adami, unde nec Diabolus cognovit suum casum, nec praescius fuit illius quando fuit viator. ut docet D. Th. in 3. dist. 1. q. 1. ar. 3. ad 7. per haec verba. dicendum quod si etiam ponatur quod Diabolus praeviderit rationalem creaturam a Filio Dei assumendam, non tamen oportet quod praeviderit antecedentia ad ipsum sicut etiam, ut ibidem Bernardus dicit praevidit se futurum Principem malorum, quod per suum casum consequutus est et tamen suum casum non praevidit ut in 2. lib. dist. q. 2. 1. ar. 2. dictum est.

Obiicies tertio sequi ex nostra conclusione plura inconvenientia, quae non est sustinenda. Primo sequitur ex illa Incarnationem esse bonum occasionatum sicut poenitentia, quae non amatur a Deo, nisi occasione peccati, sed hoc est falsum. ergo. Sequella probatur. quia ideo poenitentia est bonum occasionatum, quia non amatur per se a Deo, sed occasione peccati, sed si nostra Conclusio est vera, Incarnatio non amatur a Deo per se, sed occasione peccati Adami, et ad illud delendum. ergo esset bonum ocasionatum.

Secundo sequitur ex nostra conclusione remedium peccati esse quid perfectius substantia incarnationis, sequella probatur ex Cirilo per haec verba: * nam si propter nos factus est filius, et non propter filium nos, erimus nos Filio multo praestantiores, quod absurdissimum est* ut dicit lib. 5. thesauri. cap. 8.

Tertio quia si nostra conclusio esset vera Filius deberet reddere gratias hominibus propter suam Incarnationem. sed hoc est falsum. ergo. Sequella probatur, ex eodem Cyrillo ibidem, ubi loquens de divino Verbo haec habet verba: * Si ut nos ceteras que creaturas per Filium Deus produceret, ipsum, ut haeretici dicunt, a nihillo produxit, erit ipse propter nos factus, non nos propter illum, et ita nos praestantiores ipso erimus creaturae, ipse vero instrumentum ad creandas ceteras creaturas, cur ergo gratias nobis non egit, qui propter nos est?

Quarto Anima Christi deberet gaudere de Adami peccato tantum ac de sua Assumptione ad esse personale Verbi. sed hoc est falsum. ergo. Sequella probatur. ex Anselmo lib. 1. cur. Deus homo. cap. 18 ubi probat homines, et praedestinatos non esse factos ad reparandam Angelorum ruinam, quia alias deberent homines gaudere de sua praedestinatione tantum ac de Angelorum ruina, quandoquidem homines non essent praedestinati nec assumpti ad gloriam si non esset Angelorum ruina.

Quinto, quia alias consequuta redemptione hominum a peccato incarnatio superflueret, unde non deberet subsistere. Sequella probatur, quia consequuto effectu cessat instrumentum, quod erat unice propter effectum.

Respondeo primo instando in Christo redemptio ut Redemptore, quo pacto omnes fatentur, dicere ordinem ad nos ut ad materiam perficiendam et reparandam, et ad peccatum ut ad materiam destruendam, ergo, vel qui haec inconvenientia nobis obiicit tenetur fateri sequi ex dilectione et decreto quo Deus decrevit et dilexit Christum ut Redemptorem vel solutionem quam ipse praedare tenetur, et nos praestabimus.

Respondeo ergo dicendo ad argumentum quod ut nos diximus supra quando de coordinatione decretorum agebamus, Christus in linea causae finalis, cuius gratia, ipse fuit primo intentus, et propter se, et propter suam excellentiam, unde in hoc genere causae

finalis cuius gratia ad nihil ordinatur nisi ad gloriam Dei, et ad manifestandam Dei attributa, unde solus debet reddere gratias Deo, et suis attributis propter quae manifestanda factus est homo, nos autem, et remedium peccati solum inspicimur ut finis cui, et finis cui non debet esse perfectior illo quod ~~[illegible]~~ ad ipsum ordinatur. praesertim si non ordinatur ad finem cui ex natura rei, sed ex libera voluntate operantis ut docet D. Th. in 2. dist. 15. q. 1. ar. 1. ad 6. per haec verba * dicendum quod aliquid potest esse propter aliud dupliciter aut quia ordinatur ad ipsum sicut ad finem proprium, et principalem; et sic inconveniens est dicere quod aliquid sit propter vilius se, ut luna, et stellae propter nocticuas, et vespertilliones, cum finis potior sit his quae sunt ad finem, alio modo potest dici aliquid esse propter aliud cui ex eo provenit aliqua utilitas eo modo quo posset dici Rex esse propter rusticum, ex cuius regimine provenit ei pax, et per hunc modum est intelligendum quod in littera dicitur, omnes enim utilitates quae ex corporibus caelestibus proveniunt inferioribus sunt a Deo provisae, qui corpora illa instituit * quam doctrinam tradit etiam Angelicus Mag. in 1. dist. 37 q. 4. ar. 1. ad 2. et in 2. dist. 1. q. 1. ar. 3. in corp.

Ad argumentum in forma respondeo negando maiorem, cuius falsitas ut magis appareat, notandum, quod hoc quod est esse aliquod bonum quid occasionale potest stare dupliciter, vel ex eo quod accidit praeter intentionem agentis, in quo sensu communiter usurpatur hoc occasionaliter et in hoc sensu nihil potest esse occasionale respectu Dei, cum suae cognitioni nihil ~~[illegible]~~, occultari possit, solum ergo respectu intelligentis creati potest in hoc sensu esse aliquid occasionale. secundo solum occasionale potest homini generare hoc quod [illegible] sit amabile, tamen per se amabile non sit quo pacto amatur poenitentia quae eatenus amabilis est quatenus est destructiva peccati, vel quomodo amabilis est potio amara, quae eatenus amatur quatenus conducit ad salutem reparandam. et etiam in hoc sensu non est bonum occasionale Incarnatio, cum etiam secundum se, sit amabilior prae omni alio opere ad extra, et etiam Christus reduplicative ut actualis redemptor, et sua passio et mors, est amabilior prae omni alio, cum sint dignitatis infinitae, verum quia non repugnat, immo est conforme naturis rerum quod etiam illud quod absolute est perfectius alio ametur ratione alterius, praesertim si ametur gratia alterius non ita ut illud gratia cuius amatur sit finis qui, seu cuius gratia, sed ita ut sit finis cui, ideo in hoc sensu Incarnatio potest dici bonum occasionale quatenus Deus ex sua misericordia decrevit Incarnationem propter nos homines, et propter nostram salutem nobis inspectis et nostra salute inspecta ut finis cui, attamen cavendum est illud verbum occasionale, et absolute [illegible] est ab incarnatione, cum proprie bonum occasionale sonet in primo explicato sensu.

Ad secundum neganda est sequella, et ad probationem ex verbis D. Cyrilli dicendum est quod ibi Sanctus Doctor loquebatur contra haereticos asserentes Filium Dei fuisse factum per se ut instrumentum ad producendas creaturas, quo pacto argumentum Cyrilli erat optimum, cum instrumentum solum amabile sit propter aliud. Unde propter dicente ratione finis cuius gratia seu finis qui, cum autem remedium peccati non sit finis qui, seu cuius gratia Incarnationis, sed tantum finis cui inde est quod non sequatur neque apparendum remedium peccati esse quid perfectius substantia Incarnationis,

amari
simpliciter perfectius est alio, [illegible] potest propter aliud ut propter finem cuius gratia, et ordinari ad illud, dummodo ista ordinatio, sit omnino extrinseca, et dependens a voluntate operantis, non autem ex natura rei, et ab intrinseco, unde etsi Deus decrevisset Incarnationem propter nos homines et propter nostram salutem, non sequeretur quod nostra salus esset perfectior Incarnatione cum Incarnatio ex natura rei, et ab intrinseco non esset propter nostram salutem sed ex extrinseca voluntate Dei operantis. in sententia illorum haereticorum contra quos ibidem Cyrillus filius ex natura rei, erat propter nos, cum ex natura rei non esset nisi instrumentum unde bene arguit Cyrillus non esse praestantiorem filio.

Ad tertium similiter nego sequellam, quia ut saepius diximus, Incarnatio ex natura rei [illegible] non est amabilis solum propter nos, cum Christus ratione sui, sit amabilis, etsi de facto Deus decrevisset incarnationem propter nos ut propter finem cui, unde non tenetur Christus reddere nobis gratias propter incarnationem, sed potius nos reddere illas debemus Christo. Christus autem solum tenetur reddere gratias Deo, quia voluit suae humanitatem exaltare et initiare in esse Christo sub circumstantia passionis et mortis, sub qua ratione solum fuit a Deo volitum in remedium peccati; et tamen non tenetur reddere gratias nobis peccatoribus, ergo similiter etsi Deus voluisset substantiam Incarnationis propter nos homines non tenetur Christus hominibus dare gratias, sed Deo. Argumentum autem Cyrilli contra illos haereticos erat ut diximus optimum ex eo quia filius in illo haeretico modo discurrendi erat unice factus ut instrumentum, et instrumentum unice est propter effectum, unde effectui debet reddere gratias, quia ut intentione agentis fuit causa suae existentiae.

Ad quartum similiter negatur sequella, quia Anima Christi non debet gaudere de peccato Adami, sed de misericordia Dei, qui supposito illo peccato Animam Christi decrevit creare, et cum illa coniungere humanitatem quae assumeretur in remedium peccati = argumentum autem Anselmi optimum erat, quia procedebat in sententia illorum haereticorum qui asserebant quod si Angeli non demeruissent sedes beatitudinis, nos homines non fore praedestinandos, et nostram praedestinationem non futuram fore sine Angelorum ruina, et hac Angelorum ruina sine nova misericordia nos praedestinatos fuisse

quod non accidit in nostro casu nam peccato Adami supposito. nova, & maxima misericordia Dei fuit Christum ut redemptorem mittere, unde tam nos quam anima Christi Deo debemus gratias agere de hac sua maxima misericordia. — & instatur in eodem Christo reduplicative ut redemptore, & in passione & morte Christi, quae fuit solum volita in remedium peccati, sine eo quod liceat inferri Christum debere gratias agere de sua passione & morte, (quae utique fuit maximum beneficium Dei,) Adamo peccanti, nec saluti hominum, sed Deo, qui tale beneficium fecit, proindeque Christus complacentiam habuit in sua passione & morte, non autem in peccato.

Ad quintum negatur sequela, quia Incarnatio non superfluit cum esto amata fuerit propter alios fines, quam in remedium peccati; & omnes fines sint cum remedio peccati connexi, haec connexio est extrinseca & ex libera Dei ordinatione, unde stabilito remedio peccati non superfluit Incarnatio cum etiam remaneant fines cum quibus est determinata Incarnatio. explicatur magis Incarnatio facta fuit & ad manifestationem attributorum ut propter finem qui sive cuius gratia, & ad remedium peccati ut finem cui, unde ille finis qui connexus fuit cum remedio peccati, sive cum peccato destruendo, proindeque incarnatio non foret si non fuisset peccatum, at vero posito remedio peccati, permanet alius finis, nempe ipsa manifestatio attributorum, & gloria Dei, propter quem est incarnatio, unde esto in fieri connexus fuerit finis ille cum remedio peccati, tamen in facto esse & remedio peccati posito manet finis qui est gloria Dei, & manifestatio attributorum, unde non sequitur quod superfluat existentia Incarnationis. — & ad probationem dicitur quod cum incarnatio non sit instrumentum ex natura rei ordinatum solum ad remedium peccati, potest stare ut consequuto effectu non debeat cessare instrumentum, instrumenta autem quae talia sunt simpliciter, & quae ex natura rei ad aliquem effectum ordinantur posito effectu instrumentum superfluit, quo pacto, ut arguebat Cyrillus contra illos haereticos, producti creaturis, superflueret filius Dei, si vera esset sententia illorum haereticorum, qui aeterni asserebant filium esse instrumentum ex natura rei solum ad producendas creaturas ordinatum.

Obicies quarto ex vi praesentis providentiae, datur decretum efficax circa adventum Christi, independenter a praevisione peccati Adami seu sine eo quod peccatum Adami praecedat aliquomodo, neque in genere causae materialis, decretum efficax circa Adventum Christi, ergo ex vi praesentis decreti veniret Christus etiam Adamo non peccante. consequentia patet. &

antecedens probatur. ex vi presentis providentie, gratia que in statu innocentie fuit collata Adamo, fuit collata independenter a previsione peccati Adami, ita ut eadem gratia ipsi Adamo fuisset collata, etiam si non peccaturum foret (& idem dico de gratia Angelis collata in primo instante sue creationis, & de gratia Angelis collata quoad augmentum in secundo instanti) sed gratia que collata fuit Adamo in statu innocentie, (& idem dico de gratia Angelorum) fuit collata dependenter ab Adventu Christi & a decreto efficaci de eius adventu, & dependenter a meritis Christi, ergo ex vi presentis providentie datur in Deo decretum efficax circa adventum Christi, non connexum cum decreto permissivo peccati, nec supponens previsionem peccati aliquomodo nec in genere cause materialis. maior videtur nota, quod quidem gratia illa Adami in statu innocentie, & Angelorum gratia, connexionem non habet cum peccato futuro. consequentia infertur unde solum restat probanda minor. & probatur 1o. quia cum Christus fuerit Caput Angelorum & hominum ~~…~~ in quocumque statu, gratia in quocumque statu collata, fuit dependenter a decreto efficaci de adventu Christi. = secundo quia omnis excellentia que convenire potest gratie Christi ipsi de facto attribuenda est de facto, dummodo non repugnet muneri Redemptoris, sed ad excellentiam gratie Christi facit quod gratia omnium collata Angelis & hominibus in quocumque statu sit ex meritis Christi. ergo gratia collata Angelis, & Adamo in statu innocentie fuit ex meritis Christi. = tertio. Angeli, in 2o instanti & Adamus in statu innocentie habuerunt fidem Christi venturi sed stante fide de Christi adventu gratia collata est ex meritis Christi in quem crediderunt. ergo gratia collata Angelis & hominibus fuit ex meritis Christi. = quarto. quia gratia Angelorum, & Adami in statu innocentie, sicut & merita eorum, & merita Adami in statu innocentie sunt effectus predestinationis eorum; sed predestinatio Christi est prior ad predestinationem omnium, ergo gratia Angelorum, & Adami in statu innocentie fuit ex meritis Christi. minor supponitur, & maior probatur ~~quia~~ & in primis de gratia Angelorum dubitari nequit cum ex vi illius & meritorum secundi instanti habuissent Angeli in 3o instanti predestinationem consequutam, de gratia autem & meritis Adami in statu innocentie probatur. quia illi gratie, illisque meritis correspondet gradus aliquis glorie, quatenus videlicet per penitentiam reviviscere

Ad hoc argumentum & sialio modo formatum respondet Mag. Ponet. in presenti §. 4. n. 45. negando gratiam collatam Adamo in statu innocentie, fuisse ex meritis Christi, provindendum

negat fuisse effectum prædestinationis Adami, & proinde asserit illi non correspondere, nec meritis, quæ habuit in illo statu aliquis gradus gloriæ, eo quia gratia illa nec illa merita potuerunt reviviscere per subsequentem pœnitentiam, unde per peccatum non fuere mortificata, sed vere mortua. & asignat disparitatem, inter gratiam, & merita illius status, & gratiam, & merita nostra, vel ipsius Adami post lapsum, quod nostra gratia, & merita reviviscere possunt per subsequentem pœnitentiam, quia videlicet manet unum principium, ex principijs moralibus, & vitalibus quibus antequam laberemur in peccatum aliquid apud Deum manuimus, videlicet manet Xptus, qui cum sit causa moralis, & vitalis nostri meriti, illud in mente, & acceptatione divina conservat. un[de] & reviviscere potest per subsequentem pœnitentiam. quod principium non erat ad conservandam gratiam Adami in statu innocentiæ quia illa gratia fuit collata independenter a meritis Xpti.

Noster SS. P. Antonius dela Parra, in præsenti docet gratiam Adami in statu innocentiæ posse dici non fuisse ex meritis Xpti, & hæc solutio quam præstet ad hoc argumentum, dicit quod fortasse est probabilior. unde similiter dicit quod illa gratia non est effectus prædestinationis, sicut nec merita Adami in statu innocentiæ. at vero hoc non obstante dicit quod illi gratiæ, illis que meritis correspondet aliquis gradus gloriæ, non ut in illo statu, sed ut recuperatis per gratiam redemptivam.

Sed mihi videtur inintelligibilis ista solutio, quatenus asserit ex una parte, illam gratiam non esse effectum prædestinationis, & ex alia docet illi correspondere aliquis gradus gloriæ, nam universaliter loquendo gratia, & merita interrupta per peccatum. ideo sunt effectus prædestinationis, quia illis correspondet aliquis gradus gloriæ. licet gradus iste illis correspondeat. ut recuperatis per subsequentem pœnitentiam. unde iste modus dicendi a P. Parra mihi relinquendus venit.

Similiter relicta in sua probabilitate responsio data a SS. M. Gonet, quæ etiam est plurium Thomistarum aliter ad argumentum respondendum censeo. iuxta solutionem primo loco datam a N. SS. P. M. Ant.º dela Parra. asserendo gratiam Adami in statu innocentiæ esse ex meritis Xpti (& idem dico de gratia Angelis collata. unde assero esse effectum prædestinationis, & illi correspondere aliquem gradum gloriæ ut reparatæ tamen, & tamen ex hinc non licet arguere Xptum venturum fore Adamo non peccante. quod sic suadeo. quia ut docent SS. Patres Salmanticenses tract. 5 de Prædestinat.º disp. 9. dub. 2. n. 25. & 26. ex Caietano, quod & docet M. Cabrera in præsenti disp. 2. §. 26. n. 559. licet Xptus de facto venerit, & intentus fuerit a Deo supposito, & prævisio peccato Adami, ut materia destruenda, tamen etiam venit, & fuit præintentus ut universale principium totius gratiæ pro omni creatura, & pro omni statu, ita tamen ut respectu diversi status in quo potest esse creatura intellectualis, diversimode sit Xptus principium causativum gratiæ, nimirum pro statu innocentiæ. & pro Angelis, sit principium causativum gratiæ, non reparativæ, & sanativæ, sed elevativæ seu elevantis, & sanctificantis, cum virtute sanandi si daretur lapsus reparabilis, pro B. Virgine fuit principium gratiæ præservativæ, pro Adamo post peccatum, & pro nobis, omnibus que posteris fuit universale principium gratiæ reparativæ, sanativæ, & redemptivæ

Nec valet dicere quod ex hac doctrina sequitur Xpthum venturum fore, Adamo non peccante, sub illa formalitate sub qua connectitur cum gratia Adami, & est illius causa nempe sub formalitate ~~primi~~ principij universalis totius gratiæ.

Non inquam hoc valet dici quia Xpthus, qui causat in Adamo in statu innocentiæ gratiam, est iste Xpthus qui modo est Redemptor, etenim esse caput, & universale principium totius gratiæ, convenit ipsi ratione suæ infinitæ perfectionis, & dignitatis, quæ omnia conveniunt Xptho Redemptori, & eius passioni, & morti, licet alias Xpthus non produxisset gratiam in Adamo in statu innocentiæ reduplicative ut Redemptor, sed ut identice Redemptor, quo pacto illa gratia prout in illo statu non erat redemptrix, sed elevatrix, & sanctificatrix, Cuius ratio est, quia causa moralis non influit nisi ut cognita, licet alias identice, & materialiter non sit exstitura nisi cum omni alia formalitate sibi convenienti. & una ex circunstantijs sine quibus non veniret Xpthus ex vi præsentis decreti est circunstantia Redemptoris, quam circunstantiam, nec cognovit Adamus in statu innocentiæ nec illi in illo statu illam revelavit Deus.

Et per hoc patet ad argumentum in forma Respondeo negando antecedens, & ad probationem nego maiorem, quam non probat, gratia enim quam habuit Adamus in statu innocentiæ non est eadem numero gratia, quam haberet in eodem statu innocentiæ, si numquam peccaret, & proinde non veniret Xpthus. quia gratia, quam de facto habuit Adamus in statu innocentiæ, fuit causata a Xptho specificative, & identice redemptore, a quo, non esset causata, si numquam peccaret, cum in illa hypotesi non venturus foret, & ratio est manifesta, quia variata causa effectus, necesse est quod varietur effectus, sed in hypotesi quod Adamus numquam peccaret, & proinde non veniret Xpthus, non daretur eadem causa gratiæ pro statu innocentiæ perseveraturi, cum non esset venturus Xpthus, a quo de facto fuit causata moraliter gratia quæ de facto fuit in statu innocentiæ, qui non perseveravit, ergo non est eadem numero gratia. Nec sequitur illam gratiam habere connexionem cum peccato, sed cum Xptho, qui connectitur cum peccato ut cum materia destruenda.

Articulus. II.

Vtrum Verbum fieret homo, ex vi praesentis decreti solo existente peccato originali; vel e contra solis actualibus existentibus?

§. I.

Praenotantur certa.

Supponendum est primo et omnino certum Xptum Dominum de facto venisse in mundum ad omnia peccata delenda, seu ad exhibendum remedium sufficiens pro omnibus peccatis, unde si omnia de facto non delentur non est ex defectu virtutis passionis Xpti, sed ex defectu pecantium nolentium uti isto efficacissimo et potentissimo remedio, utique non solum sufficienti, sed etiam superabundanti.

De facto ergo non solum venit Xptus in remedium peccati originalis, sed etiam in remedium omnium peccatorum, tam actualium, quam habitualium, mortalium, et venialium. Haec veritas constat, tum ex communi consensu Ecclesiae, tum ex illo Ioann. 2. ubi dicitur: * Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi* et ex illo Pauli ad Hebraeos 1. * Portans omnia vero virtutis suae purgationem peccatorum faciens.* quae eadem veritas constat etiam ex alijs locis sacrae paginae.

Ratione etiam suadetur haec eadem veritas: quia finis Incarnationis est satisfacere ad aequalitatem divinae iustitiae laesae per peccatum, et perducere homines ad vitam aeternam, sed non solum per peccatum originale est laesa iustitia divina. et non solum per peccatum originale impeditur ingressus in vitam aeternam, ergo dicendum est quod de facto Xptus Dominus venit ad delendum non solum peccatum originale, sed omne quodcumque aliud.

Supponendum est secundo ut, certum apud fere omnes. quod Incarnatio principaliter facta fuit in remedium peccati originalis, quod expresse docetur ab Angelico Magistro

in hac 3. p. q. 1. ar. 4. in argumento Sed contra. & ratione suadetur, quia peccatum originale, cum ex terminis maius sit extensive quam peccatum mortale actuale personale, ut pote malum totius naturæ, per se clausit hostium pro tota natura humana, sed Xptus principalius venit ad tollendum maius malum, ergo principalius venit ad tollendum peccatum originale.

Præsens ergo difficultas devolvitur ad indagandum, an peccatum originale, ita sit obiectum principale, seu motivum principale ad hoc ut Deus efformaret decretum efficax intentivum, & executivum Incarnationis, quod sit motivum adæquatum primarium, ita ut illo non existente deficeret decretum quod de facto est in voluntate divina in præsenti providentia? vel an motivum adæquatum & primarium conflетur ex peccato originali, & ex peccatis personalibus? vel an personalibus peccatis existentibus, & non existente peccato originali, veniret Xptus ex vi præsentis decreti, & præsentis providentiæ.

Sed antequam sententiarum diversitatem in hac parte proponamus eliminanda est ab Scholicis sententia asserens Xptum Dominum de facto venisse ad delenda peccata Angelorum, quam sententiam, ut comuniter dicitur, docuit Origenes, & quam esse hæreticam docet Magnus Parens Augustinus lib. de hæres. cap. 43. & ratio est manifesta, ex eo quia Angelorum peccatum non potest ab ipsis retractari, nec possunt de illo pœnitere ob inflexibilitatem naturæ eorumdem, & quia sunt in termino suæ perditionis, & damnationis, & in inferno nulla est redemptio.

§. II.

Referuntur sententiae.

Prima sententia docet, quod existente solo peccato originali, & etiam solis peccatis actualibus existentibus veniret Xptus ex vi præsentis decreti... ita Mag. Vincentius relect.° de gratia Xpti. q. 6. concl. 4. Medina in præsenti ar. 4. Valentia q. 1. punct. 6. Lorca in præsenti num. 59. Becanus q. 9. Suarez disp. 5. sect. 3. Vazquez in præsenti ad ar. 4. D. Th. Gaspar Hurtado disp. 1. diff. 28. & alij.

Secunda sententia docet quod solo existente peccato originali, vel solis existentibus actualibus, Xptus non veniret ex vi præsentis decreti. ita Nazarius hic ar. 4. controv. unica. concl. 1. Cabrera in præsenti. Ill. Godoy 3. p. disp. 8. § II. & alij.

Tertia, & verior sententia docet Xptum venturum fore ex vi præsentis decreti solo existente peccato originali.

etiam si actualia non existerent. est communior inter Thomistas, et docet & tenet Mag. Gonet. in præsenti. disp. 5. ar. 2. §. primo. & alij quamplures.

Ex nostris. N. P. Antonius dela Parra, in præsenti disp. 1. q. 5. ar. 5. videtur stare pro ista tertia sententia dum in prima resolutione docet quod de facto venit Xphus ad omnia peccata delenda & principalius ad originale peccatum delendum. Sed extra chorum cantare videtur dum in ibidem in resolutione secunda docet, quod ex suppositione quod tantum esset peccatum originale, vel tantum esset actuale, & ex suppositione quod Deus vellet condignam, & æqualem satisfactionem, erat necessarium ex suppositione, quod Xphus veniret. Quæ resolutio secunda licet verissima sit, est extra rem. quia iam alibi stabilitum, & probatum est quod purus homo, & nulla pura creatura potest condignam, & æqualem satisfactionem pro peccato mortali præstare. unde ex consequenti est probatum quod in casu. quod solum daretur unum peccatum personale mortale, & Deus vellet æqualem. & condignam satisfactionem pro illo esset necessario Incarnatio.

§ III

Statuitur prima conclusio

Sit prima conclusio: Ex vi præsentis decreti veniret Xphus solo existente peccato originali. est conformis hæc conclusio primæ, & tertiæ sententiæ. & probatur permanente motivo principali, & adæquate primario, ad quod terminatur decretum quod de facto existit in Deo decernente efficaciter incarnationem, Verbum fieret homo. & proinde Xphus veniret ex vi præsentis decreti; Sed motivum principale. & adæquate primarium, inspectum a decreto de facto existente in Deo decernente efficaciter incarnationem, est solum peccatum originale: ergo ex vi præsentis decreti Xphus veniret solo existente peccato originali. cætera patent, & probatur minor quæ unice indiget probatione. Motivum principale. & adæquate primarium inspectum a decreto de facto existente in Deo, constare debet ex Sacris litteris. & non nisi ex Sacris litteris, iuxta intelligentiam. Ecclesiæ, & Sanctorum PP. potest probari. Sed omnes authoritates, quas supra cumulavimus, loquuntur de adventu Xphi ob remedium peccati originalis, tamquam principale motivum, & adæquate primarium. ut illas considerando constabit, ergo vera est minor.

Confirmatur ex quia Ecclesia in Benedictione cerei Paschalis. quæ fit Sabbato maioris hebdomadæ, ad existentiam Incarnationis solum canit necessitatem peccati originalis. ut constat ex illis verbis: * Qui pro nobis, æterno Patri, Adæ debitum solvit, & veteris piaculi cautionem pio cruore detersit. * & post pauca prosequitur: * O certe necessarium Adæ peccatum quod Xphi morte deletum est. o felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem * ergo et quia est vera prædicta minor.

Vlterius quia Daniel cap. 9. Archangelus Gabriel instruens Danielem de futura Incarnatione, & de tempore in quo erit fienda. & insinuans motivum illius tantum meminit de motivo delendi peccatum originale per haec verba: * Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum, & super urbem Sanctam tuam ut consumetur praevaricatio, & finem accipiat peccatum & deleatur iniquitas * ubi Sacri interpretes testantur loqui Archangelum de originali peccato.

Similiter Propheta Isaias loquendo nomine Dei, de passione toleranda a Christo. cap. 53 dicit: * Propter scelus populi mei percussi eum, & propter ulcus, quod erat in eis * ubi etiam interpretes explicant de peccato originali; & denotat istam intelligentiam ly Ulcus, quod significat antiquum vulnus, quod proprie convenit originali peccato.

Insuper idem Propheta Isaias cap. 26 loquendo de adventu Messiae invitans ad gaudium, ait: * in illa die cantabitur canticum istud in terra Iuda: Urbs fortitudinis nostrae Sion Salvator, ponetur in ea murus, & ante murale, &c. Vetus error abiit. * ubi ly vetus error absdubio denotat peccatum originale.

Denique Evangelista Ioannes. cap. 1. v. 29. dicit. * Altera autem die vidit Ioannes (Baptista scilicet, de quo ibi loquitur Evangelista) Iesum venientem ad se. & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. * quae verba exponens Glosa ordinaria ait ex Beda, peccatum mundi intelligitur originale peccatum, quod est commune in toto genere humano.

Alio etiam modo potest efformari ratio & fundamentum nostrae conclusionis, quia decretum quod de facto Deus habuit circa Incarnationem, fuit ut totam naturam, quae in Adamo peccaverat, restauraret, atqui etiam si nullum esset aliud peccatum, nisi originale peccatum similiter periisset tota natura, ut patet. ergo solo existente peccato originali Xphus veniret. maior patet ex authoritatibus citatis tum hic. tum articulo praecedenti; & insuper probatur. quia sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, sed Mundus perierat solo existente peccato originali, ergo Deus filium suum unigenitum daret. ergo vera est maior.

§. IV.

Statuitur secunda conclusio.

Sit secunda conclusio: Si non extitisset peccatum originale, etiamsi omnia alia peccata mortalia personalia extitissent, Xphus non veniret. est haec conclusio conformis tertiae relatae sententiae, contra primam, & secundam relatam sententiam.

Probatur ratione: Quia deficiente motivo principali, & adaequato primario, etiam si stet motivum secundarium sicut

defacto existentis in Deo circa Incarnationem, deficit decretum quod de facto fuit circa Incarnationem, Sed et ex dictis constat motivum principalius, & adequate primarium decreti de facto extentis in Deo circa Incarnationem, est peccatum originale, & hoc defficeret in hypotesi facta, ergo defficeret decretum hoc quod defacto exisstit in Deo circa Incarnationem, ergo ex vi presentis decreti nonveniret Xptus Si non extitisset peccatum originale, etiam si omnia alia peccata mortalia personalia existerent.

Confirmatur in sententia omnium thomistarum communi, etiam illorum contra quos inpresenti, Xptus ex vi presentis decreti, tum intentivi, tum executivi, fuit intentus, & executus in carne passibili. sicut venit in carne passibili, Sed peccato originali non existente, quolibet alio personali existenti, Caro communis naturę humanę non esset passibilis, ergo ex vi presentis decreti Xptus nonveniret, non existente peccato originali, alijs personalibus existentibus. minor constat ex Ap. ad Rom. 5. * per unum hominem peccatum, in hunc mundum intravit, & per peccatum mors * ergo vera est minor.

Nec valet dicere quod ibi loquitur Apostolus de morte spirituali, quia esset idem per idem dicere quod per peccatum intravit in mundum mors, ac dicere per peccatum intravit peccatum. si inpresenti ~~peccatum~~ Ery mors significat mortem spiritualem.

Et confirmatur ex illo Genes. 8. * in quacumque die comederis morte morieris * idest eris reus mortis corporalis, etenim ex morte spirituali originem traxit mors corporalis, de qua erat homo expers. Si preceptum custodiret.

§ V

Solvitur fundamentum contrariorum

Obiicies primo: deficiente motivo integro, & adequato Incarnationis, deficeret decretum de facto existens in Deo circa Incarnationem, & proinde Verbum non fieret homo ex vi presentis decreti, Sed motivum integrum, & adequatum decreti de facto existentis in Deo circa Incarnationem non fuit solum remedium peccati originalis, Sed etiam remedium omnium peccatorum actualium, ergo solo existente peccato originali, & personalibus non existentibus Verbum non fieret homo ex vi presentis decreti. probatur minor: Finis & motivum adventus Xpti fuit perfecta hominis redemptio a captivitate Diaboli; Sed perfecta hominis redemptio a captivitate diaboli non existeret si non liberaret etiam a peccatis personalibus; ergo est quia motivum integrum, & adequatum Incarnationis fuit non solum remedium peccati originalis, Sed etiam remedium omnium peccatorum etiam personalium.

Respondeo distinguendo, & explicando maiorem

deficiente motivo integro, & adequato Incarnationis, integrante, & adequante primarie defi... decretum defacto existens in Deo circa Incarnationem concedo maiorem, non integrante primario, sed secundario, nego maiorem, & distinguo minorem sed motivum integrum & adequatum defacto existentis in Deo, non fuit solum peccatum originale, si sermo est de motivo integrante secundario concedo minorem, si sermo sit de motivo integrante primario, nego minorem, & consequentiam. Ad probationem quatenus huic solutioni obstare potest respondeo distinguendo maiorem Finis, & motivum fuit perfecta hominis redemptio: idest generis humani generaliter loquendo, & prout generaliter & universaliter loquendo erat maculatum macula communi concedo maiorem, hominis, idest huius vel illius particularis redemptio, subdistinguo, fuit motivum secundarium, & extensivum concedo maiorem, fuit motivum integrans primario obiectum decreti incarnationis defacto existentis in Deo nego maiorem. & distinguo minorem sed perfecta hominis redemptio non existeret si non liberaret ab actualibus, perfecta redemtio generis humani, & naturę communis prout omnibus est communis nego minorem, perfecta redemptio huius vel alterius in particulari, subdistinguo & hoc argueret defectum in motivo primario nego minorem, & hoc non argueret defectum in motivo ~~primario~~ secundario ~~...~~ iterum subdistinguo si non liberaret ab actualibus & personalibus prout originem trahunt a peccato originali concedo minorem, si non liberaret ab actualibus quę alias essent non existente peccato originali nego minorem, & consequentiam vel distinguatur consequens distinctione data in prima maiori.

Explicatur solutio, dicimus ergo quod de facto venit Xphus ad redimendum, & liberandum nos omnes ab omni peccato tum originali, tum personali, at quod non requiritur quod motivum primarium adventus Xpti constitutur ex ęquo ex omni peccato, sed sufficit quod motivum primarium foret peccatum originale, & secundarium materiale, implicsivum, omnia peccata personalia, non ut cumque, sed ut originata in peccato originali quatenus ab alio originantur saltim remote, si enim non existeret originale peccatum, non existerent peccata personalia quę modo sunt, sed alia fortasis, existerent, vel non quę si existerent non macularent naturam, sed personam. & an veniret Xphus non existente peccato originali maculante naturam, existentibus in aliquibus peccatis personalibus, quę proinde non radicarentur in peccato originali, est divinare, & sine fundamento. cum hęc quęstio resolvi non possit ex vi decretorum de facto existentium in Deo

Quę doctrina potest exemplificari apto exemplo de Medico, v. g. qui ad curandum suum filium gravi morbo detentum venire disponens & efficaciter decernens, iam quasi iter aggrediens audit alium amicum suum etiam morbo laborare, quo audito promptiori animo ad filium pergit ut eum, & amicum curet, causa enim finalis primaria, & adequate motiva, est

curare filium, unde hac indigentia existente, veniret, esset vel ne, alia indigentia amici, an autem veniret existente unice indigentia amici, ex prima determinatione, & primo decre to defacto existente, cognosci non potest, unde si veniret ad amicum unice, dependet ex alia providentia, & esset divinare affirmare quod veniret, sicut etiam esset divinare affirmare quod non veniret. Exemplum aliud est in Samuele qui ut colligitur ex 1. Reg. cap. 16. iussu Dei venit in Bethleem ad ungendum David in Regem tanquam propter motivum primarium, & adequatum, & hoc motivo non existente non veniret habuit tamen defacto aliud motivum secundarium scilicet offerendi Deo sacrificium.

Obicies contra secundam conclusionem Verbum fieret homo, & proinde Xptus veniret etiam si solus unus homo peccaret, & proinde etiam non existen te peccato originali, nec alijs hominibus peccarent, ergo potiori titulo Xptus veniret non existente peccato originali, existentibus tamen peccatis personalibus. consequentia infertur, & Antecedens probatur ex D. Ioanne Chrisostomo Homil. 3 in Acta Ap. explicando illa verba: * & dederunt sortes eis * ubi hec habet verba: * Unius Animę perditio tantam habet iacturam, uti nulla ratio possit æstimare; etenim si unius animę salus tanti est, ut ob hanc Filius Dei fieret homo, tantaque pateretur &c.ª * ergo verum est antecedens.

Respondeo, quod & si videatur Chrisostomus stare pro con traria sententia, tamen re vera stat pro nostra conclusione, ut notat Angelicus Magister in hac. q. 1. ar. 4. ubi Sanctus Doctor in responsione ad 3. per hec verba: *. Ad tertium dicendum, quod sicut Chrisostomus ibidem (idest in 2. de compunctione Cordis) dicit, verba illa dicebat Apostolus (idest ad Galatas 2. ubi ait: Dilexit me, & tradi dit se met ipsum pro me) non quasi diminuere volens amplissima, & per orbem terrarum diffusa Xpti munera, sed ut pro omnibus se solum indicaret obnoxium, Quid enim interest si, & alijs prestitit, cum quę tibi sunt prestita, ita integra sunt & ita perfecta, quasi nulli alij ex his aliquid fuerit prestitum, Ex hoc ergo quod aliquis debet reputare sibi beneficia Xpti prestita esse, non debet ęstimare quod non sint alijs prestita, & ideo non excluditur quin principalius veniret abolere peccatum totius naturę, quam peccatum unius personę, sed illud pecca tum naturę ita perfecte curatum est in uno quoque, ac si uno solo esset curatum & ideo propter unionem Charitatis totum quod omnibus est impensum, unus quisque debet sibi ascribere * hec omnia D. Th. ad 3. quę volui referre & ut argumenti solutio appareat, & ut constet nostram conclusionem esse expressam in An gelico Magistro. unde miror M. Godoi contrariam tenere

Ergo per hoc patet etiam Solutio ad illud quod poterat obici ex Apostolo ad Gal. verbis proxime relatis. quia ut aiebat Chrisostomus in lib. 2. de compunctione cordis, Hic est affectus servi fidelis, ut beneficia domini sui, quæ communiter omnibus data sunt quasi sibi soli præstita reputet. Cuius exemplum clarum habemus in Sole. Sol enim mihi beneficium speciale facit illuminando ut videam, et si simul eâdem luce alios illuminet, non enim mihi minus de luce offert eo quia alios illuminet, sed hoc non obstante quod tantum serviat pro me, quod videatur me solum illuminare, non fuit creatus Sol ut me solum illuminaret, sed ut omnes illumi net.

DISPVTATIO QVARTA. DE QVIDDITATE INCARNATIONIS PROVT ACTIO EST.

Articulus I.

Vtrum Incarnatio, prout est assumptio humanitatis ad esse personale Verbi, seu vnitio humanitatis ad Verbum sit eadem actio ac creatio animæ Xpti, & productio, seu generatio humanitatis?

§. I.

Præmittuntur aliqua.

Supponimus vt omnino certum, simul, & in eodem instanti indivisibili fuisse creationem animę Xpti, productionem, seu generationem humanitatis eiusdem, & assumptionem, seu unitionem eiusdem humanitatis ad personam Verbi. absque eo quod humanitas, vel anima Xpti. precessissent assumptionem Verbi, alias pro aliquo instanti humanitas Xpti habuisset subsistentiam creatam, quod salva fide dici nequit. Quod ergo in dubium vertimus est an creatio animę Xpti (quę utique est actio specialis Dei creantis per suam actionem formaliter immanentem, & virtualiter transeuntem) & generatio humanitatis, & actio assumptiva humanitatis ad esse personale Verbi, seu actio unitiva humanitatis ad personam Verbi, sint tres actiones realiter diversę, vel an sit una, & eadem actio.

Secundo supponimus quod dubium presens non procedit de actione assumente, & de creatione, pro ut quęlibet harum se tenet pro recto, ex parte Dei, prout sic enim sunt ipsa entitas actus necessarii, & sunt quid divinum, sed procedit dubium de ipsis ex parte obliqui consideratis, an prout sic sint idem inter se, & cum actione generativa.

§. II.

Statuitur conclusio.

Sit nostra conclusio: Istæ tres actiones sunt realiter inter se distinctæ. Et probatur quia distinctio realis, non solum specifica, sed etiam entitativa actionum, sumitur a distinctione reali, specifica, & entitativa terminorum, sed termini formales harum trium actionum sunt specifice, & entitative diversi, ergo, & actiones. Maior continet principium universale stabilitum & persuasum in Methaphysica, quod & probatur ab Angelico Mag. 1. p. q. 77 ar. 3. Minor ergo probatur, quia actio creativa terminatur ad animam, ut ex nihillo creatam, productio seu generatio humanitatis terminatur ad humanitatem, Assumptio autem humanitatis ad Verbum, seu unitio ipsius humanitatis ad personalitatem Verbi terminatur ad ipsam humanitatem, ut terminatam personalitatem Verbi, sed hi termini formaliter, realiter, specifice, & entitative, saltim ut includens ab incluso distinguuntur. ergo vera est minor.

Secundo probatur eadem conclusio: quia Assumptio humanitatis ad esse personale Verbi est actio superioris ordinis ad animæ creationem & ad productionem, seu generationem humanitatis, ergo realiter inter se distinguuntur, ans. est certum cum assumptio, seu unitio humanitatis ad esse personale Verbi, sit actio non ut cumque supernaturalis, sed & pertinens ad ordinem hypostaticum, aliæ autem actiones sunt pure naturales, prima, nempe creatio pertinens ad Deum authorem naturæ, & secunda videlicet generatio pertinens ad causam secundam creatam. ergo realiter distinguuntur.

Tertio probatur eadem conclusio. quia si propter aliquam rationem illæ actiones realiter inter se non distinguerentur, maxime quia omnes ordinantur ad idem compositum, quod est Xptus, sed hæc ratio non obstat, ut patet in creatione cuiuslibet animæ, & generatione cuiuslibet hominis, quæ ordinantur ad eundem hominem & tamen inter se diversificantur realiter, ergo & prædictæ actiones.

§. III

Solvuntur argumenta

Obiicies primo. quædam Sanctorum Patrum testimonia. inprimis Leo Papa Ep. 11. ad Julianum, sic ait: * Natura nostra, non sic assumpta est, ut prius creata postea assumeretur, sed ipsa assumptione crearetur * S. Fulgentius de fide ad Petrum. cap. 18. ait: * Ipsum Verbum Deum suæ carnis acceptione conceptum * & lib. de Incarnat. & gratia cap. 3. ait: * Ipsa quippe acceptio carnis, fuit conceptio Virginalis * ergo illæ actiones non distinguuntur.

Respondeo Sanctos Patres solum intendere explicare simultaneitatem illarum actionum, quæ est omnimoda, ut supra prænotavimus, quod patet ex eorum Verbis, nam Leo Papa dicit natura non sic assumpta est, ut prius creata, & tamen creatio non ad humanitatem assumptam, sed ad animam terminatur, ita tamen, ut creatio animæ, & generatio humanitatis, per actionem assumptivam complerentur quæ communicavit subsistentiam divinam, & proinde existentiam, cum aliunde si non adfuisset assumptio actio generativa tribueret & subsistentiam, & existentiam

Obiicies secundo creatio animæ Xpti, & productio humanitatis, sunt actiones per quas anima Xpti eiusque humanitas accipit esse, sed anima Xpti, eiusque humanitas habent esse per assumptionem, ergo est eadem actio, maior ex se patet quia creatio, & productio est ad esse, minor etiam est nota quia anima Xpti, eiusque humanitas non habent aliud esse existentiale nisi divinum.

Respondeo distinguendo maiorem creatio, & productio est ad esse existentiale vel formaliter, vel concomitanter concedo maiorem, semper formaliter nego maiorem, et concessa minori loquendo de eodem esse existentiali nego consequentiam. dicimus enim quod terminus primarius creationis est essentia individua rei creatæ, exist.^a autem est terminus secundarius, quæ ponitur per eamdem actionem creativam, si aliunde non impeditur per aliam actionem concomitantem, quæ directe terminetur ad esse subsistentiale, & existentiale. ut accidit in casu nostro, eo quia Verbum divinum traxit per actionem assumptivam animam, & humanitatem ad suum esse divinum, & idem dicimus de actione productiva humanitatis. quæ naturaliter attingeret, & produceret personalitatem propriam & existentiam naturalem, si non impedita fuisset ab actione assumptiva.

Obiicies tertio. Si humanitas Xpti non fuisset producta ex vi eiusdem actionis per quam fuit assumpta a Verbo, sequeretur quod pro priori ad actionem assumptivam, esset producta, sed hoc dici nequit. ergo fuit producta per actionem assumptivam. probatur maior, probanda postea minor, quia si productio, & assumptio sunt duæ actiones assumptio debet prius natura supponere productam humanitatem assumendam. ergo vera est maior. iam ergo probatur minor. quia si productio humanitatis fuit prius natura quam assumptio, cum productio humanitatis sit eius generatio sequeretur Beatissimæ Virginem Mariam Matrem Dei non fuisse. quod est blasphemum. sequella probatur. quia productio, seu generatio, prout oritur a Matre terminaretur ad humanitatem pro signo priori ad assumptionem, ergo pro priori ad assumptionem eius operatio generativa esset adequate, & complete terminata. ergo B. V. solum generasset hominem, non vero Xptum ex divina, & humana natura constantem.

Respondeo primo in sententia communi Thomistarum asserentium mulierem non concurrere active ad generationem, sed tantum passive ministrando materiam, quod sicut mulier quælibet non ideo dicitur generare quia præstet concursum activum, sed quia ministrat materiam, ita similiter, ut B. Virgo dicatur, & sit Mater Dei, non requiritur quod præstet aliquem concursum activum sed quod ministraret humanitatem, seu materiam ex qua Spiritus Sanctus formavit humanitatem, etiamsi nullum præstaret concursum activum, etiam instrumentaliter ad actionem assumptivam. sufficit enim, ut sit Mater Dei quod in eodem instanti in quo Spiritui Sancto ministravit materiam. unietur illa humanitas personæ Verbi, etenim non censetur compositum ultimo completum usquedum intelligatur sub existentia, & proinde cum persona Verbi unitum.

In sententia autem Medicorum asserentium mulierem concurrere active respondetur quod ut B. Virgo dicatur, & sit Mater Dei, non requiritur quod concurrat active ad actionem assumptivam, sed quod active concurrat ministrando active materiam, & formando, seu coagendo cum Spiritu Sancto humanitatem, quæ in eodem instanti reali fuit unita personalitati Verbi, quia ut dicebamus non censetur actio completa, nec est completa nisi intelligatur compositum terminatum per subsistentiam, & existentiam, unde vere, & rigorose dicitur, & est Mater Dei.

Quod potest confirmari, & explicari verbis D. Th. 3. p. q. 35. ar. 4. in corp. ubi ait: * Cum igitur in ipso principio conceptionis fuerit humana natur assumpta a Divina Persona, consequens est quod vere possit dici Deum esse conceptum, & natum de Virgine: ex hoc autem dicitur aliqua mulier alicuius mater quod eum concepit, & genuit, unde consequens est quod Beata Virgo vere dicatur Mater Dei.* Unde ad argumentum in forma respondetur, admissa maiori, vel illam claritatis gratia. Si humanitas Xpti non esset producta ex vi eiusdem actionis qua fuit unita Verbo sequeretur quod prius priori ad actionem assumptivam esset producta, quoad entitatem essentiæ, concedo, quoad entitatem essentiæ ut personatæ, subdistinguo, ly ut dicente exercitium personalitatis, nego maiorem, ly ut dicente capacitatem, & exigentiam ut personetur concedo maiorem, & concessa minori sub data distinctione nego consequentiam. & ad probationem maioris, respondetur sub eadem distinct.e & similiter ad probationem minoris.

Dicimus ergo, quod humanitas est terminus qui quasi intensivus, actionis generativæ, sed terminus quasi extensivus est ipse Xptus, unde vere, & cum omni rigore generavit Deum hominem, & proind est stricte Mater Dei. Neque ad hoc iuvat quod B. Virgo præstet aliquem influxum in actionem assumptivam, actio enim assumptiva, non est generativa, neque ex vi sua terminum constituit genitum, sed assumptum, seu unitum, præterquam quod nulla creatura potest in actionem assumptivam influxum præstare, hæc enim proprius est Dei. nec etiam instrumentaliter potest creatura in illam influxum præstare, & si aliquibus extra scholam D. Thæ placeat, quod B. Virgo posset præstare, vel præstitisset in actionem assumptivam influxum instrumentaliter, etiam hoc non iuvat ut sit Mater per talem influxum, cum etiam si respectu Virginis esset possibilis ille instrumentalis influxus, esset etiam possibile quo quælibet alia creatura, etiam lapis, assumeretur ut instrumentum ad assumendam humanitatem. Fuit ergo, & est Mater Dei, quia generavit humanitatem, & illam aptavit proxime ut personaretur a Verbo, in eodem instanti in quo posuit humanitatem.

Articulus II

Quisnam sit terminus formalis Incarnationis, prout actio est?

§. I

Notantur aliqua

Supponimus ex Methaphysica terminum cuiuslibet actionis, alium esse totalem, qui dicitur communiter terminus qui; alium esse terminum formalem, qui communiter dicitur terminus quo, seu ratio formalis qua, vel sub qua terminus totalis terminat. unde sicut ex parte principii aliud est principium quod, agens, & operans, ut quod, & aliud principium quo agendi, seu ratio formalis qua agens agit, ita similiter ex parte termini datur eadem correspondentia, de termino, qui, & quo. quæ doctrina etiam sumitur ex D. Th. 1. p. q. 45. ar. 3. & patet in qualibet actione hæc distinctio terminorum quia in actione generativa, v. g. terminus qui totalis est homo, & terminus quo anima. similiter in dealbatione, terminus qui est album. & terminus quo est albedo, & proinde terminus quo se habet ut ratio formalis determinans, & constituens in esse talis, terminum qui, seu totalem.

Supponimus secundo ex Methaphysica, terminum quo, seu formalem esse illud quod præcipue in ratione termini consideratur in termino totali, licet alias in esse entis, sit inferius, & ignobilius prætermino totali, ut patet in eâdem dealbatione in qua albedo, quæ est terminus formalis præcipue attenditur in albo, licet alias in esse entis sit inferior & ignobilior albo, imo quam subiectum album, cum subiectum sit substantia, & albedo sit accidens.

Supponimus tertio præsentem difficultatem non procedere de termino totali incarnationis, prout actio est, seu de termino totali actionis assumptivæ, iste enim iuxta omnes, est Deus homo, qui dicitur, & explicatur per hanc vocem Xphus. Difficultas ergo reducitur ad termimum formalem, seu ad terminum quo, seu ad terminum qui est ratio formalis qua, vel sub qua terminandi, unde est ac inquirere qualis sit terminus quo, seu ratio formalis constituens Xphum in ratione termini totalis? quæ difficultas est reddita gravior propter sententiarum diversitatem, in quacumque schola.

§. II

Referuntur sententiæ

Prima sententia asserit terminum formalem huius actionis assumptivæ, esse modum unionis substantialem, quem inter humanitatem & Personalitatem Verbi cognoscit hæc sententia. ita P. Suarez, in præsenti, disp. 8. sect. 3. dub. 1. referens pro hac sententia. Scotum. in 3. dist. 11. q. 1. Durandum in 3. dist. 5. q. 2. & alios.

Secunda sententia distinguit

inter ipsam Incarnationem, ut actio est significata, per hunc terminum, vel vocem Assumptio, & ipsam significatam per hanc vocem Vnitio, & ipsam significatam per eamdem vocem Incarnatio, seu humanatio. & asserit hæc sententia quod Incarnatio, seu humanatio, habet pro termino formali quo, humanitatem, Assumptio habet pro termino formali quo ipsam personam Verbi, & Vnitio, habet pro termino formali quo modum unionis substantialem, quem etiam cognoscit inter humanitatem, & personalitatem Verbi. ita M. Lorca. hic. disp. 16. & Noster Parra in præsenti disp. 2. q. 2. ar. 8. Si unionem excipias, quia Noster Parra modum unionis realiter distinctum ab extremis non cognoscit, unde dicit quod Vnitio habet pro termino formali quo ipsam personam Verbi, ut per illam tamquam per quid actualius, & formalius fit unum, ex Verbo, & humanitate. ita ubi supra.

Tertia sententia docet terminum formalem actionis assumptivæ esse Personalitatem Verbi unitam humanitati, unione se habente ut conditione pro hac sententia citatur Capreolus in 3. dist. 15. q. 5. eam tenet Caiet. 3. p. q. 2. ar. 8. Alvarez disp. 13. concl. 3. Nazarius 3. p. contr. 2. M. Gonet. 3. p. disp. 6. ar. 5. & alij thomistæ. Ex familia Societatis eam docet Valentia, & eam reputat probabilem Suarez ubi supra.

Quarta sententia docet terminum formalem quo actionis assumptivæ esse humanitatem, ut unitam Personalitati Verbi ly ut reduplicante rationem formalem, cæterum si unio realiter distinguitur ab extremis, unio se habet ut conditio. ita M. Araujo in præsenti. q. 2. ar. 8. dub. 3. M. Godoy 3. p. disp. 12. §. 2. & alij. & ex schola Societatis P. Vazquez, disp. 19. cap. 2. & alij.

§. III.

Statuitur pro conclusione tertia relata sententia

Sit nostra conclusio: Terminus formalis quo Incarnationis prout actio est, explicatur per illam vocem actio assumptiva, seu actio unitiva, seu humanatio, est Personalitas Verbi divini, prout unita humanitati, dicente ly prout condicionem

Sic authores tertiæ sententiæ, & est inter Thomistas communior. Probatur ratione: quia terminus formalis quo alicuius actionis, est ille qui ut forma terminum totalem, seu terminum qui, constituit; sed talis est Personalitas Verbi divini, ut unita humanitati, in actione assumptiva, seu unitiva, seu in Incarnatione, prout actio est. ergo Personalitas ut unita, est terminus formalis quo actionis unitivæ, assumptivæ, seu incarnativæ. cætera patent præter minorem, quæ sic probatur. quia terminus formalis quo, qui ut forma constituit terminum totalem, est ille qui in termino totali habet rationem perfectivi,

Sed Personalitas Verbi divini, ut unita humanitati, unione se habente ut conditione est. quę in termino totali, nempe in Xpsto, est quę habet rationem perfectivi, ergo Personalitas Verbi divini in actione assumptiva, est terminus, qui ut forma terminum totalem constituit. minor in qua poterat stare difficultas patet, quia humanitas non perficit Personalitatem, sed potius Personalitas humanitatem perficit.

Et instari, & confirmari potest in actionibus productivis, sive sit generando, vel creando, vel alio quo cumque modo. in quibus forma, & non materia est quę perficit, ut quo, & non materia, ergo similiter in nostro casu.

§. IV.

Solvuntur argumenta.

Obiicies primo. Reasumendo prędictam maiorem, pro nostra ratione efformanda assumptam, & Subsumes: Sed humanitas est quę ut forma constituit terminum qui totalem, videlicet Xpstum, ergo humanitas est terminus formalis quo. probatur Subsumpta quia terminus qui constituitur in esse specifico hominis Dei, sed humanitas est quę ut forma constituit terminum totalem, nempe Xpstum in esse specifico hominis Dei, ergo humanitas est, quę ut forma constituit terminum totalem, videlicet Xpstum.

Confirmatur. Si Unio hypostatica fuisset facta in natura Angelica, actio assumptiva, esset diversa, ab actione assumptiva, quo de facto assumpta est natura humana, ergo, deberet habere diversum terminum formalem quo, ut patet, ergo respectu illius assumptionis non poterat esse terminus formalis quo Personalitas. ergo nec respectu assumptionis quę de facto datur non est terminus formalis quo Personalitas.

Respondeo. negando minorem, & ad probationem distinguo, & explico maiorem. terminus qui constituitur in esse specifico hominis Dei, li esse hominis se habente presuppositive, & in signo causę materialis, per ficiendę, concedo. alio modo nego maiorem. & distinguo minorem, humanitas est quę ut forma constituit terminum totalem in esse hominis Dei, adequate nego, inadequate & ut pars materialis constituenda in esse personali divino, concedo minorem, & nego consequentiam.

Dicimus ergo, quod hic terminus totalis nempe Xpstus, est homo, & est Deus, seu est homo Deus. Sed hominis se habet ut materialis pars perficienda per Deitatem unde presupponitur in genere causę materialis, cęterum in genere causę quasi formalis, seu in genere causę terminantis, & determinantis, & perficientis Personalis est quę prę intelligitur

sicut in generatione hominis v.g. in genere causæ materialis, materia præintelligitur ad formam & forma præintelligitur in genere causæ formalis., in nro enim casu. Xptus ab humanitate habet esse hominem, sed humanitas habet esse humanitatem, ab anima, & materia, et ita in genere causæ materialis, & ab anima in genere causæ formalis, & deinde istæ humanitas præ intelligitur ut materia perficienda per personalitatem, a qua habet esse divinum, unde resultat ex illis extremis unum compositum, quod est homo Deus, qui dicitur Xptus. & proinde extremum quod ut forma perfectiva se habet est Personalitas ut unita, sub ut dicente conditionem. Ad confirmationem, vide post 2. Argumentum.

Obicies secundo Assumptio est actio productiva, sed non producitur Personalitas, ergo nec est Personalitas terminus quo formalis.

Respondeo quod ex hoc non convincitur quod humanitas sit terminus formalis quo, quia humanitas non producitur per actionem assumptivam, sed per generationem. Assumptio ergo non est proprie productiva alicuius extremi, sed unitiva extremorum, & ad summum productiva erit termini totalis, ad quod non exigitur, quod aliquod extremum producatur, ut patet, & instatur in generatione hominis, quæ actio est productiva hominis, & non producit materiam nec animam.

Appone ante secundum argumentum.

Ad confirmationem respondetur, concesso antecedenti, & prima consequentia ergo terminus formalis non erit Personalitas, distinguatur hæc secunda consequentia. non erit Personalitas ut unita humanitati concedo consequentiam, ut unita naturæ Angelicæ nego. licet enim se habeat ut conditio, modificat personalitatem extrinsece ut specificat, & terminet diversas actiones. unde neganda est tertia consequentia. in illa enim hypotesi pars materialis perficienda quæ esset natura Angelica diversificaret modum perfectionis præstitæ a Personalitate, unde illam diversificaret in ratione termini.

Obicies tertio replicando ergo modus unionis est terminus formalis quo, quandoquidem est unio quæ unice producitur per actionem assumptivam.

Respondeo negando consequentiam, imo & suppositum, ut postea manifestabitur videndo non dari modum unionis inter personalitatem Verbi, & humanitatem. Sed disputationis gratia, omisso supposito, et admisso unionis modo, adhuc modus ille unionis non esset terminus formalis quo. quia unio non est quæ constituit terminum totalem, sed conditio ad uniendam formam constituentem & perficientem aliud coextremum, ut patet in actione generativa, quæ non respicit pro termino modum unionis, etiam si admittatur modus unionis inter materiam, & formam sed unio ibi deservit ad uniendam formam substantialem, quæ est forma perfectiva materiæ primæ.

DISPUTATIO QUINTA DE QUIDDITATE INCARNATIONIS TERMINATIVE ACCEPTA

Articulus. I

Utrum Xptus vere sit, et dicatur persona composita?

§. I

Referuntur sententiae

Hunc hominem Xptum esse compositum (sumpta compositione) pro eo quod est esse constitum ex pluribus, realiter distinctis, negari nequit, unde ni fallor diversitas sententiarum in hac parte ad modum loquendi debet reduci, at quidquid sit de hoc difficultas presens reducitur ad dignoscendum an Persona Xpti seu hoc concretum Xptus sit persona prout in duabus naturis subsistens, vere sit, & dicatur composita.

Prima sententia est negativa eam tenent D. Bonavent. in 3. dist. 6 q. 2. ar. 1. Durandus ibidem q. 3. Gabriel. ibidem. quest. 2. Rada. 3. p. controv. 2. ar. 3. referens Scotum in 3. dist. 6. citata. q. 3. & alij ex Scotistis.

Secunda sententia est affirmativa hanc tenet Angelicus Magister D. Thomas 3. p. q. 2. ar. 4. & eam tenent communiter Thomistae in presenti, & alij extra Scholam D. Thomae. ut Vazquez 3. p. disp. 16. cap. 2. Suarez. 3. p. disp. 6. sect. 4. & alij ex Societate.

§. II

Stabilitur sententia affirmativa

Sit nostra conclusio: Xptus vere, & proprie est persona composita ex Personalitate Verbi, & ex humanitate, & ex divina, & humana natura.

Probatur primo ex 5. Synodo Generali act. 8. can. 4. ubi post relatos errores Nestorij. Euthichetis, & Apolinaris, hec leguntur verba: * Sancta vero Dei Ecclesia utriusque perfidiae impietatem eiiciens, unionem Verbi ad Carnem, secundum compositionem confitetur, quod est secundum subsistentiam. *

Ratione probatur conclusio, quia omnis unitas per se, aut est talis per simplicitatem, aut per compositionem, sed Xptus est una persona, & unum per se, & non per simplicitatem, cum persona sit concretum dicens personalitatem, & naturam

personalitatem videlicet in recto, & naturam in obliquo, ergo est unus per compositionem ergo, vere & proprie, est persona composita.

Confirmatur illud dicitur compositum, quod constat ex extremis realiter distinctis, & unitis, sed persona huius hominis Dei, qui dicitur Xphus constat ex extremis realiter distinctis & unitis, videlicet ex Personalitate Verbi, & ex humanitate, & ex natura divina, inter quę extrema, nimirum inter Personalitatem, & humanitatem, datur realis distinctio, licet natura divina, identificetur cum personalitate Verbi, ergo Xphus est persona composita.

Confirmatur compositio est distinctorum unio, sed in persona Xpti est distinctorum unio, ergo, & compositio. Nunc iterum sic. Sed in Xpto est duplex natura, scilicet natura divina, & humana, in unitate personę, nempe est natura divina identificata cum personalitate Verbi, & est natura humana terminata & personalizata per personalitatem Verbi, ergo Xphus vere est persona composita, ex Personalitate Verbi, & ex divina, & humana natura.

§. III.

Solvuntur argumenta.

Obiicies primo: omnis compositio vera, & propria est compositio realis, sed in persona Xpti non est compositio realis, ergo persona Xpti vere, & proprie, non est persona composita. probatur minor, quia persona Xpti ut docet D. Th. in hac q. 2. ar. 4. composita est ex alia, & alia ratione subsistendi, sed ex alia, & alia ratione subsistendi non datur compositio realis; ergo in persona Xpti non datur compositio realis. probatur minor, quia ratio subsistendi est personalitas, sed Personalitas prout in natura divina subsistens non distinguitur a Personalitate prout subsistens in natura humana seu prout terminat naturam humanam, ergo ex alia, & alia ratione subsistendi non datur compositio realis.

Respondeo concessa maiori negando minorem, & ad probationem admissa maiori, vel claritatis gratia explicando divum Thomam. Persona Xpti est composita ex alia, & alia ratione subsistendi, sumpta ratione subsistendi, tam secundum id quod dicit in recto, quam secundum id quod dicit in obliquo, concedo, praecise sumpta secundum id quod dicit in obliquo nego maiorem, & distinguo minorem sed ex alia, & alia ratione subsistendi non datur compositio realis, si in recto sumitur ratio subsistendi concedo minorem, si sumitur in recto, & in obliquo nego minorem & consequentiam, & ad probationem quatenus solutioni datę obstare potest, distinguo maiorem: ratio subsistendi est Personalitas, secundum id quod dicit in recto ratio subsistendi concedo maiorem. secundum id quod dicit in recto, & obliquo nego maiorem & omissa minori, nego consequentiam, vel distinguatur consequens, sub eisdem terminis.

Secundo respondes quod Angelicus Doctor loco in argumento citato, nimirum in hac q. 2. ar. 4. in corpore, non ut cumque dicit quod persona Xpti est composita ex alia, & alia ratione subsistendi, sed * in quantum unum subsistit in duobus: * unde ut eodem Angelico Doctore constat ibidem. est composita ex Personalitate, & ex divina, & humana natura. idest ex personalitate ut est ratio subsistendi in humanitate, & ex humanitate personalizata per subsistentiam Verbi.

Obicies secundo omnis compositio est ex partibus sed Personalitas Verbi non potest habere rationem partis, sicut nec natura divina, cum de ratione partis sit incompletio, que repugnat cuilibet predicato divino ergo non est vera conclusio prefata. maior in qua potterat stare difficultas videtur evidens cum omnis compositio sit in ordine ad totum, & omne totum constat ex partibus.

Respondes Angelicum Magistrum ubi proxime, secundo loco sibi obiicit simile argumentum, & respondet * Ad secundum dicendum quod illa compositio persone ex naturis non dicitur esse ratione partium, sed potius ratione numeri, sicut omne illud in quo duo conveniunt potest dici ex eis compositum: * unde ad argumentum in forma, negatur maior. & ad probationem distinguatur maior omnis compositio est in ordine ad totum, si sermo sit de compositione physica naturali, cognita a Phylosophis concedo illam, si sermo sit de Compositione secundum suum methaphisicum conceptum, & prout convenire potest isti compositioni mirabili cognite a theologis adiutis lumine Fidei de hoc mirabili Incarnationis mysterio nemo illam hec enim mirabilis compositio solum dicit esse ex extremis diversis, ad quod non requiritur essentialiter quod omnia extrema comparentur ut partes, & sint partes, & proinde quid incompletum in se.

Et instatur in intellectibus Beatorum, qui habent sibi unitam divinam essentiam per modum speciei impresse, & expresse, ubi ex intellectu, & specie, nempe ex intellectu creato, & divina essentia ut specie unita resultat quod totum compositum intelligens, & tamen divina essentia non habet rationem partis, incomplete, sed rationem termini, seu extremi uniti.

Replicabis si predicato divino repugnat esse partem, etiam repugnat esse extremum, ergo diversitas assignata non iuvat. antecedens probatur, quia in omni compositione quodlibet extremum, ordinatur per se ad aliud coextremum sui. ergo quodlibet extremum, habet idem ac haberet si esset pars, & per consequens, cui repugnat esse partem, repugnat esse extremum.

Sed contra, & nego ans & ad probationem distinguo antecedens distinctione data, nimirum quodlibet extremum

ordinatur ad aliud, in compositione entis per se talis, naturalis, & naturaliter cogniti, a Phylosofis concedo, esse, & Secundum suum methaphysicum conceptum, iuxta quem extremum potest esse tale præscindendo ab imperfectione nego antecedens & consequentiam.

Obiicies Tertio. Si est verum dicere Xptus est persona composita, erit verum dicere: Verbum est persona composita. Sed non potest dici Verbum est persona composita, ergo non potest dici vere Xptus est persona composita. minor est evidens, quia Verbum divinum absolute prolatum significat Verbum ut Subsistens in natura divina. Sed Verbum ut Subsistens in natura divina non est persona composita, cum sit Deus qui est Simplicissimus, & actus purissimus, ergo non potest dici Verbum est persona composita. probatur ergo Sequella maioris, quia si Xptus esset persona composita, esset vera hæc propositio: Xptus est persona composita: Sed etiam ista est vera: Xptus est Verbum Dei. ergo esset verum dicere Verbum Dei est persona composita. præmissæ sunt veræ, & consequentia probatur. quia . licet utraque præmissa sit singularis, & ex puris Singularibus nihil sequatur, tamen minor non est pure singularis, sed æquivalet universali, cum sit propositio necessaria, unde æquivalet ille Sillogismus alteri facto in recto modo nempe in Darii. mutando præmissas, & faciendo ex maiori minorem, & ex minori maiorem, hoc modo. Xptus est Verbum Dei. Sed Xptus est persona composita, ergo Verbum Dei est persona composita,

Nec obstat quod medium sit Subiectum in utraque propositione, primo, quia per conversionem Simpliciter poterit medium, nempe Xptus esse subiectum in maiori, & in minori prædicatum, dicendo persona composita est Xptus. Secundo, quia ut iacet, & sine suffragio conversionis Simpliciter, Syllogismus est formatus in tertia figura, videlicet in Datisi. Tertio quia si relinquitur Syllogismus, ut primo in argumento erat dispositus, nempe hoc modo Xptus est persona composita, Sed ~~[illegible]~~ Xptus est Verbum Dei, ergo Verbum Dei est persona composita. est efformatus in tertia figura in Disamis. ergo consequentia infertur. & cum sit falsa, convincitur quod etiam sit falsa ista propositio Xptus est persona composita. ex qua infertur illa.

Respondeo negando maiorem, seu sequellam, & ad probationem nego consequentiam, concessis præmissis, quia arguitur a restricto ad non restrictum, Seu a non amplo ad amplum, quia in illa propositione Xptus est Verbum Dei, ly Verbum Dei, Significat Verbum Dei restrictum, seu non amplum, prout videlicet Verbum Dei Subsistit determinate in natura humana, in consequenti autem nimirum in ista ergo Verbum Dei est persona composita, ly Verbum Dei, sumitur absolute, ample, & non restricte, sed Secundum se, & ut Subsistens in natura divina, unde non tenet consequentia cum varietur appellatio. propter defectum

Et instatur argumentum in simili quia ob eundem defectum non valet ista consequentia: Animal est homo. sed homo est compositus ex anima rationali & corpore. ergo Animal est compositum ex anima rationali & corpore. mala consequentia, quia licet premissę sint verę arguitur ex non amplo ad amplum, unde variatur appelatio.

Obiicies quarto. Si Persona Xpti est composita, sequitur quod absolute posit affirmari persona Xpti est facta, sed persona Xpti non potest dici facta, ergo persona Xpti non est composita. Sequella probatur omne compositum est posterius natura extremis componentibus, sed quod est posterius natura extremis componentibus, est factum ex illis, ergo si absolute dicitur persona Xpti est composita. absolute poterit dici persona Xpti est facta.

Respondeo quod licet Persona Xpti reduplicatur prout subsistit in humanitate. sit facta, & cum hac reduplicatione posit dici facta, tamen absolute & sine tali reduplicatione, & restrictione non potest dici absolute facta. quia revera non est facta ratione recti ex quo componitur persona, videlicet ratione personalitatis, sed tantum est facta ratione obliqui importati in persona, nempe ratione humanitatis. Composita autem absolute dicitur. quia compositio potest prÿcindi ab omni imperfectione, cum extrema componentia posint denudari ab imperfectione partis, & incompletionis. ut supra manifestum est, de qua imperfectione factum absolute denudari non potest.

Deinde est alia ratio quare absolute posit dici composita, & absolute non posit facta, quia in primo modo loquendi conformamur cum Sanctis Patribus, in secundo cum hereticis, & cum fugiendum sit a convenientia cum hereticis, etiam in modo loquendi ideo absolute non potest dici facta, sed solum cum supradicta restrictione.

Sicut similiter absolute potest dici Filius Dei nos redemit, & mortuus est pro nobis. sicut dicitur Xptus nos redemit. & mortuus est pro nobis, & non potest dici absolute Xptus est creatura, quia in primo modo convenimus cum Sanctis Patribus. in secundo cum hereticis, presertim cum Arrio, unde contendebat Verbum divinum esse factum, & creaturam. & cum Nestorio qui heretice contendebat Xptum non esse Deum.

Ratio autem apriori omnium sumitur ex doctrina stabilita in dialectica. videlicet quia quando predicatum natum est convenire subiecto ratione totius, absolute non potest dici de subiecto si subiecto repugnat, vel non convenit ratione alicuius partis econtra autem si predicatum natum est convenire subiecto solum secundum partem etiam si non reduplicetur pars ratione cuius convenit absolute potest dici de subiecto. ut patet in his: Æthiops est albus. Æthiops est crispus, prima sine reduplicatione nirum secundum dentes, est falsa secunda autem etiam sine reduplicatione est vera, licet crispedo solum conveniat ratᵉ capillorum.

§. IV.

Explicatur modus istius mirabilis compositionis.

Sit secunda conclusio Persona Xpti composita ex predictis extremis. non est composita compositione huius ex his, sed compositione huius ad hoc, vel huius cum his.

Est commune Thomistarum. & eam expresse docet Ill. Godoy in presenti disp. 10. §. 3. & ratione probatur, quia de composito compositione huius ex his non predicatur aliquod extremum, sed de Xpto vere predicatur unum extremum ergo non est compositum huius ex his. maior patet. quia enim homo componitur compositione huius ex his ex anima, & corpore, & album ex subiecto, & ex albedine non potest dici vere homo est anima, vel homo est corpus, nec album est albedo, vel subiectum albedinis. Probatur ergo minor quia de Xpto vere & chatholice dicitur, Xptus est Verbum Dei, est Filius Dei, imo Xptus est Personalitas Verbi, eo quia predicata divina dicuntur de subiecto sive sint concreta, sive abstracta, cum abstractum includat concretum identice ratione summe perfectionis, & solum obstat ad predicationem predicatorum divinorum ad invicem relativa oppositio quo pacto non potest dici Pater est Filius, licet dicatur Pater est Deus, & Filius est Deus.

Secundo probatur conclusio, quia compositum quod est tale compositione huius ex his, includit adequate in recto utrumque extremum, ut patet in homine qui in recto includit materiam, & formam, quo pacto est verum dicere materia, & forma, seu corpus, & anima unite sunt homo. Sed hoc compositum Xptus non importat in recto omnia extrema. sed solam personalitatem, & humanitatem in obliquo, ergo non est compositum compositione huius ex his. et proinde est solum compositum huius ad hoc. vel huius cum his.

Articulus. II

Vtrum Vnio humanitatis ad Verbum sit realiter ab extremis distincta?

§. I

Præmittuntur aliqua

Hoc compositum Xptus componi ut ex extremis unitis ex Personalitate Verbi, & ex humanitate vidimus articulo præcedenti. nunc autem videndum, & examinandum restat, an etiam includat aliquam unionem formalem. realiter distinctam ab extremis, quæ ut modus realis medians inter Personalitatem Verbi, & humanitatem, sit ratio formalis ipsas uniendi? vel an potius se ipsis immediate uniantur, absque unione reali quæ ut modus realis inter ipsas intercedat?

Pro intelligentia ergo præsentis difficultatis notandum est quod Vnio humanitatis ad Verbum triplicter considerari potest: Primò active. nimirum pro actione unitiva, quæ cum maiori proprietate dicitur unitio. quam unio. hoc enim modo se tenet ex parte causæ efficientis quatenus est causalitas unionem causans. Secundò sumi potest formaliter videlicet pro nexu interposito inter humanitatem, & Verbum illa extrema uniens formaliter. Tertio, sumi potest relative, nempe pro relatione prædicamentali qua extrema unita mutuo referuntur.

Dubium ergo præsens solum procedit de Vnione secundo relato modo accepta. Etenim unio primo relato modo usurpata nil aliud est quam actio Dei uniens humanitatem ad Verbum, quæ cum sit operatio ad extra est communis toti Trinitati. an autem talis actio sit formaliter immanens, & solum virtualiter transiens, vel an sit formaliter transiens, est alia quæstio inter Theologos. Thomistis cum Angelico Præceptore asserentibus, esse formaliter immanentem, & virtualiter transeuntem. unde pro recto quid identificatum cum Deo. Extra Scholam autem D. Thomæ plures affirmant talem actionem esse formaliter transeuntem. unde in ista sententia hæc actio uniens humanitatem ad Verbum realiter distinguitur a Deo. an autem distinguatur etiam ab humanitate, dependet ab alia quæstione, phylosofica, inquirente nimirum an actio transiens distinguatur a termino quem producit? Tertio modo sumpta unione, an distinguatur vel non ab extremis relatis, dependet ab illa quæstione quæ in Logica movetur inquirente videlicet: an relatio prædicamentalis distinguatur realiter a fundamento & termino. de quibus quæstionibus suis locis a nobis actum est.

Procedit ergo dubium præsens de unione formaliter usurpata, idest de nexu ut quo uniente formaliter humanitatem ad Verbum. an scilicet, sit quid realiter distinctum

ab extremis, vel cum illis identificatum? Dixi usurpata unione pro nexu uniente et qua humanitatem cum Verbo, quia medium intercedens et quod inter humanitatem, & Verbum communiter negatur ab omnibus, alias humanitas non esset immediate unita Verbo.

Quaestio praesens est similis quaestioni alteri, quae quae in 2. Physicorum movetur, an inter materiam, & formam detur unio realiter distincta ab extremis, vel an potius se ipsis immediate uniantur absque unione ab eisdem realiter distincta? quae unio ibidem notatur quod accipi potest tripliciter et supra, & deinde quaestio procedit de unione formali, quae concipitur et nexus quidam uniens et, quo materiam & formam. de qua egimus respondendo negative. in 2. Physicorum.

§. II

Referuntur sententiae

Circa praesentem difficultatem duae oppositae versantur sententiae, & utraque suos habet celleberrimos patronos tam intra quam extra scholam Angelici Magistri. Prima est affirmativa. est communior extra scholam Angelici Doctoris, eam tenet Subtilis Doctor Scotus in 3. dist. 1. q. 1. quem sequuntur sui discipuli. eam docet Durandus in 3. dist. 5. q. 2. & dist. 6. q. 4. Suarez in praesenti. disp. 8. sect. 3. Vazquez. disp. 18. Cardinalis de Lugo disp. 11. n. 2. & fere omnes ex Societate. Ex Thomistis eam tenent Ill. Herrera. tarraconensis Episcopus. & in Salmantina Universitate bis primarius. Ill. Araujo Saguntinus Episcopus. & Ill. Godoy. Oxomensis, & Saguntinus Episcopus. in praesenti. & SS. Patres Complut. & denique Eminent. Cardinalis de Aquino.

Secunda sententia est negativa, & inter Thomistas communior. eam docet Eminentiss. Caietanus. 3. p. q. 2. ar. 3. & ar. 10. Ill. Alvarez. disp. 3. concl. 1. Nazarius ar. 8. M. Ioann. a Sancto Thoma. in praesenti. disp. 4. ar. 1. Noster M. Parra in praesenti disp. 2. q. 2. ar. 2. M. Gonet. disp. 6 ar. 3. & quamplurimi tum hic. tum in simili ad 2. lib. Physicorum. ex Schola Societatis eam tenet Valentia disp. 1. q. 2. punct. 5. [illegible]

§. III

Defenditur sententia negativa. & probatur ex D. Thoma Angelico Magistro

Sit nostra conclusio: Inter Personalitatem Verbi. & humanitatem cui unitur. non datur aliqua unio realiter distincta ab extremis. unde non datur nexus. vel modus realiter aliter ab extremis distinctus. qui formaliter causet unionem. Sed Personalitas se ipsa absque aliquo modo unionis, immediate unitur humanitati. unde pro recto se ipsis immediate uniuntur, licet de obliquo & de connotato et se ipsis immediate uniantur indigeant actione agentis. ipsas active, effective, applicantis.

Esse hanc conclusionem conformiorem Angelico Praeceptore. D. Th. videtur non posse negari, quod & fatetur SS. M. Gonet, licet alias

Simul fatear iste Sapientiss Doctor nostram conclusionem, quam, & ipse tuetur, non posse probari ut expressam iuxta doctrinam Angelicam, eo quia nullus locus, vel nulla verba D. Thomę possint adduci quę manifeste indicent nostram conclusionem, sicut nullus est locus in quo Angelicus Magister unionem realiter ab extremis distinctam excludat. Unde quoddam testimonium D. Thę ex 3. Sent. dist. 2. q. 2. ar. 2. communiter adductum ab authoribus nostrę sententię conatur M. Gonet non persuadere nram conclusionem ut ex Angelico Magistro, sed illud explicat de medio quod. verba Angelici Magistri loco citato hęc sunt: * Sciendum quod in unione humanę naturę ad divinam nihil potest cadere medium formaliter unionem causans. cui per prius humana natura coniungatur quam divinę personę, sicut enim inter materiam, & formam nihil cadit medium in esse quod prius sit in materia quam forma substantialis, alias esse accidentale esset prius substantiali quod est impossibile, ita etiam inter naturam & suppositum non potest aliquod, dicto modo, cadere medium, cum utraque coniunctio sit ad esse substantiale. * hęc D. Th. in quibus verbis videtur Angelicus Magister, quidquid in contrarium explicet M. Gonet, negare & medium quod, & medium quo. ut constat

Et probatur primo ex illis verbis formaliter unionem causans, etenim medium quod non est nec potest dici formaliter unionem causans, cum medium quod revera sit extremum per prius unitum. Secundo quia licet intentum D. Thomę in illo articulo, ut notat M. Gonet, sit ut constat ex titulo articuli in quo inquirit: An natura humana sit assumpta a Verbo mediante gratia habituali? & proinde intentum Angelici Magistri sit inquirere an detur aliquod medium quod, tamen medius terminus quem assumpsit Angelicus Magister ad probandum, & stabiliendum non dari aliquod medium quod, fuit negatio cuiusvis medii. tam ut quod, quam ut quo. ad concludendum ex ita universali negativa, particularem negativam. aliunde argumentatio non esset recta, probaret utique idem per idem, videlicet probaret non dari aliquod medium quod, ex eo quod nullum datur medium quod. quod nefas est dicere; probavit ergo non dari illud medium quod, ex eo quia nullum datur medium, nec ut quod, nec ut quo formaliter unionem causans. Nunc sic sed ex ista universali negativa recte, & demonstrative concluditur nostra conclusio, ut pote in illa contenta, ergo minus recte contendit M. Gonet quod ex isto testimonio non probetur nostra conclusio ut ex Angelico Magistro.

Ulterius, quia exemplum quod adducit D. Thomas convincit hoc idem: ait enim Sanctus Doctor: sicut enim inter materiam, & formam nihil cadit medium &c sed inter materiam, & formam non datur unio formalis realiter ab extremis distincta, ut late probatum est a nobis in 2. Physicorum, ergo idem.

Secundo probatur conclusio ex D. Thoma, alio textu expresso ex 8 Meth. lect. 1. ubi explicans Sanctus Doctor textum Aristotelis in eodem lib. 8. Meth. cap. 1. tex. 14. ubi dixit Phylosophus * Quę se mutuo ex natura rei respiciunt, ut actus, & potentia, non indigent nexu ut uniantur, sed ingenita propensione in unum conspirant: * quę verba (quę utique etiam suadent nostram conclusionem) explicans Angelicus Preceptor, hęc habet: Quod aliqui antiqui erraverunt inquirendo quid faciat unum potentiam, & actum, quasi oporteret ea colligari per aliquod unum medium: * & paucis interpositis subiungit * Non oportet ea uniri per aliquod vinculum, sicut ea quę sunt penitus diversa, unde nulla est causa faciens unum ea, quę sunt composita ex materia, & forma, nisi quod movet potentiam ad actum. *

Ex qua authoritate sic formo argumentum pro nostra conclusione stabilienda: Ad unionem eorum, quę non sunt penitus diversa, sed se habent per modum actus, & potentię nulla est causa faciens ea unum nisi quod movet potentiam ad actum; sed quod movet solum actio agentis effectiva uniens per actionem unititam, ergo ista posita, deinde potentia, & actus se ipsis ingenita propensione in unum conspirant, absque eo quod indigeant nexu ut uniantur; aliunde si hoc vinculum, seu nexus, ut quo uniens exigeretur, diminute processissent, & Aristoteles, & D. Thomas illud vinculum, seu nexum non assignando, imo illud excludendo, presertim quando ex professo explicat quomodo uniantur extrema, quę se habent ut actus, & potentia.

Vlterius probatur conclusio ex Angelico Doctore textu mihi evidenti ex 2. contra g. cap. 5. ratione 5. ubi hęc habet: * Ex duobus, aut pluribus non potest fieri unum, si non sit aliquid unum, nisi unum illorum se habeat ad alterum ut actus ad potentiam, sic enim ex materia, & forma fit unum, nullo vinculo extraneo eas colligante: * ex quo textu sic efformo rationem illud vinculum negat D. Thomas inter materiam, & formam, seu inter ea, quę se habent ut actus, & potentia quod requiritur inter ea, quę non sic se habent; sed inter ea, quę non sic se habent, sed utraque ut actu comparantur, requiritur medium quo, seu nexus qui ut quo, seu ut ratio formalis uniendi nectat, & uniat talia extrema, ergo iste nexus, seu istud vinculum, quo, quod sit ratio formalis uniendi, est illud quod negat D. Thomas inter actum & potentiam: Nunc sic subsumo sed Personalitas Verbi, & humanitas Xpti, comparantur ut actus, & potentiam, quandoquidem comparantur ut perficiens, & perfectibile, ergo inter Personalitatem Verbi, & humanitatem negat D. Thomas medium quo, quod sit ratio formalis uniendi. maior continetur in verbis Angelici Magistri, minor patet in partibus lineę, quę quia utreque comparantur ut actus requiruntur ut uniantur puncta, & in superficiebus quę lineis uniuntur, & in corpore quod superficiebus et punctis uniuntur, & de inde consequentia infertur, & subsumpta inter ipsam proponendam manifeste

Confirmatur: Hęc propositio: Ea, quę, ut actus, & potentia comparantur uniuntur aliquo vinculo extraneo ea colligante; est contradictoria istius; Ea, quę ut actus & potentia comparantur uniuntur nullo vinculo extraneo ea colligante; Sed prima est Sententia contraria, & secunda propositio, videlicet negativa, continetur in textu D. Thomę, ergo Sententia contraria contradictoriè opponitur doctrinę Divi Thomę.

§. IV.

Improbantur aliquæ rationes pro nostra conclusione.

Aliqui ex Authoribus nobiscum sentientibus probant nostram conclusionem ex eo quod si inter humanitatem, & Personalitatem Verbi daretur modus unionis distinctus realiter ab extremis deberet esse supernaturalis, quippe Unio hypostatica supernaturalissima est; Sed supernaturalis esse non potest, ergo non datur. probant minorem ex eo quia cum ille modus, si daretur, deberet esse substantialis, eo quia esset ad constituendum compositum substantiale, qualis est Xptus, Sed substantialis esse non potest & simul supernaturalis, quia repugnat substantia supernaturalis, ut late probatur a Thomistis ad tract. de Visione, 1. p. q. 12. ergo repugnat modus unionis &c.

Sed hęc ratio inefficax est, quia substantia supernaturalis, quę demonstratur a Thomistis repugnare, est substantia supernaturalis completa, ut patet ex ratione qua suadetur, videlicet quia substantię repugnat specificari ab extrinseco, cum sit ipse & per se ens, & supernaturale qua tale specificatur ab extrinseco, nempe a Deo Authori supernaturali, atqui hęc repugnantia, non est talis respectu substantię incompletę presertim modali, cum modus ex natura sua ordinetur ad aliquid extrinsecum, imo instatur in materia, & forma, quę quia incompletę secundum se, ad invicem una ad aliam ordinatur, ergo hęc ratio inefficax est.

Alii probant nostram conclusionem, ex eo qui si daretur modus unionis, maxime quia extrema realiter distincta, indigerent nexu illa colligante, sed hęc ratio etiam probat quod modus unionis, si daretur distinctus, non potest uniri immediate extremis, & pro inde neque potest extrema illa unire; ergo non datur. probant minorem, quia etiam ille modus unionis, ut uniretur, indigeret alio modo unionis, & iste secundus indigeret eadem ratione alio, & sic in infinitum, & cum processus in infinitum non detur, sed vitetur semper a natura, sequitur quod repugnet modus unionis.

Sed hęc ratio similiter etiam est insufficiens, quia etiam si vera sit maior potest responderi negando minorem, quia modus unionis si daretur, cum esset ratio formalis uniendi extrema, esset similiter ratio formalis uniendi se ipsum, eo quia omnis ratio formalis aliorum est ratio sui, ergo etiam hęc ratio est inefficax.

§. V.

Proponitur alius modus dicendi.

Magister. Gonet probat hanc suam, & nostram conclusionem ratione quam ipse vocat a priori hoc discursu: Per illud Verbum divinum unitur actu, & formaliter humanitati, per quod exercet in ea rationem termini, & ultimi complementi: sed rationem termini, & ultimi complementi exercet formaliter per suam Personalitatem: ergo per illam formaliter absque aliquo etiam modaliter distincto unitur: maiorem asserit esse evidentem, eo quia cum Verbum uniatur humanitati per modum termini, & ultimi complementi, necesse est ut illud per quod illi unitur, sit ipsum exercitium terminandi: sicut quia forma unitur materiæ per modum actus informantis, illud per quod ipsi unitur est exercitium actuale terminandi.

Probat ergo minorem; quia nihil creatum potest esse actuale exercitium, seu actus secundus virtutis terminativæ Personalitatis Verbi ad extra, ergo Verbum divinum exercet formaliter rationem termini humanæ naturæ per se ipsum, seu terminat naturam humanam per solam suam Personalitatem. consequentiam dicit esse evidentem antecedens autem probat; quia non minus Verbum divinum est infinitum, & actus purus in ratione termini naturæ. quam Deus ipse in ratione principii productivi, sed quia Deus est infinitus & actus purus in ratione principii productivi, exercitium producendi res ad extra non potest esse aliquid distinctum realiter, & in recto, ab illius infinita virtute productiva; ergo quia Verbum divinum est infinitum, & actus purus in ratione terminandi, exercitium terminandi naturam humanam, non poterit esse aliquid creatum & ab eius Personalitate realiter distinctum.

Deinde iste Sapientissimus Magister prævenit, & solvit hanc replicam: dices hoc argumentum convincere quidem inter humanitatem & Verbum non requiri modum unionis ex parte Verbi, sed non ostendere illum non requiri ex parte naturæ humanæ, quia cum sit finita, & potentialis, non est sua passiva terminatio.

Respondet ergo ad hanc replicam quod si semel convincitur Personalitatem non indigere nexu distincto ut uniatur humanitati, humanitatem illo non indigere est manifestum, eo quia in intelligibile est quod Personalitas Verbi sit unita humanitati, & quod humanitas unita non sit Personalitati Verbi.

§. VI.

Reiicitur iste modus dicendi.

Sed venia tanti Magistri, ista ratio, quæ ipsi solum placuit, mihi displicet.

Primo quia potest responderi distinguendo maiorem quam ipse vocat evidentem hoc modo: Per illud Verbum divinum unitur actu & formaliter humanitati, per quod exercet in ea rationem termini, & ultimi complementi; Unitur ut extremum quod terminans concedo maiorem, unitur ut vinculum, seu ut medium quo nego maiorem, & eodem modo distincta minori, negare consequentiam unde in suo syllogismo medius terminus est equivocus, quia premisse solum sunt vere loquendo de extremo quod, seu de termino qui, qui unitur ut quod, & consequentiam subinfert de nexu quo, unde est mala consequentia, cum consequens debeat precontineri in premissis.

Nec huic distinctioni obstat probatio minoris, quia in contraria sententia potest responderi concesso antecedenti, distinguendo consequens: ergo Verbum divinum exercet formaliter rationem termini humane nature, rationem termini qui, ut extremum quod, quod unitur concedo consequentiam; exercet rationem termini, qui per modum nexus, seu vinculi, ut quo unit se ipsum humanitati nego consequentiam.

Secundo quia potest responderi in sententia contraria pretermissa maiori negando minorem, ad cuius probationem responderi potest negando suppositum antecedentis, etenim in illo, falso supponitur quod extremum terminans humanitatem ideo non indiget nexu ut quo uniente ipsum, quia est infinitum, quod esse falsum patet in Personalitate creata, que sub nulla ratione est infinita, & tamen quam plurimi ex sententia contraria, & ipse sapientissimus Magister Gonet docent, & affirmant, quod ut uniatur sue proprie nature, non indiget unione distincta, seu nexu illam ut quo uniente: ergo esse Personalitatem Verbi infinitam de materiali, & impertinenter se habet, ut cum nexu, vel sine illo uniatur humanitati.

Nec probatio in contrarium urget, intercedit enim maxima diversitas inter principium efficiens, & principium formale, seu quasi formale, & pure terminativum, quia unio si daretur non est exercitium virtutis terminative, sicut actio effectiva est exercitium principii productivi, unde si principium productivum seu effectivum est infinitum exigit identificare secum exercitium sue virtutis; unio, si datur, non est, nec potest esse exercitium virtutis terminative. Sicut si inter materiam, & formam datur unio distincta non est causalitas, & exercitium utriusque, unio enim est una, & causalitates sunt due, & diversimode se exercet forma ac materia, utraque enim se exercet per exhibitionem sue entitatis, & proinde causalitas unius est informare, alterius materializare.

Nec similiter iuvat ad intentum M. Gonet doctrina, quam prebet ad solutionem illius replice quam construit contra suam rationem, quia etiam si gratis ipsi concedatur quod ex parte Personalitatis Verbi

non exigatur Unio distincta, potest responderi in sententia contraria, quod requiritur ex parte humanitatis. quia potest responderi negando antecedens, & ad probationem distinguere antecedens. est inintelligibile quod intelligatur Personalitas unita humanitati, & quod humanitas non intelligatur unita. in obliquo, concedo, in recto nego, aliud enim est quod Personalitas sit unita humanitati, aliud quod humanitas sit unita Personalitati, in primo solum intelligitur humanitas in obliquo, in secunda intelligitur humanitas in recto. quo pacto in alia sententia exiguntur duę uniones, quarum una uniat in recto formam materię in obliquo, & alia quę econtra uniat materiam in recto, formę in obliquo. & proinde in casu exigit ista Sentᵃ. unum modum unionis qui se teneat ex parte humanitatis, & illam in recto uniat Personalitati in obliquo licet ad uniendam personalitatem in recto humanitati in obliquo non exigeretur unio distincta. Unde relicta in sua probabilitate ratione qua utitur Magister Gonet. aliter debet probari nostra conclusio.

§. VII.

Vera ratio a priori stabilitur.

Probatur ergo primo nostra conclusio ratione a priori desumpta ex Angelico Magistro D. Thoma in hac 3. p. q. 2. ar. 7. & & 2. Contrag. cap. 58. rat. 5. ex quibus textibus sic formatur ratio: Extrema, quę ad invicem comparantur ut actus, & potentia, se ipsis immediate uniuntur; sed Personalitas Verbi, & humanitas sic comparantur, ergo se ipsis immediate uniuntur. Minor ex se patet. quia licet Personalitas Verbi non sit, nec possit esse actus informativus. est tamen actus terminans, perficiens, & personalizans humanitatem, & humanitas est perfectibilis per ipsam. unde tota difficultas devolvitur ad maiorem, quam sic ~~[illegible]~~ probo. quia extrema, quę se habent ut actus & potentia, se ipsis, absque aliquo alio superaddito sunt inter se proportionata. & ut loquitur Aristoteles, & cum eo Angelicus Magister, se ipsis ingenita propensione in unum conspirant. ergo extrema quę ad invicem comparantur ut actus, & potentia se ipsis, absque nexu distincto, immediate uniuntur. consequentia ex antecedenti infertur alias si ut uniantur indigerent aliquo medio ab ipsis distincto, non essent se ipsis, absque medio superaddito, inter se proportionata. probatur ergo antecedens quia extrema, quę se habent ut actus & potentia absque aliquo superadito, unum ab intrinseco ordinatur ad aliud. ergo sunt inter se absque aliquo superaddito proportionata, & se ipsis ingenita propensione in unum conspirant. antecedens videtur evidens, cum omnis potentia qua talis specificetur ab actu quem respicit, unde si actus est substantia, potentia comparatur ut receptiva illius, & ipsa potentia sit substantia, si actus est supernaturalis, potentia est supernaturalis saltim obedientialiter. si actus est accidens potentia similiter. deinde actus etiam specificatur seu quasi specificatur a potentia. ergo ex parte

quę se habent ut actus, & potentia unum ab intrinseco ordinatur ad aliud, & solum indigent applicatione extrinseca agentis applicantis unum ad aliud. ergo ut humanitas uniatur Personalitati Verbi, non indiget modo unionis realiter distincto, sed solum exigit connotare actionem assumptivam applicantem ipsam Personalitati Verbi,

Confirmatur extrema quę sunt eiusdem rationis, & proinde non se habent ut actus & potentia indigent ut uniantur aliquo vinculo illa ut quo colligante, ergo extrema quę se habent ut actus & potentia tali vinculo indigere non debent, patet consequentia ab opposito antecedentis, ad oppositum consequentis & antecedens patet in linea, superficie, & corpore, ut supra dicebamus. quando enim extrema sunt eiusdem rationis, & utraque ut actus comparantur non est maior ratio quare unum determinet & aliud determinetur quam e contra, unde indigent ratione determinante, quę ratio est ille nexus illa ut quo uniens. quando autem extrema comparantur ut potentia, & actus ex natura rei actus determinat, & potentia determinatur.

§ VIII

Ratione destruente fundamentum contrariorum probatur conclusio

Si propter aliquam rationem daretur realis modus unionis inter Personalitatem Verbi, & humanitatem maxime propter quatuor, nimirum vel ad constituendum fundamentum relationis quę resultat inter illa extrema unita, vel secundo, ut mutaretur realiter humanitas, seu ut posset verificari denominatio realis, qua humanitas dicitur mutata; vel tertio, ut daretur aliquid productum per actionem unitivam, seu assumptivam; vel denique ut posset verificari quod aliquid deperditur, in hypotesi quod Personalitas Verbi desineret terminare humanitatem. sed ad nihil horum requiritur modus unionis realiter distinctus ab extremis unitis, ergo non datur. maior continet pręcipua fundamenta, & motiva quibus movetur contraria sententia. probatur ergo minor quoad omnes suas partes.

Et primo quoad primam quia fundamentum quod desideratur ad relationem quę resultat inter illa extrema unita, vel est fundamentum remotum, vel est proximum: sed utrumque fundamentum adest absque illo modo reali superaddito. ergo ad stabiliendum fundamentum prędictę relationis non requiritur modus unionis ab extremis realiter distinctus. probatur minor. quia fundamentum remotum est actio unitiva, assumptiva, seu incarnativa. & fundamentum proximum est ipsa humanitas ut terminata per Personalitatem Verbi. seu est ipsa humanitas prout assumpta. ergo utrumque fundamentum adest absque tali nexu realiter ab extremis distincto. quippe aliter realiter se

habet humanitas quando intelligitur personalizata per Verbi Personalitatem, ac quando intelligitur precisive a tali passiva terminatione. ergo diversam relationem proxime fundat sub tali terminatione, ac precisive ab illa, sed non aliam nisi relationem unionis, seu esse unitę. ergo est quia sine tali nexu superaddito adest fundamentum proximum talis relationis.

Confirmari, & pacificari potest hęc doctrina exemplo relationis quę resultat inter materiam & formam unitas, presertim in sententia negante inter ipsas modum unionis realiter distinctum. cuius relationis fundamentum remotum, est actio unitiva seu generativa, & proxi. est materia informata, & forma materializata.

Secunda autem pars eiusdem minoris probatur quia [illegible] humanitas per Verbi personalitatem vere, & proprie non mutatur etenim ad veram, & propriam mutationem requiritur quod extremum quod sic mutatur transeat de uno esse ad aliud, seu quod aliter realiter sic, ac erat. Sed nullum datur instans in quo sit humanitas absque Verbi personalitate: ergo vere, & proprie non mutatur. Sed solum mutatur large, & improprie, quatenus videlicet sub signo priori intelligitur ut precisa a Personalitate, & sub posteriori ut personalizata. Sed hanc mutationem large sumptam verificandam sufficit quod aliter intelligatur sub signo posteriori ac intelligitur sub signo priori, ad quod sufficit quod sub secundo signo intelligatur ut terminata per Verbi personalitatem. ergo absque unione realiter ab extremis distincta intelligitur mutata substantialiter, ergo ut denominetur mutata, & innovata non est necessaria unio realiter distincta, sed sufficit quod ipsi superveniat pro alio signo personalitas Verbi.

Deinde probatur tertia pars eiusdem minoris, quia ut detur terminus illius actionis unitivę sufficit quod denovo producatur terminus qui, iste enim est noviter productus ut quod, qui terminus, est Xptus; Sed iste terminus perfecte intelligitur, eo precise quod intelligatur humanitas passive terminata per Verbi personalitatem, seu eo precise quo Personalitas Verbi active terminet humanitatem. ergo ut detur terminus actionis unitivę non requiritur illa unio distincta.

Urgentius quia etiam si detur illa unio distincta, quam somniavit sententia contraria, non est, nec potest esse terminus actionis unitivę, seu assumptivę ergo propter talem terminum constituendum est inutilis talis unio distincta. antecedens est iam manifestum quando assignavimus terminum qui, & quo huius actionis. + & patet, & instatur in termino qui, & quo actionis generativę in naturalibus.

Deinde quia solum est quod per omnem actionem productivam debet semper produci aliud a termino qui, ut patet in generatione hominis. in qua non producitur per illam materia prima, nec anima rationalis, & tamen quia producitur homo qui est terminus, qui, nil aliud dicitur. Similiter in artificialibus non fit sphęra, non fit es, & tamen fit sphęra ęnea ut docet Aristoteles.

Denique probatur ultima pars eiusdem minoris. Quia ut posset verificari quod aliquid deperditur in humanitate in hypotesi quod Verbum de potentia absoluta illam desineret, sufficit quod deficiat in humanitate Personalitas Verbi; etenim vere aliquid, atque magnum, & infinitum deperderet humanitas, quod accideret ex defectu obliqui, nempe actionis conservativę, non autem accideret ex defectu recti quia totum quod erat in unione extremorum permaneret, nempe permaneret Personalitas Verbi, & posset permanere humanitas sub sua personalitate, quę tunc casus resultaret ergo ex nullo capite requiritur illa unio ab extremis distincta.

§. IX.

A posteriori probatur conclusio.

Probatur insuper nostra conclusio alia ratione, & si a posteriori, qua utuntur plures Thomistę inter quos Cipullus in pręsenti dub. 2. §. 3. & R. Gonet disp. 6. ar. 3. §. 1. num. 58. quia si Pater, aut Spiritus Sanctus, uniretur in unitatem Personę, vel humanitati assumptę a Verbo, vel alteri naturę creatę intellectuali, talis unio foret absque aliquo nexu intermedio realiter distincto ab extremis unitis; ergo unio Verbi cum humanitate est absque tali nexu ab extremis distincto. consequentia negari non potest, cum eadem activitas terminandi naturam creatam sit ex parte cuiuslibet personę divinę, & eadem capacitas ex parte naturę creatę, respectu cuiuslibet divinę personę. probatur ergo antecedens: quia si Spiritus Sanctus v. g. uniretur alicui naturę creatę, & esset necessaria unio realiter ab extremis pro recto distincta, vel talis unio esset eiusdem rationis cum unione, quę de facto iuxta sententiam contrariorum datur inter humanitatem & Personalitatem Verbi, vel est diversę rationis. neutrum dici potest, ergo est quod si Spiritus Sanctus v. g. uniretur alicui naturę creatę intellectuali in unitatem personę, foret talis unio absque aliquo nexu intermedio realiter ab extremis distincto.

Probatur minor quo ad primam partem, probanda postea quo ad secundam, nam cętera patent: quia implicat quod illa unio esset eiusdem rationis, cum unione, quam de facto fingit sententia contraria, ergo non potest esse eiusdem rationis. antecedens probatur, quia unio unieus ut quo Personam Spiritus Santi cum alia vel cum ista humanitate Xpti, haberet terminum diversę rationis, ab eo quem habet Unio quę de facto coniungit humanitatem cum Verbo. ergo implicat quod illa unio sit eiusdem rationis, cum unione, quam de facto fingit sententia contraria. antecedens negari non potest, quia licet personę divinę sint eiusdem essentię, & naturę tamen in ratione personę sunt quasi primo diversę quia constituuntur relationibus diversę speciei. & unio Spiritus Sancti ad humanitatem in illa hypotesi esset facta in persona sub expresso relativi, ut modo supponimus, & ut modo est facta in Xpto Dno.

consequentia autem probatur, quia unio sidatur cum ordinetur ad terminum, & sit quid vide & incompletum debet specificari a termino quem respicit. Sed implicat quod termini diverse speciei. & rationis, non inferat diversitatem eamdem in unionibus, ergo implicat quod illa unio sit eiusdem rationis cum ea que defacto datur iuxta adversarios inter humanitatem. & Verbum.

Iam ergo probatur minor quo ad secundam partem. quia in entibus absolutis, diverse rationis necessario reperitur excessus in uno, & inferioritas in alio, etiam si utrumque sit quid incompletum, & excessus. & defectus non s. cumque sed specificus, alias non erunt diverse rationis, quia species. ut cum Aristotele, & Angelico Magistro docent communiter Metaphisici, sunt sicut numeri. Sed inter illas uniones non potest dari excessus, vel defectus, ergo non possunt esse diverse rationis. probatur minor. quia unio uniens personam Verbi esset tam perfecta ac unio uniens personam Patris, & tam perfecta ac unio uniens personam Spiritus Sancti, quia quelibet esset infiniti valoris ergo tales uniones non possunt esse eiusdem rationis, nec diverse, ergo implicant.

§. X.

Paritate probatur conclusio.

Denique probatur conclusio: Quia personalitas creata unitur sue proprie nature absque aliquo nexu realiter ab extremis distincto. ergo similiter unitur Personalitas Verbi humanitati, consequentia patet quia Personalitas Verbi unitur humanitati modo quo uniretur personalitas propria. etenim Personalitas Verbi unitur vices gerens personalitatis proprie, & eius vices supplendo. & maxime quia Personalitas increata, habet eamdem vim, imo infinite maiorem, ac personalitas propria. Antecedens autem communiter admittitur etiam a Authoribus sententie contrarie. & insuper probatur quia personalitas creata est quidam modus nature ergo se ipsa absque alio nexu distincto immediate unitur, alias daretur modus modi, quod est impossibile.

§. XI.

Solvuntur argumenta.

Obiicies primo ex Angelico Magistro in 3. dist. 2. q. 2. ar. 2. questiunc. 3. in corpore ubi hec habet: * Ad tertiam questionem dicendum. quod inter humanam naturam, & divinam necesse est cadere unionem mediam: * ergo agnoscit D. Th. modum unionis realiter distinctum ab extremis.

Respondeo quod verba Angelici Magistri non debent referri truncata. sed integra, ut iacent, ut ex illis argumentum sumatur, prosequitur enim D. Thomas ibidem per hec verba: * non sicut causam

sed sicut effectum coniunctionem naturalem consequentem: * ergo unio media quam Angelicus Magister cognoscit non est causa unionis extremorum, sed effectus subsequutus, qui effectus est relatio unionis, ut paulo inferius se explicat Angelicus Magister per hec verba: * est ergo talis unio relatio quędam, quę consequitur ex hoc quod motus assumptionis naturę humanę terminatur ad personam, sicut ex hoc quod motus generationis terminatur ad formam, consequitur relatio, qua dicitur materiam esse sub forma: * quo nihil clarius pro nostra conclusione, & argumenti solutione.

Unde hoc argumentum potius confirmat nostram conclusionem, etenim D. Thomas mentionem faciens de unione humanitatis ad Verbum, nullam aliam cognoscit nisi relationem, ergo est quia Unio formalis consistit in recto in ipsis extremis, quę uniuntur, & se habent per modum actus, & potentię.

Obiicies secundo contra rationem apriori. Ut extrema, quę ut actus, & potentia comparantur, actu inter se uniantur necessarium est quod actus actu exerceat rationem actus, & potentia actu exerceat rationem potentię; sed exercitium utriusque est quid realiter distinctum ab ipsis; ergo se ipsis non sunt ita immediate proportionata quod non indigeant aliquo reali superaddito ab ipsis distincto: tunc sic: sed hoc exercicium est unio formalis, ergo ista realiter distinguitur ab extremis.

Confirmatur: Causa efficiens, quamtumcumque consideretur completa in actu primo ut actu operetur necesse est quod se exerceat per actualitatem, seu actionem ipsi superadditam. ergo similiter, ut causa formalis, seu quasi formalis actu exerceat suam causalitatem, & ut causa materialis actu exerceat suam causalitatem, ipsis realiter aliquid superaddatur: Nunc sic ergo licet in casu quęstionis Personalitas Verbi, quia infinita, non indigeat exercitio reali, ipsi realiter superaddito, ut actu terminet humanitatem, tamen humanitas ut actu recipiat terminationem indigebit aliquo reali superaddito. Nunc sic ultra, sed illud superadditum humanitati est unio, seu nexus illam, ut quo, uniens cum Persona Verbi; ergo ad minus ex parte humanitatis requiritur unio realiter ab extremis distincta.

Confirmatur secundo: Causa finalis quamtumcumque in actu primo completa intelligatur, ut actu finalizet, exigit motionem quamdam seu indiget exercitio actuali realiter moraliter ab ipsa distincto, & solum excipitur causa finalis infinita. ergo idem quod prius.

Respondeo concessa maiori, negando minorem. & ratio est iam insinuata, quia causa formalis, & materialis causant in actu secundo per exhibitionem suę entitatis, & proinde absque

aliquo reali ipsis superaddito, unde solum indigent applicari per actionem agentis. posito enim hoc connotato, se ipsis ingenita propensione in unum conspirant. ut ex Aristotele docet D. Th. ubi supra.

Ad utramque confirmationem respondeo concesso utroque antecedenti, negando consequentiam, & ratio disparitatis est manifesta. quia exercitium utriusque causæ, efficientis nimirum, & finalis, est de linea perfectionis, unde causa efficiens & finalis non infinita non potest secum identificare suum exercitium, causa autem formalis, & materialis, sunt de linea imperfecta, unde secum identificant suum exercitium cum nil aliud sit quam exhibitio mutua suarum entitatum.

Præterquam quod si causa formalis, & materialis non possent se exercere in actu secundo, nisi per exercitium superadditum & ad hoc esset desiderata & affirmata unio realis, ab extremis distinctas, exigeretur præcisse duplex unio, quam duplicem unionem non cognoscunt etiam quasi omnes ex sententia contraria. Sequella videtur evidens, quia implicat quod exercitium actuale unius causæ etiam ex intrinsecis, sit exercitium alterius. & instatur in causis extrinsecis, si paritas ab ipsis facta de causa efficiente, & finali, aliquid valet.

Nec valet dicere quod eadem unio prout se tenet ex parte unius, est exercitium illius, & e contra. Non inquam hoc valet, quia in hoc stat implicatio quod una & indivisibilis unio possit iam se tenere ex parte unius, iam alterius, & esse exercitium diversarum causarum. & instantia facta de causis extrinsecis hoc convincit.

Obiicies Tertio:

Relatio unionis, quæ est inter humanitatem, & Verbum est relatio realis, ergo sequitur ad humanitatem, ut mutatam per unionem, sed mutatio humanitatis intelligi nequit absque aliquo modo, seu nexu realiter ab extremis distincto. ergo ex vi actionis unitivæ ponitur modus unionis realiter ab extremis distinctus. Antecedens cum prima consequentia est notum, & docetur ab Angelico Magistro in hac 3. p. q. 2. ar. 7. in corpore. ubi hæc habet: * Sicut autem in prima parte dictum est omnis relatio, quæ consideratur inter Deum, & creaturam, realiter quidem est in creatura, per cuius mutationem talis relatio innascitur.

Probatur ergo minor subsumpta, quia mutari realiter est aliter realiter se habere, ergo ad realem mutationem requiritur realis alietas in re, quæ mutatur; sed alietas realis inter humanitatem ut antevertit actionem unitivam, & eamdem humanitatem ut terminantem eamdem actionem unitivam, stare non potest nisi in humanitate terminante talem actionem detur aliquid reale illi non conveniens propriori ad talem terminationem; ergo

stare non potest mutatio humanitatis in vi actionis, absque eo quod in vi illius aliquid producatur modaliter saltim distinctum ab illa. ergo modus unionis realiter distinguitur ab humanitate.

Hoc argumentum est ratio apriori Ill. Godoy. sed venia tanti Magistri non concludit intentum. Respondeo ergo concesso antecedenti cum prima consequentia negando minorem subsumptam. & ad probationem concesso similiter antecedenti cum consequentia ~~negando~~ distinguo minorem subsumptam. nisi in humanitate terminante actionem detur aliquid reale illi non conveniens propriori ad actionem. & hoc quod datur in ipsa est Personalitas Verbi ipsam humanitatem terminans, & personans, & simul connotare actionem unitivam concedo minorem; est aliud nego minorem, & consequentiam. Humanitas enim mutatur, mutatione largo modo sumpta. & iam explicata, unde mutatur humanitas. quia pro illo signo habet vel intelligitur habere personalitatem Verbi, quam pro priori ad actionem unitivam non intelligebatur habere, & mutatur per connotationem ad actionem unitivam, quam non connotabat pro priori, & mutatur per relationem, quae consurgit, & innascitur.

Quod exemplificari potest in actione consecrativa, & conversiva panis in corpus Xpti. corpus enim Xpti aliter est quando est sub speciebus panis, ac quando non, & hoc sine additione alicuius realitatis ad corpus Xpti. quippe est idem ipsissimum quod est in Sacramento, ac est in Caelo, & solum sub diverso modo essendi, videlicet in Sacramento sacramentaliter, & in Caelo naturaliter; quod esse sacramentaliter nil aliud est nisi esse sub speciebus ut factum ex pane, seu ut conversum ex pane.

Etiam potest exemplificari in materia, & forma. ista enim mutatur per materiam, & ista mutatur per formam. & utraque per connotationem ad actionem generativam, & per relationem quae sequitur per quam ad invicem referuntur.

Obiicies quarto: Quae realiter separantur si mutua est separatio entitative realiter distinguuntur, si vero est non mutua, sed taliter quod unum possit existere sine alio, & non e converso realiter modaliter saltim debent distingui; sed unio humanitatis ad Verbum est realiter separabilis, saltim de potentia absoluta, separatione non mutua, ergo unio humanitatis ad Verbum est realiter modaliter distincta ab extremis, consequentia est nota & premissae videntur evidentes, maior quidem, quia nullum aliud signum evidentius est ad cognoscendam distinctionem realem inter aliqua duo, quam eorum realis separatio, sicut ad cognoscendam distinctionem modi ab aliqua re, non mutua illorum separatio.

idem enim a se ipso separari non potest, aliunde verificaretur de eadem re, destrui, & non destrui secundum idem, quae sunt evidenter contradictoria. deinde minor etiam est evidens. cum nulla sit repugnantia in eo quod de potentia absoluta Verbum possit non terminare humanitatem, & proinde separetur unio.

Mirum est quantum magnificent hoc argumentum Authores sententiae contrariae, praesertim extra Scholam D. Thomae unde illud proclamant evidens, & insolubile, & acriter pungunt Thomistas nostrae contentionis. at sunt stellae vagae, nubes sine aqua, quae quando solem veritatis obstruunt, ab ipso sole in nihillum rediguntur, & ipsos adversarios feriunt. quo pacto Thomistae contrariae sententiae communiter non utuntur hoc argumento cum plures habeat instantias. quia in sententia contraria nostrae conclusionis, praesertim inter authores extra scholam D. Thomae. ubi fit hoc argumentum relatio praedicamentalis non distinguitur realiter a fundamento, & tamen potest separari, & separatur de facto relatio praedicamentalis a fundamento. Similiter in communi sententia contrariorum duratio non distinguitur a re durante, & tamen potest aliqua res esse & non durare, videlicet si immediate ad primum instans sui esse destruatur. Ulterius actio creativa in eorum communissima sententia non distinguitur ab actione conservativa, & tamen potest aliqua res creari, & non conservari. ergo quidquid ipsi dixerint ad has instantias erit argumenti facti, quod proclamant evidens, & insolubile, solutio.

Omissis ergo alijs solutionibus quas ad hoc argumentum praebent aliqui Thomistae, respondeo concessa prima parte maioris distinguendo secundam si separatio est non mutua distinguuntur eo modo quo separantur concedo hanc partem maioris, alio modo nego illam, & distinguo minorem sed unio potest separari ab humanitate, sumpta unione quoad rectum nego minorem. sumpta unione quoad obliquum, & de connotato concedo minorem, & ~~nego consequentiam~~ distinguo consequens, ergo unio distinguitur ab humanitate, sumpta unione quoad rectum nego consequentiam; sumpta quoad obliquum, & de connotato concedo consequentiam.

Dicimus ergo quod unio quoad rectum, seu rectum unionis nihil aliud est quam ipsa humanitas, & **P**ersonalitas Verbi, obliquum autem connotatum est actio unitiva Dei, ista posita, se ipsis uniuntur Personalitas, & humanitas. sicut patet, & instatur in materia, & forma nitis, unio enim quoad rectum, seu rectum unionis nil aliud est quam entitas utriusque videlicet materiae, & formae, quoad obliquum autem dicit actionem unitivam, productivam, seu generativam, & dicit dispositiones exactas, hoc obliquo enim posito, statim resultat unio, quoad rectum, cum istud nil aliud sit

quam earum entitates mutuo & ad invicem communicantes, unde illud rectum unionis ponitur si ponitur obliquum connotatum, & cessat rectum, ablato connotato, & obliquo. quae solutio nullas patitur instantias, quae eandem solutionem non admittat.

Replicabis: in casu aliquid destruitur, non extrema, cum Personalitas sit essentialiter indestruibilis, & humanitas potest perseverare, ergo destruitur unio.

Respondeo, quod in casu destruitur illum, seu terminus qui, quandoquidem si Personalitas Verbi non terminaret humanitatem, non remaneret iste Xphus. unde in forma respondeo admissis, & concessis praemissis, distinguo consequens, ergo destruitur unio, quoad rectum nego, quoad obliquum concedo consequentiam.

Obiicies denique replicando.
Extrema transeunt de contradictorio in contradictorium, ergo per additionem, vel amissionem novae entitatis, sed non amittitur nisi unio, ergo unio est quid distinctum ab extremis.

Respondeo concesso antecedenti distinguendo consequens, & haec nova entitas quam amittit humanitas est sola Personalitas Verbi concedo consequentiam est aliud nego consequentiam.

Et instatur in fundamento proximo relationis praedicamentalis, album enim v.g. ut duo, transit de non esse fundamentum reale relationis, ad esse fundamentum reale relationis, nihil posito in tali albo, sed solum posito alio albo ut duo noviter producto. ergo ad transitum de contradictorio in contrarium non requiritur, acquisitio, vel amissio novae entitatis. praeterquam quod humanitas iam diximus quod in casu aliquid deperdit, nempe personalitatem Verbi.

DISPVTATIO SEXTA
DE
PERSONA ASSVMENTE
Ad quæst. 3. D. Thomæ

Articulus. I.

Vtrum Unio humanitatis ad Verbum facta fuerit in Persona, vel in Natura?

§. I.

Praemittuntur nonnulla

* * * * * * * * * *

Quæstio præsens non procedit ad examinandum quid sentiant Chatolici, quasi si inter Chatolicos esset in hac parte differentia, cum omnes Chatolici fateantur Unionem factam fuisse immediate in persona, procedit ergo contra hæreticos ad confundum videlicet duos errores præcipue videlicet & nestorianismum, & Apolinaristicum, quia ut doctissime notavit D. Damascenus lib. 3. Fidei, cap. 3. ex quodam principio falso in varios errores abierunt hæretici: asserebant enim Naturam non distingui ab hypostasi, seu personalitate, ex quo principio utique falso, duo præcipue pullularunt errores.

Primus error fuit Nestorii. & aliorum etiam illo antiquiorum asserentium mordaciter in Xpto esse duas personas, eo quia in Xpto sunt duæ naturæ, divina scilicet, & humana, & proinde inter naturam divinam, & humanam pro ut in Xpto solum unionem accidentalem cognoscebant, unde asserebant Verbum, seu Filium Dei esse homini Xpto unitum accidentaliter, & Verbum esse in Xpto homini, ut in templo. & per consequens Xptum non esse Deum sed Deiferum, seu Deiformem. unde pariformiter blasphemabant Beatissimam Virginem Mariam non esse Dei Matrem. & Deigenitricem, sed Matrem esse hominis Deiferi.

Secundus error extreme oppositus, qui ex eodem principio originem duxit, fuit Apollinaristarum, & aliorum, qui ut in Xpto unitatem Personæ confiterentur, esse in Xpto unam naturam fatebantur. quem errorem resuscitavit Euthiches Constantinopolitanus Archimandrita, qui in Concilio Ephesino condemnavit Nestorium, & postea incidit in prædictum errorem.

Ad confundos ergo hos errores movetur præsens quæstio, pro cuius resolutione notandum est dubium præsens non procedere ad examinandam formalitatem sub qua Verbum terminavit naturam humanam, de hoc dubio agemus utique cum Theologis Chatolicis articulo sequenti, sed procedere solum de extremo assumente an videlicet fuerit Persona Verbi, vel natura divina?

Pro cuius luce notandum est subtilissime cum Caietano in præsenti, non esse idem duo uniri in persona, vel duo uniri secundum Personam, ad primum enim sufficit uniri intrinsece licet illud quod unitur non dicatur de alio extremo, cui unitur quidditative. ut albedo in homine, quæ est unita in persona, & tamen de homine non dicitur quidditative, sed denominative accidentaliter. Ad secundum autem requiritur præter unionem intrinsecam, quod extremum unitum dicatur quidditative, & essentialiter de extremo cui unitur ut patet in natura humana v.g. Petri, unita personæ ipsius Petri, de qua Persona dicitur homo in concreto quidditative, hoc modo Petrus est homo.

§. II.

Statuitur prima conclusio.

Sit prima conclusio: **Unio Verbi ad humanitatem non est facta in Natura divina.**

Conclusio est de Fide. difinita in Concilio Calcedonensi act. 1. & 5. & in Concilio Constantinopolitano 5. collat. 8. con. 8. & in Concilio Hispalensi 2. cap. 13. & in Epistola Concilij Alexandrini ad Nestorium, quæ est in Concilio Ephesino. in Concilio Lateranensi sub Martino. 5. consultatione 5. 6. & 7. eamdem conclusionem contra oppositum errorem docuere Sanct. Patres, videlicet Leo Primus in Epist. 10. ad Flavianum Gelasius Papa in Libro contra Euthichetem Damascenus lib. 3 fidei cap. 3. 5. & 8. Boetius in libro de duabus naturis in Xpto. & plures alij. Est etiam nostra conclusio expressa in Angelico Magistro D. Thoma in 3. dist. 1. q. 2. ar. 1. & dist. 5. q. 1 ar. 2. & in & lib. 4. contra gentes. cap. 35. 37. & 41. & in disputatis q. de Unione Verbi Incarnati ar. 1. & Opusc. 2. cap. 209. & 212. & 3. p. q. 2 ar. 1.

Probatur ergo conclusio ratione deducta ex D. Thō in hac. 3 p. q. 2. ar. 1. quia Unionem fieri in natura usurpatur pro eo quod ex unione resultet una natura, sed Unionem fieri in natura non solum usurpatur, sed est, quod ex tali unione resultet una natura; sed ex unione humanitatis ad Verbum non resultat, nec resultare potuit una natura, ergo Unio humanitatis ad Verbum non fuit facta in natura. maior est certa & ab hæreticis admissa. probatur ergo minor quia tribus modis potest contingere quod ex duobus fiat unum primo utroque integro, & immutato perseverante. secundo utroque transmutato, seu permixto ad invicem. tertio utroque non permixto, & transmutato sed quia unumquodque est imperfectum, & se habet ut pars, ita ut unum sit forma, & alterum materia, seu ut actus & potentia; sed nullo ex his modis factum fuit, nec potuit fieri unum in Xpto ex natura divina, & natura humana in ipso unitis, ergo nullo modo ex divina, & humana natura resultavit, vel potuit resultare una natura.

Probatur minor quo ad primam partem: quia ille unionis modus non facit unum per se, qualis est Xpus. sed constituit unum per accidens, ut patet in acervo lapidum, in cumulo tritici, vel hordei, vel etiam si adsit aliquis ordo, non resultat nisi unum per accidens ut patet in exercitu, vel communitate. ergo unio primo modo non sufficit ut ex natura divina, & humana, in Xpto resultet una natura.

Pro secunda parte probatur eadem minor: primo quia natura divina cum sit essentialiter immutabilis non potest transmutari, & misceri. secundo quia unitas, quæ ex permixtis resultat est diversæ speciei a quolibet ex miscibilibus, sed in Xpto adest integra natura divina, & simul adest integra natura humana. ergo unio secundo modo non est sufficiens ut in Xpto resultet una natura.

Quoad tertiam partem probatur etiam minor, primo quia natura divina non potest se habere ut pars imperfecta, quæ sit vel actus, vel potentia, cum de ratione actus imperfecti, qui est pars sit informare, & de ratione potentiæ informari, quorum quodlibet repugnat naturæ divinæ. secundo quia in Xpto utraque natura divina, & humana manet perfecta, ut patet ex illo Athanasii: * Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens.* ergo una natura ad aliam non potest ordinari, ut pars, vel ut actus, & potentia, ita ut ex illis fiat una natura.

Tertio, quia unio ex imperfectis, præter modum assignatum actus & potentiæ, etiam si fieri posset, utroque se habente ut actus, modo quo partes quantitatis, etiam isto modo repugnat, cum ut sic partes sint integrantes, & imperfectæ, & corporeæ, quorum quodlibet repugnat naturæ divinæ. ergo unio tertio modo etiam repugnat ut in Xpto ex natura divina, & humana fiat una natura.

§. III.

Hæreticorum sophismata dilluuntur.

Arguit Euthices: primo ex D. Cyrillo. hęc Cyrilli verba: * Non oportet igitur intelligere duas naturas, sed unam naturam Verbi Incarnati. * ergo ex mente Cyrilli, non sunt in Xpto duę naturę, sed una. ex divina, & humana resultans.

Opponit secundo verba illa Symboli D. Athanasij: * Nam sicut anima rationalis, & caro, unus est homo, ita Deus, & homo, unus est Xptus. * sed ex anima rationali, & carne resultat in homine una natura, ergo ex divinitate, & humanitate resultat in Xpto una natura.

Opponit tertio. in sacra scriptura non legitur in Xpto esse duas naturas, ergo est quia in Xpto non est nisi una natura, resultans ex divinitate & humanitate.

Opponit quarto: in Xpto est una persona, ergo & una natura, probatur consequentiam, quia unaquęque natura constituit unam personam.

Opponit denique humanitatis unio ad Verbum est facta in persona Verbi, sed Persona Verbi est ipsamet natura divina, ergo unio facta est in natura divina

Respondetur cum communi Theologorum Catholicorum. Verba illa quę ex D. Cyrillo opponit hęritici, non reperiri in D. Cyrillo, sed oppositum convincitur ex D. Cyrrillo. lib. 1. de recta fide ad Reginas ubi ex Athanasio hęc referuntur: * Confitemur etiam ipsum esse Filium Dei, & Deum secundum Spiritum, & Filium hominis secundum carnem. non duas naturas, unam, quę adoretur, & unam, quę non adoretur, sed unam naturam Dei Verbi incarnatam, & adorandam cum carne sua una adoratione. * ubi expresse constat Cyrillum non negare in Xpto duas naturas absolute, sed duas naturas adoratione separabiles, idest quarum una eàdem adoratione qua alia non adoretur; ad unam, enim & eamdem adorationem habere sufficit coniunctio utriusque in eodem supposito etenim eo ipso quod natura humana tracta est ad suppositum Verbi, adoratur eadem adoratione qua Verbum, nempe Latrię, non quidem ratione sui, sed ratione suppositi

Respondetur secundo, quod dato quod illa verba reperiantur in D. Cyrillo solum convincitur Sanctum Patrem negasse in Xpto duas naturas duas distinctas constituentes personas, in quo sensu hęretici ponebant in Xpto duas naturas. sed non negasse duas naturas in eodem supposito unitas. & Sancti Patres multoties impugnantes unum errorem videntur videntur declinare in alterum oretenus, unde cum constet de

illorum mente catholica interpretati fuerunt, sano & catholico modo qualiter exponuit mentem Cyrilli concilium Constantinopolitanum. can. 8. cuius verba refert Angelicus Doctor in hac 3. p. q. 2. ar. 1. ad 1.

Ad secundum respondetur cum Angelico Magistro. in hac 3. p. q. 2. ar. 1. ad secundum. ubi eidem obiectioni sic respondet: * Ad secundum dicendum quod ex anima, & corpore constituitur in uno quoque nostrum duplex unitas, naturę, & personę, naturę quidem secundum quod anima unitur corpori, formaliter perficiens ipsum, sicut ex actu, & potentia, vel materia, & forma, & quantum ad hoc non attenditur similitudo, quia natura divina non potest esse corporis forma; ut in primo probatum est; unitas vero personę constituitur ex eis in quantum est unus aliquis subsistens in carne, & anima: & quantum ad hoc attenditur similitudo, unus enim Xphus subsistit in divina natura, & humana. *

Ad tertium respondetur quod licet in scriptura non legatur hęc veritas, sub illis vocibus materialibus explicata, ut iacet nostra conclusio, legitur tamen in sacra pagina Xptum esse verum Deum, & Xptum esse verum hominem, quod non potest verificari nisi in Xpto sint duę naturę, divina una, & alia humana, & utraque in una persona, ut hoc individuum Xptus, sit verus Deus, & sit verus homo, quia non stat verus Deus sine vera Deitate, & non stat verus homo sine vera humanitate.

Ad quartum respondetur concesso antecedenti negando consequentiam, & ad probationem distinguatur propositio: unaquęque natura constituit unam personam, iuxta exigentiam naturalem concedo, si miraculose impeditur natura humana a persona divina ne ab ipsa dimanet propria personalitas creata, nego, impeditur enim in Xpto natura humana ne ab ipsa dimanet personalitas creata, quia prevente, & terminata, seu personalizata est a persona divini Verbi, & hoc contingit in hoc mirabili Incarnationis mysterio.

Ad quintum denique, & ultimum respondetur concessa maiori distinguo minorem, sed persona Verbi est ipsissima natura divina, identice & realiter concedo, formaliter, & absque distinctione virtuali nego minorem, & consequentiam. hęc enim distinctio sufficit ut in Patre, cuius persona est identice, & realiter ipsissima natura divina, per ęternam generationem communicet Pater ęternus Filio ęterno, naturam divinam, & non personalitatem.

§. IV.

Statuitur secunda conclusio.

Sit secunda conclusio: **Unio Verbi ad humanitatem facta est in Persona**

Ita D. Thomas locis citatis pro prima conclusione, & præcipue in hac 3. p. q. 2. ar. 2. & præcipue in 4. contra g. cap. 39 ubi pro ista conclusione congerit viginti septem argumenta. est insuper hæc conclusio de fide diffinita in concilio Ephesino contra Nestorium ob hunc errorem depositum ab eodem Concilio ab Archiepiscopatu constantinopolitano, & in Concilio Constantinopolitano 5. collatione 8. in Calcedonensi collat.e 2. & in concilio Ephesino can. 2. hæc leguntur verba: * Si quis non confitetur carni secundum subsistentiam unitum esse Verbum, quod est a Deo Patre, & Unum esse Xpthum cum sua carne eumdem, videlicet Deum simul, & hominem. anathema sit. & in Lateranensi concilio consultat.e 4. est etiam iuxta Sanctos Patres, Cyrillus ad Euoptium. Damascenus lib. 3. de fide cap. 12. Nazianzenus orat.e 1. ad Dedanium, & alij.

Probatur ratione quia Unio illorum ex quibus resultat una persona est facta in Persona, sed ex Unione Verbi ad humanitatem resultavit una persona, ergo est facta in persona. maior est certa, imo Nestorius, & alij heretici sequaces, ideo præcise negaban Unionem Verbi ad humanitatem factam fuisse in persona, quia negabant in Xpto unam personam resultantem & divinitate, & humanitate unitis, sed asserebant Xpthum esse purum hominem, distinctum personaliter a Verbo æterno Filio Dei. minor autem quam negabant Nestorius, & Sequaces, probatur ex Symbolo D. Athanasij * Sicut anima rationalis. & caro unus est homo ita Deus & homo unus est Xpthus. sed ex anima rationali. & carne unitis subsistentiæ, resultat una persona, ergo ex divinitate & humanitate unitis supposito Verbi, resultat unus Xpthus in unitate personæ.

Secundo probatur eadem minor. quia iuxta Apost. ad Colosenses 1. Xpto convenit esse primogenitum ex mortuis & eidem Xpto convenit esse in quo condita sunt universa. sed esse eum in quo condita sunt universa convenit Verbo. & Filio Dei æterno, ergo Xpthus. & Verbum Filius Dei, est eadem persona.

Denique probatur conclusio ratione desumpta ex D Th. quia de Xpto dicitur & prædicatur quidditative quod est Deus, & quod est homo. est enim de fide ista propositio, Xpthus est Deus, & ista Xpthus est homo, ergo homo. & Filius Dei conveniunt in Xpto in eadem persona, ergo est quia unio facta est in persona, consequentia patet quia qui personaliter distinguuntur non prædicatur unus de alio. unde hæc propositio est falsa. Petrus est Paulus, & ista est falsa. & heretica Pater æternus, est Filius Dei, qui plura desiderat videat D. Th. locis citatis, & eius commentatores, & inter alios M. Godoy. 3. p. q. 2. disp. 7.

Articulus II

Sub qua ratione conveniat de facto Personæ divini Verbi terminare naturam creatam, seu personare, & suppositare humanitatem?

§ I

Prænotantur certa, & apperitur dubium

Dicitur in quæstionis titulo *Sub qua ratione*, ad denotandum dubium præsens non procedere de termino, qui unitur, terminat, & personat humanitatem, hunc terminum supponimus esse Verbum divinum Filium Dei Unigenitum, secundam Sanctissimæ Trinitatis Personam, iuxta Ioann. 1.º Verbum caro factum est: * & iuxta illud Symboli: * Qui propter nos homines &c.ª * ubi ly *qui* relativum refertur ad Filium Dei Unigenitum, dubium ergo præsens procedit de termino quo, qui est & dicitur ratio formalis sub qua terminandi,

Dicitur secundo in titulo: *de facto*; ad denotandum quod in præsenti non intendimus indagare an de possibili possit aliud prædicatum divinum absolutum, videlicet natura divina, vel subsistentia absoluta communis toti Trinitate terminare naturam creatam? de hoc enim in præsenti præscindimus, sicuti præscindimus an Pater æternus, & Spiritus Sanctus possint de potentia absoluta terminare naturam creatam? Solum ergo in præsenti inquirimus de illo quod de facto accidit sub qua ratione videlicet Verbum terminet naturam humanam, an nimirum sit sub aliqua ratione relativa ipsi propriissima, vel an sub aliqua ratione absoluta ipsi communi cum aliis personis, vel ipsi appropriata, vel quomodo de facto eveniat.

Dicitur etiam in titulo, *terminare*, & non dicitur assumere, quia hoc Verbum assumere, duo importat, videlicet & principium actionis; & terminum, vel extremum, cui natura assumpta unitur. & in præsenti dubium non procedit circa principium actionis assumptivæ, sed circa extremum cui unitur natura humana. & non ut cumque; sed circa extremum quo, seu circa rationem formalem sub qua extremum quod terminans, terminat. esse autem principium actionis assumptivæ, cum hæc actio assumptiva, & unitiva sit actio ad extra, convenit ut quod toti Trinitati, sicut omnis actio ad extra est a tota Trinitate ut quod. & a natura divina ut quo.

Quarto notandum est ex tractatu de Trinitate, quod in Deo præter tres subsistentias relativas, quibus constituuntur tres divinæ Personæ, nempe Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, datur alia subsistentia absoluta, quæ convenit huic Deo secundum se considerato, & proptet præintelligitur ad tres

divinas personas. cuius ratio ex ibi dictis brevissime assignari potest, quia Subsistere, per se, sicut, & per se existere est perfectio simpliciter simplex, sed omnis perfectio simpliciter simplex convenit naturę divinę, seu essentię divinę secundum se, & pro priori ad relativas proprietates, ergo praeter tres Subsistentias relativas. convenit huic Deo pro signo priori ad divinas personas Subsistentia absoluta.

Quinto notandum est quod secunda SS.ᵃᵉ Trinitatis persona videlicet Verbum divinum Filius Dei unitur naturę humanę supplendo vices personalitatis creatę, eamdem humanitatem constituendo Personam, divinam utique, unde illam trahit ad esse divinum. seu existere divinum. unde existentia, qua humanitas Xpti existit est ipsissima Verbi existentia. Xphus enim est unus existens. & est homo Deus. Sed Deus existere nequit nisi per existentiam increatam, & divinam. ergo hic homo Xphus qui est unus existens existit per existentiam divinam, & increatam. ex hoc ergo oritur praesens utique inter Theologos gravissima difficultas. in assignando videlicet sub qua ratione Verbum Filius aeternus Dei praestet hos effectus humanitati. an videlicet sit sub explicito relativi tantum, vel an etiam sub aliquo explicito absoluto? absolute sumpto, vel reduplicative ut incluso in relativo? & deinde, si ut incluso in relativo. an sit pro implicito, vel pro explicito?

Sexto notandum est quod Subsistentia, seu personalitas quęlibet duo munia exercet erga naturam quam personat; videlicet, & ei tribuit per se subsistere independenter a quolibet alio; & per se subsistere incommunicabiliter, quod est alijs terminis potest explicari, videlicet quod ei tribuit perseitatem independentię, & perseitatem incommunicabilitatis, & ex his duobus conceptibus, seu formalitatibus, primo intelligitur conceptus perseitatis independentię, & deinde conceptus perseitatis incommunicabilitatis, & propterea insurgit gravissima difficultas in praesenti enodanda. quomodo Personalitas Verbi divini possit humanitati has dictas perseitates communicare praesertim cum sub explicito absoluto solum explicet incommunicabilitatem?

Denique maioris claritatis gratia notandum est quod Persona (quę utique est terminus qui unitur, ut quod) cum sit nomen concretum, formam videlicet & substractum, seu alijs terminis, & personalitatem, & naturam, & aliter & aliter. quia formam, seu quasi formam, nimirum personalitatem, importat in recto. substractum. seu quasi substractum, nimirum naturam importat in obliquo. verum Persona dicit pro expresso utrum, scilicet & rectum, & obliquum, ut constat & comprobatur ex diffinitione Personę tradita a Boetio, & admissa communiter a Theologis, videlicet diffinitur * Rationalis naturę individua Subsistentia. in qua diffinit.° natura ponitur in obliquo, & individua Subsist.ᵃ in recto, & utrumque explicite

§. II.

Referuntur sententiæ.

Valde diversæ sunt in hac parte Theologorum sententiæ. cæterum ea claritate, & distinctione qua possim, varios in hoc dubio Theologizandi modos explicare conabor.

Prima sententia docet: Humanitatem de facto fuisse primo, & perse unitam naturæ divinæ secundum perfectionem absolutam sumptam absolute; secundario autem, & ex consequenti cum propria Personalitate Filij., & ob hanc secundam Unionem, quæ personalis est sola Persona divini Verbi æterni Patris Filij. fuit incarnata de facto. ita Durandus in 3. dist. 1. q. 2. n. 8. & dist. 5. q. 1. n. 9.

Secunda sententia docet unionem humanitatis ad Verbum de facto factam fuisse primario cum esse personali Verbi: secundario autem cum natura secundum esse absolutum, absolute sumptum. pro hac sententia refert P. Gabriel Vazquez 3. p. disp. 26. cap. 2. Capreolum in 3. dist. 1. q. 1. ar. 1. & 3. Sed falso tribuit hanc sententiam Capreolo, cum Capreolus ibidem aliam sententiam, postea referendam, teneat, ut videre est apud ipsum, & testatur M. Godoi in præsenti. Similiter idem P. Vazquez refert pro hac secunda sententia Magistrum Victoria, & Soto. quos, idem Vazquez postea refert pro tertia sententia statim referendam. unde videtur hæc secunda sententia restare sine Patrono. & fortasse est conficta a Vazquez, ut hostem haberet, quem feriret, quod non est novum in ipso.

Tertia sententia docet Verbum divinum terminare unionem humanitatis ad ipsum ratione subsistentiæ absolutæ, non præcisse, & absolute sumptæ, sed ut modificatæ personalitate, & proprietate relativa Filij. hanc sententiam tribuit Medina, Marsilio, & pro ea etiam refert Victoria, & Soto.

Quarta sententia docet rationem formalem sub qua terminandi humanitatem esse istam Personam Verbi divini, quæ ex natura divina, & proprietate personali conflatur, (ut dictum est ultimo notabili) unde ratio formalis, sub qua Verbum terminat de facto humanitatem non est sola proprietas personalis Filij, nec est sola formalitas absoluta, sed ex utraque ratione conflatur ratio formalis sub qua adæquata terminandi, Unde formalitas absoluta quæ inadæquate ingreditur ad constituendam rationem formalem sub qua terminandi, nimirum subsistentia absoluta propria naturæ divinæ, non sumitur ut absoluta, sed ut relative est in Filio, & ut constituit personam Filij. Hanc sententiam tenet, & docet Capreolus ubi supra. in 3. dist. 1. q. 1. ar. 1. & in ar. 3. ad argumentum Durandi. Paludanus in 3. dist. 1. q. 2. ar. 3. ad 6. Ochamus, & Gabriel

in 3. dist. 4. q. 1. ar. 2. Hispalensis in 3. dist. 1. q. 2. ar. 9. ad secundum argumentum Durandi. Illustriss. Godoi licet teneat quintam immediate referendam sententiam, tamen docet, & fatetur in solutione cuiusdam argumenti difficilis contra suam sententiam, hanc quartam sententiam non discordare nisi in verbis, & in modo dicendi a sua, & communi Thomistarum sententia, quę immediate referretur, ut videre est apud ipsum Illustrissimum Episcopum, in presenti disp. 15. §. 3. n. 62. pro hac quarta sententia etiam refertur Eminentiss. Caietanus in presenti, licet re vera sit pro sequenti ultima, & quinta sententia.

Quinta denique, & ultima sententia docet: Verbum terminare humanitatem, non ratione perfectionis absolutę, sed ratione proprietatis personalis relativę. pro hac sententia citatur Caietanus. 3. p. q. 2. ar. 2. licet Godoi fateatur Caietanum non disentire a quarta relata sententia. est hęc quinta sententia communis Thomistarum. eam tenent. Nazarius in presenti controv. 1. Ill. Ep. Araujo dub. 3. Reverendiss. M. Joann. a Sancto Thoma. Ill. Ep. Alvarez. disp. 21. Ill. Ep. Godoy. disp. 15. §. 1. n. 9. Mag. Cabrera. ar. 2. disp. unica. Mag. Gonet. disp. 8. ar. 1. & ex nostris P. Antonius de la Parra. disp. 3. q. 2. ar. 2. Hanc eamdem sententiam tenent ex Patribus Societatis Suarez. disp. 13. sect. 2. Vazquez disp. 26. cap. 2. & citat pro hac sententia fere omnes pro quarta relatos.

Licet predictę relatę sententię, quinque differentias sententiarum in hac parte videantur constituere tamen attento legendo Authores, iudico duas primo relatas sententias parum differre & absolute in unam sententiam possunt adunari; similiter tres ultimo relatas sententias parum differre. & in re convenire, licet in modo loquendi aliquantulum diversificentur. Sed quidquid sit de hoc, ut cum claritate procedamus duabus conclusionibus placet dubium presens resolvere.

§. III.

Stabilitur prima conclusio.

Sit prima conclusio: Ratio formalis sub qua Verbum terminat humanitatem, non est aliquod predicatum divinum absolutum, absolute sumptum.

Hęc conclusio est contra primam, & secundam relatam sententiam, & ante quam illam probemus breviter notandum est, quod sententia Durandi, nimirum prima in ordine relata, cui directe opponitur nostra conclusio: variis notis inuritur a pluribus Theologis. Capreolus illam appellat: periculosam. Caietanus: cavendam. Suarez: improbabilem. Cabrera: temerariam. Medina: hereticam. ceterum ab his censuris liberat sententiam Durandi Sapientiss. P. M. Antonius de la Parra

ubi supra. ar. 3 per hęc verba: * Nec in ea (nimirum in hac sententia Durandi) aliquid temeritatis inveni, sed solum discrepare a sententia communi in modo loquendi *. Similiter Ill. Godoi ubi supra num. 25. sententiam Durandi a censura absolvit, per hęc verba: * An autem sententia Durandi aliqua censura sit digna, non est facile decernere * & paucis interpositis prosequitur: * & si quis tenaciter vellet Durando adhęrere & illius sententiam defendere, posset illis (videlicet argumentis) apparenter occurrere, ob quę, & quia plures sententiam Durandi non damnant, alijs autem, ut Suarez, solum improbabilem iudicant, illam damnare non audeo. * hęc Ill. Ep. Oxomensis, & Saguntinus, Godoy. unde & ego his sapientissimis Magistris adherens, sententiam Durandi censurare non audeo, cum potius pie intellecta, possit trahi ad sensum communem Theologorum, ut publice defensavi Salmanticę, in conclusionibus publicis habitis a me in nro Divi Caroli Borromęi Collegio, sub assistentia mei sapientissimi Lectoris, & Magistri, P. Mathei de Zafrilla. anno Dni. 1692.

Sed quidquid sit de hoc, probatur nostra conclusio primo ex D. Th. in hac. 3. p. q. 3. ar. 2. ubi ait: * De natura verum esse, quod assumpserit humanitatem, quia ratione sui fuit assumptionis principium; & terminus ratione personę Verbi, cui est immediate unita. * ergo sentit D. Th. quod natura non ratione sui, sed ratione personę, seu proprietatis relativę, fuit terminus humanitatis, & per consequens, quod ratio formalis sub qua Verbum terminat humanitatem, non est aliquod prędicatum absolutum, absolute sumptum.

Secundo probatur conclusio ex Concilio Toletano. 6. & 11. in confessione fidei cap. 1. etenim in utroque habentur hęc verba: * Solus Filius suscepit humanitatem in singularitatem personę, non in unitatem divinę naturę, idest, in eo, quod est proprium Filio, non in eo, quod est commune Trinitati. * sed quodlibet prędicatum divinum absolutum, absolute sumptum, est commune Trinitati; ergo nullum prędicatum divinum absolutum, absolute sumptum fuit ratio formalis sub qua, terminandi humanitatem.

Nec valet respondere cum Durando, unionem factam fuisse cum prędicato divino absoluto, absolute sumpto, videlicet cum Deitate, ita ut Xpus sit, & dicatur: Hic Deus. unde facta fuit cum Deitate non utcumque, sed cum Deitate, sub conceptu existentię, & subsistentię absolutę, unde ex tali unione non resultat in Xpto una natura, sed unum subsistens, & unum existens, quę unio est inchoativa, & per unionem cum Personalitate relativa Filii, completur, & proinde esse hominem solum prędicatur de Verbo, & non de alia SSę Trinitatis persona.

Non valet, inquam, hec Solutio, quia licet hic modus dicendi Sufficiat, ut ista Sententia Durandi liberari possit a censura, tamen vera non est. quia Concilium duo asserit: primum Filium Suscepisse humanitatem non in unitatem naturæ, sed in Singularitatem Personæ, Secundum; Suscepisse humanitatem non in id quod est commune Trinitati, Sed hæc Solutio licet aliquomodo Salvet primum, non salvat Secundum. cum etiam existentia, & Subsistentia absoluta, sit quid commune, ergo hæc solutio vera non est.

Tertio probatur conclusio ex 6. Synod. generali, act. 8. versus finem, ubi utendo verbis desumptis, ex D. Dionysio. lib. de divinis nominibus. cap. 2. p. 1. sic ait: * Solus Filius assumpsit humanitatem; Pater, & Spiritus Sanctus nihil habent in assumptione, nisi benignissimam voluntatem, & affectionem Incarnationis, terminationem vero esse Solius Filii. * Sed si ratio formalis Sub qua terminandi esset aliquod prædicatum divinum absolutum, absolute Sumptum Pater, & Spiritus Sanctus aliquid haberent in assumptione præter benignissimam voluntatem, & affectionem, videlicet illud prædicatum absolutum, absolute Sumptum, Toti Trinitati proinde commune. ergo nullum prædicatum absolutum est ratio formalis Sub qua terminandi.

Responderi potest ex Durando, Patrem, & Spiritum Sanctum non communicari cum Filio, quoad hoc quod est dici, & prædicari esse hominem factum, quia hoc Solum prædicatur de Filio quia unio assignata a Durando in prædicato absoluto, cum sit unio Solum inchoativa, & compleatur per unionem cum proprietate personali Filii, ideo de Solo Filio prædicatur esse hominem factum.

Sed contra, quia locutio Concilii est universalis, & præterea est exceptiva, asserens Patrem, & Spiritum Sanctum nulla ratione communicare cum Filio in assumptione nisi benignissima voluntate, ergo assignare communicationem etiam in aliquo prædicato absoluto, etiam Solum inchoante unionem non potest esse Sine detrimento Concilii.

Ratione autem probatur conclusio. Quia si ratio formalis Sub qua Verbum terminat humanitatem esset aliquod prædicatum absolutum, absolute Sumptum, Sequeretur omnes tres divinas Personas SS. Trinitatis fuisse de facto incarnatas, & hominem factas; Sed hoc dici nequit cum sit contra fidem. ergo nullum prædicatum absolutum absolute Sumptum, est ratio formalis Sub qua Verbum de facto terminat humanitatem. Sequella maioris probatur. quia quidquid convenit cuilibet prædicato divino absoluto, convenit omnibus tribus Divinis Personis SS. Trinitatis, & quidquid verificatur de prædicato absoluto verificatur de illis, ergo si prædicato absoluto convenit terminare humanitatem Similiter convenit terminare omnibus illis tribus personis: Sed idem est terminare

humanitatem, ac esse hominem, ergo de tribus divinis personis verificabitur esse hominem.

Respondebis cum Durando negando sequellam maioris quia ut verificetur de omnibus tribus personis esse factas hominem, erat necessarium, quod propter unionem cum illo predicato absoluto, nempe cum existentia, & subsistentia absoluta, daretur etiam unio cum predicatis seu proprietatibus personalibus Patris, & Spiritus Sancti, & cum talis unio non detur nisi cum relativo Filij, inde est quod de solo Filio verificatur esse hominem factum.

Sed contra est quia ut ex verbis Concilii constat si unio humanitatis ad Verbum facta fuisset in natura, inferebat concilium omnes tres divinas personas fore incarnatas, eo quia natura est predicatum commune ergo si asseritur unionem factam fuisse in aliquo predicato absoluto sequitur omnes tres divinas personas fuisse incarnatas.

Contra secundo, quia ad minus verificabitur de Patre, & Spiritu S^to^ inchoative esse hominem factum, sicut idem verificatur de illo predicato absoluto divino iuxta sententiam Durandi, quam impugnamus, sed hoc etiam dici non potest, ergo nec illud ex quo sequitur.

§. IV.

Statuitur secunda conclusio.

Sit secunda conclusio: Ratio formalis sub qua Verbum, ut quo, terminat humanitatem, est sola Personalitas, seu proprietas personalis, & relativa Filij, sub explicito relativi.

Probatur conclusio quia Unio humanitatis ad Verbum facta fuit sub aliquo predicato divino, tanquam in ratione formali sub qua, ita ut verificetur, quod solus Filius, fuit factus homo, - Sed hoc non potest esse nisi ratio formalis sub qua terminandi sit personalitas propria Filij, & nullo modo aliquid absolutum divinum, ergo ratio formalis sub qua Verbum terminat humanitatem est sola Personalitas Filij sub explicito relativi, maior est de fide, & minor patet, quia si ratio formalis sub qua terminandi esset aliquod predicatum divinum, verificaretur de omnibus tribus divinis personis terminare humanitatem sub aliquo predicato ipsis communi.

Replicabis Personalitas Filij, terminat prout est in re, sed Personalitas Filij prout est in re, est idem ac natura divina, & subsistentia absoluta, ergo implicat Filiationem sub explicito relativi esse rationem formalem sub qua terminandi, & quod similiter non sit natura.

Sed contra & concessa maiori, distinguo minorem, est idem cum natura Personalitas Filij, re,

& ratione, seu realiter, & virtualiter nego minorem, & distinguitur virtualiter, & per rationem concedo minorem, & nego consequentiam. Et instatur manifeste. quia natura divina, est realiter idem cum Paternitate. & tamen, quia virtualiter, & per rationem distinguitur a Paternitate, potest Pater per æternam generationem Filio communicare naturam. & non Paternitatem. ergo eadem distinctio sufficiet, ut possit Filiatio sub expresso relativi esse rationem formalem sub qua terminandi humanitatem, quin debet esse rationem formalem sub qua terminandi eamdem humanitatem natura divina.

Sed iterum replicabis: quia in Beatis illorum visio beata terminatur ad naturam divinam prout est in re, non potest visio beata videre naturam divinam, non visis personalitatibus: ergo si natura prout est in re est idem realiter cum Filiatione, non potest Filiatio esse rationem formalem sub qua terminandi humanitatem, quin etiam natura divina sit ratio formalis sub qua terminandi humanitatem.

Sed contra, respondeo concesso antecedenti nego consequentiam. & paritatem, disparitas est manifesta, quia visio beata non est præcisiva, sed totum obiectum quod attingit eo quia totum obiectum quod, nempe natura divina, & relationes, & omne prædicatum divinum, conveniunt indivisibiliter in ratione visibilis, quæ utique est ratio entis immaterialis, & actualis. quæ ratio æqualiter & indivisibiliter convenit omni prædicato divino sive absoluto, sive relativo. ratio vero terminandi humanatatem, non sic, sed est præcisiva, & potest uni, & non alteri prædicato divino convenire, & cum fides doceat solum Filium esse hominem factum, ideo ratio formalis sub qua terminandi humanitatem de facto, est sola personalitas, & proprietas relativa Filij. & argumentum si convinceret, convinceret etiam quod Pater per æternam generationem debebat communicare Paternitatem, ut consideranti patebit. unde cum hoc non possit convincere, salva fide, inde est quod non convincit intentum

§. V.
Proponitur difficile argumentum

Obiicies contra istam secundam conclusionem: sub ea ratione Verbum divinum unitur humanitati sub qua terminat dependentiam humanitatis ad Verbum. sed hanc dependentiam humanitatis terminat Verbum, ratione prædicati absoluti primario: ergo ratio formalis sub qua Verbum divinum terminat dependentiam est aliquod prædicatum absolutum primario. consequentia infertur, & maior est omnino certa, quia Verbum unitur humanitati gerendo vices personalitatis createæ; sed personalitas propria create, si adesset, terminaret dependentia humanitatis ad ipsam, & uniretur suæ humanitati sub ratione sub qua terminat dependentiam ad ipsam; ergo sub ea ratione Verbum divinum

unitur humanitati sub qua terminat dependentiam humanitatis ad ipsum.

Probatur ergo minor: quia dependentia humanitatis a Verbo, est ut illam constituat per se existentem, & independentem; quandoquidem hanc eamdem dependentiam haberet humanitas a sua propria personalitate creata, si adesset; Sed Verbum constituit humanitatem independentem, & per se existentem, ratione prędicati absoluti, primario, non autem ratione proprietatis relativę, ergo Verbum divinum primario terminat dependentiam humanitatis ad ipsum ratione prędicati absoluti. cętera patent pręter minorem, quę sic probatur: Verbum divinum ratione illius prędicati constituit primario humanitatem per se existentem, & independentem, ratione cuius ipsum Verbum in se ipso constituitur per se existens, & independens. & pro inde ratione cuius continet existentiam per se. & independentiam quam humanitati communicat: Sed Verbum divinum constituitur in se ipso per se existens, & independens, ratione prędicati absoluti, & ratione prędicati absoluti continet per se existentiam, & independentiam, quam pręstat humanitati; ergo Verbum divinum primario constituit humanitatem per se existentem, & independentem ratione prędicati absoluti, non autem ratione proprietatis relativę.

Minor quoad omnes suas partes est certa. quoad primam quidem, quia in Deo non datur triplex existentia, nec triplex independentia, sed una, & indivisibilis, ratione cuius existunt tres divinę personę, & ratione cuius sunt independentes, sed prędicatum divinum omnibus tribus personis indivisibiliter conveniens est absolutum, ut de se est notum, cum sola relativa oppositio faciat prędicatum divinum distinctum, ergo Verbum divinum in se ipso constituitur per se existens, & independens ratione prędicati absoluti,

Secundo quia existentia, & independentia, in communissima sententia, est perfectio, sed in divinis proprietates relativę non dicit perfectionem, in communiori Thomistarum sententia, ergo proprietas relativa Filij formaliter non est per se existentia, & indepentia, ergo per se existentia, & independentia est prędicatum commune, & absolutum, sed Verbum divinum constituitur per se existens, & independens, per existentiam & independentiam divinam, ergo constituitur per se existens, & independens ratione prędicati absoluti.

Pro secunda autem parte etiam est certa eadem minor. quia solum potest continere existentiam per se, & independentiam ratione illius prędicati, quod est formaliter talis, ut patet paritate omnium aliorum prędicatorum divinorum, quorum quodlibet, quod formaliter tale non est non continet prędicatum creatum tale, v.g. intellectus divinus, non continet habitus creatos pertinentes ad voluntatem creatam, nec econtra, & sic de alijs. ergo vera est prędicta pars.

Confirmatur & explicatur hoc amplius. Verbum divinum sub ea ratione terminat ut quo humanitatem, sub qua continet personalitatem creatam, sed Verbum continet eminenter personalitatem creatam, ratione prædicati absoluti, & non ratione solius proprietatis relativæ. ergo ratio sub qua Verbum terminat humanitatem est aliquod prædicatum absolutum. vel non est sola proprietas relativa. maior videtur nota quia supplere effectum formalem, vel quasi effectum formalem alicuius formæ, solum potest convenire formæ, seu quasi formæ, illam continenti. minor autem probatur: quia personalitas creata duo munia exercet erga naturam quam personat, videlicet & constituit humanitatem per se, ~~[illegible]~~ perseitate independentiæ, & constituit eamdem humanitatem per se, perseitate incommunicabilitatis; sed licet Personalitas relativa Verbi contineat personalitatem creatam secundum quod dicit, & confert humanitati perseitatem incommunicabilitatis, non tamen illam continet, secundum quod dicit, & confert eidem humanitati perseitatem independentiæ, ergo Verbum non continet personalitatem creatam ratione solius proprietatis relativæ. minor patet quia perseitas independentiæ, quam personalitas creata communicat humanitati, est formalitas absoluta, & dicens pro in de pro explicito perfectionem, sed formalitas pure relativa, & pro explicito non dicens, nec explicans perfectionem qualis est proprietas relativa Verbi, continere non potest formalitatem absolutam dicentem, & explicantem pro explicito perfectionem. ergo licet Personalitas relativa Verbi contineat personalitatem creatam, secundum quod dicit, & confert humanitati perseitatem incommunicabilitatis, non tamen illam continet secundum quod dicit, & confert eidem humanitati perseitatem independentiæ.

§. VI.

Proponitur solutio probabilis.

Ad hoc argumentum est facilis solutio in sententia quorumdam Theologorum asserentium dari in divinis tres existentias relativas. Unde in hac sententia subsistentia Verbi continet eminenter existentiam creatam, unde potest constituere humanitatem per se existentem, & per se subsistentem, & non est difficile in illa sententia, quod subsistentia & existentia relativa possint pro suis explicitis humanitati communicare utramque perseitatem, independentiæ videlicet, & incommunicabilitatis.

Sed huic solutioni acquiescere non possumus, cum fundetur in sententia pro nobis falsa, etenim in communi Thomistarum sententia ad Tractatum de Trinitate, 1. p. q. 28. non datur in divinis triplex existentia relativa, sed una tantum, & absoluta.

Ulterius, quia in Methaphysica docent communiter Thomistæ, quod Subiectum receptivum existentiæ, non est natura, seu essentia propriori ad Subsistentiam vel Suppositalitatem unde et consequenter loquamur ad id quod in Methaphysica diximus asserendum est quod ut humanitati communicetur a Verbo existentia debet intelligi propriori terminata a Subsistentia, & proinde prius sub aliquo signo unitur humanitati Xpti personalitas, seu proprietas relativa Verbi, quam ipsi communicetur existentia.

§. VII

Reiicitur alius modus dicendi

Similiter poterat solvi argumentum facile in sententia asserente non dari in divinis Subsistentiam absolutam, & insuper asserente relationes divinas pro explicito dicere perfectionem, in ista enim sententia personalitas seu proprietas relativa potest utramque perseitatem communicare, eo quia continet eminenter personalitatem creatam, etiam quoad explicitum in quo dicit perfectionem.

Verum nos uti non possumus hac solutione quia affirmamus cum communi Thomistarum sententia, & dari in divinis Subsistentiam absolutam, & relationes divinas non dicere pro explicito perfectionem.

§ VIII

Vera solutio explicatur

Respondetur ad argumentum ~~[illegible]~~; distinguendo maiorem: Sub ea ratione Verbum unitur humanitati, sub qua terminat dependentiam primariam humanitatis ad Verbum: concedo maiorem, dependentiam secundariam, nego maiorem, & distinguo minorem, Sed hanc dependentiam humanitatis terminat Verbum primario ratione prædicati absoluti; si sermo sit de dependentia secundaria humanitatis a Verbo, concedo minorem; si sermo sit de dependentia primaria humanitatis, terminat primario ratione prædicati absoluti, nego minorem, & consequentiam. cui solutioni non officit probatio, seu explicatio maioris, & ad probationem minoris quatenus huic solutioni obstare potest, respondeo distinguendo maiorem: dependentia humanitatis a Verbo, est ut illam constituat perse existentem, & independentem, & æque primaria est dependentia humanitatis a Verbo, ut illam constituat per se existentem, & independentem, nego maiorem, & dependentia humanitatis a Verbo ut illam constituat perse existentem, est dependentia secundaria, perse autem independentem est dependentia primaria concedo maiorem, & omissa minori quo ad secundam partem, & negata quo ad primam, videlicet negando quod ratione prædicati absoluti primario, illam constituat independentem, & omittendo, quod ratione prædicati absoluti primario, illam constituat perse existentem, distinguatur consequens, distinctione data.

Ad probationem concessa maiori. & minori quoad primam partem (nempe quatenus i-
sexit quod Verbum divinum constituit humanitatem perse existens, per illud prædicatum
absolutum ratione cuius Verbum in se ipso est perse existens.) distinguatur eadem mi-
nor quoad secundam partem, de perse independentia: Verbum videlicet in se ipso
est independens ratione prædicati absoluti, secundum quod independentia dicit incom-
municabilitatem nego minorem. secundum quod incomunicabilitatem non dicit concedo
minorem, & concessa consequentia quoad primam partem, distinguatur consequens
quoad secundam ergo Verbum constituit humanitatem independentem ratione
prædicati absoluti, prout independentia dicit incommunicabilitatem nego consequentiam
secundum quod independentia dicit solum primam perseitatem videlicet ab alio ut hu-
tentate. & non dicit perseitatem incommunicabilitatis. subdistinguo, illam constituit
talem ratione prædicati absoluti, prout implicite continetur in prædicato relativo, con-
cedo consequentiam. ratione prædicati absoluti absolute sumpto nego consequentiam.

Explicatur solutio. &
distinctio dicimus ergo. quod Verbum divinum duo munia præstat humanitati, vide-
licet & existentiam, quando quidem humanitas Xpti existit per existentiam Verbi,
existit enim humanitas. per eandem existentiam per quam exist Xptus. sed Xptus
qui Deus, & homo est, existit per existentiam Verbi. ergo, & humanitas, præstat ergo
Verbum humanitati. & existentiam, & independentiam ab alio ut a sustentante
independentiam præstat primario, existentiam secundario. quia ut ex metaphys-
sica prænotavimus. subiectum capax recipiendi vel habendi existentiam non est na-
tura pro priori ad subsistentiam, sed natura seu essentia terminata a personalitate
seu subsistentia.

Et insuper ut hoc prædicatum præstetur, videlicet ut existentia præstetur huma-
nitati a personalitate Verbi, ita ut humanitas immediate existat. & sit existens per existen-
tiam divinam, non requiritur quod immediate. & primario uniatur prædicatum divinum
absolutum, videlicet existentia divina, seu subsistentia absoluta, vel natura divina indistincta
virtualiter ab existentia. sed sufficit quod uniatur mediate, nempe mediante subsistentia
relativa Verbi. in qua implicite includitur, ut cum illa identificata, ut patet. & instatur
in sanctitate substantiali. quæ præstatur humanitati Xpti a natura divina, ut late est
probatum tract. de Gratia Xpti. & tamen natura divina non unitur immediate. sed con-
tinetur implicite in Personalitate Verbi quæ immediate unitur.

Secundum autem munus
quod exercet Personalitas Verbi erga humanitatem, est illam constituere independentem
quæ formalitas est potissima. & primaria quæ præstatur humanitati a Personalitate Verbi.
& sub explicito relativi, & etiam sub implicito absoluto contento in relativo. & ratio est

quia independentia ab alio, ut a Subsistente, dicit duo, videlicet & perseitatem independentiæ non excludentis communicabilitatem, & perseitatem independentiæ dicentis incommunicabilitatem. prima perseitas, idest illa quæ non excludit communicabilitatem, præstatur a Subsistentia absoluta reduplicatur ut implicite inclusa in Subsistentia relativa Verbi, etenim in divinis Subsistentia absoluta conveniens huic Deo pro signo priori ad personas divinas, licet naturam divinam constituat independentem ab omni non ipsa, tamen illi non præstat incommunicabilitatem, cum pro alio signo communicetur a Patre eadem natura divina Filio per æternam generationem, & communicetur a Patre, & Filio per æternam spirationem Spiritui Sancto. Secunda perseitas idest illa quæ etiam dicit incommunicabilitatem, quæ circa communiter perseitas incommunicabilitatis, præstatur humanitati a Personalitate Verbi sub explicito relativo. quandoquidem proprietates relativæ constituunt naturam divinam incommunicabilem alteri supposito.

Et per hoc patet solutio ad confirmationem. Respondetur concessa maiori distinguendo minorem, sed Verbum continet eminenter personalitatem creatam. ratione prædicati absoluti, & non ratione solius prædicati relativi, pro eo quod relativum divinum dicit de explicito & de expresso omitto minorem, pro eo quod relativum dicit de explicito, & implicito nego minorem, & consequentiam. Cui solutioni non officit probatio minoris adiunctæ, nam utraque perseitas nempe & perseitas independentiæ, & perseitas incommunicabilitatis præstatur a persona Verbi, seu a relativa proprietate, una secundum quod explicat, & alia secundum quod implicat, & proinde Personalitas sub explicito relativi, & pro eo quod implicat utramque perseitatem continet, & præstat humanitati.

§. IX

Proponitur difficilis replica

Replicabis, & urgentissime ergo ratio formalis sub qua terminandi ut quo humanitatem collescit, & ex prædicato relativo, & ex prædicato absoluto, ut incluso in relativo. ut docet quarta supra relata sententia. probatur consequentia. quia ratione illius Personalitas Verbi terminat Humanitatem, ratione cuius continet eminenter personalitatem creatam, sed non continet illam ratione solius relativi pro explicito, sed ratione explicito, & impliciti, iuxta solutionem datam. ergo consequentia facta est optima.

§. X

Solvitur

Respondetur negando consequentiam. & ad probationem distinguo maiorem: ratione cuius continet personalitatem creatam, pro ut personalitas creata dicit perseitatem incommunicabilitatis. concedo maiorem. prout dicit utramque perseitatem, & independentiæ, & incommuni-

cabilitatis nego maiorem, & distinguo minorem, sed non continet illam ratione solius relativi, prout dicit perseitatem incommunicabilitatis nego minorem, prout dicit utramque perseitatem, subdistinguo. non continet illam praecise ratione explicitj concedo minorem, ratione expliciti reduplicative quatenus continet implicitum nego minorem, & consequentiam.

Explicatur solutio:

igitur personalitas creata & dicit perseitatem indepentiae, quam tribuit naturae quam personat, & dicit perseitatem incommunicabilitatis, quam etiam tribuit naturae quam personat, Personalitas Verbi autem sumpta pro explicito relativi, continet personalitatem creatam, secundum quod ista dicit perseitatem incommunicabilitatis, secundum vero explicitum relativi, adequate sumptum, idest secundum illud quod explicat, & secundum illud quod implicat. continet personalitas Verbi personalitatem creatam quatenus dicit utramque perseitatem

Replicabis perseitas independentiae est prior perseitate incommunicabilitatis, Unde personalitas creata si adesset prius communicaret naturae perseitatem independentiae, quod & convincitur paritate eiusdem perseitatis independentiae convenientis Deo ratione subsistentiae absolutae, quae prior est perseitate incommunicabilitatis convenientis Deo ratione subsistentiae relativae, ergo Verbum prius debet praestare humanitati hanc eamdem perseitatem independentiae, quam perseitatem incommunicabilitatis, ergo est quia ratio formalis sub qua terminandi coalescit aeque primario, & ex subsistentia absoluta, ut connexa cum personalitate Verbi, & ex ipsa personalitate Verbi. quandoquidem hanc perseitatem independentiae non continet Verbum ratione expliciti relativi.

Respondetur distinguendo antecedens, perseitas indepentiae est prior perseitate incommunicabilitatis, est prior prioritate adequata & non subsistendi consequentia nego antecedens, est prior prioritate inadequata, & subsistendi consequentia concedo antecedens, & similiter distinguo consequens ergo Verbum prius debet praestare humanitati hanc eamdem perseitatem independentiae, prius prioritate adequata, & non subsistendi consequentia, nego consequentiam, prius prioritate inadequata, & subsistendi consequentia concedo consequentiam. & nego secundam consequentiam, Verbum enim taliter praestat humanitati perseitatem independentiae, quod in eodem signo adequate sumpto praestat etiam humanitati perseitatem incommunicabilitatis, quod sufficit ut tota ratio formalis sub qua terminandi conveniat praedicato relativo, pro explicito, quia ut alicui perseitatem communicet sufficit quod illam contineat ratione impliciti.

Articulus III.

Utrum Pater æternus, vel Spiritus Sanctus, possit naturam aliquam intellectualem creatam assumere in unitatem Personæ?

§.

Conclusio est affirmativa. Non immoramur in eius probatione, cum potentia absoluta Dei, extendatur ad omne quod non implicat. & insuper paritate Filij secundæ SS Trinitatis personæ, probatur cum omnes tres divinæ personæ sint omnino æquales.

Articulus IV.

Utrum omnes tres divinæ personæ possint simul eamdem naturam creatam assumere, et terminare?

§

Conclusio est affirmativa. & brebissime suadetur. primo quia illam possent terminare ratione subsistentiæ absolutæ, quæ communis est omnibus tribus divinis personis. Secundo quia etiam si illam terminarent ratione subsistentiæ relativæ quæ propria uniuscuiusque illam possent terminare. quia assumptibilitas naturæ intellectualis creatæ non exhauritur adæquate extensive, eo quia ab una terminetur licet exhauriatur intensive. Tertio quia tres divinas personas terminare eamdem naturam intellectualem creatam non repugnat. ex parte personarum divinarum. quæ de facto terminant eamdem naturam divinam. nec ex parte naturæ creatæ. cum itta sit assumptibilis ratione potentiæ obedientialis, quæ extenditur ad omne quod secundum se non implicat.

Secunda conclusio in hypotesi quod omnes tres divinæ personæ eamdem naturam creatam intellectualem assumerent, v.g. eamdem humanitatem, non dicerentur tres homines, sed unus homo in tribus personis. Et probatur ex eo quod de facto eadem natura divina in tribus personis. non dicitur tres Dei, sed unus Deus. eo quia nomina numeralia licet immediate denominent supposita. tamen requiritur ad pluralitatem multiplicitas naturarum, seu subiectorum. videatur D. Th. in hac. 3. p. q. 3. ar. 6. ad. 1.

Articulus V.

Vtrum una, & eadem persona divina. v. g. Filius, possit plures naturas intellectuales creatas terminare?

§

Conclusio est affirmativa. & ratio est quia eius infinitas interminando non exhauritur extensive. in sola una natura creata.

Secunda conclusio, in hypotesi quod una & eadem persona divina, v. g. Filius terminaret tres humanitates non diceretur tres homines, sed unus homo. & ratio est, quia licet multiplicaretur natura non multiplicatur suppositum, sed nomen numerale immediate denominat suppositum, & in casu est unum. ergo. videatur D. Th. in hac 3. p. q. 3 ar. 7. ad 2.

Articulu VI.

Vtrum persona creata? seu natura intellectualis creata terminata per suam personalitatem creatam possit assumi. & terminari a persona divina?

§.

Conclusio est negativa. & ratio desumitur ex ipso conceptu personę, quę est incommunicabilis substantia.

DISPVTATIO SEPTIMA

De Natura assumpta, & assumptibili.

Ad Q. 4. & 5 Divi Thomæ.

Articulus. I.

Utrum Omnis natura creata sit assumptibilis a Persona divina?

§. I.

Prænotantur certa.

Supponimus quod nomen naturæ si in rigoroso sensu accipiatur, solum convenit naturæ substantiali completæ, quippe solus de tali natura verificatur definitio tradita a Philosopho, videlicet quod sit principium motus & quietis eius in quo est, primus, per se, & non secundum accidens. at vero nomen naturæ late sumptum, adaptari potest et naturæ substantiali, sive completæ, sive incompletæ, & naturæ accidentali: ut accidentia omnia.

Rursus natura substantialis completa alia est pure spiritualis ut Angelica, alia pure materialis, ut est natura, brutorum, ut leo, & equus, alia vegetabilis, ut plantæ, alia insensibilis, ut elementa, & lapides: & alia est natura completa mixta ex spirituali, & materiali seu corporeo, ut homo, seu humanitas. natura substantialis incompleta, alia est talis essentialiter, ut materia, & forma, alia integraliter, ut caput manus pes. De omnibus ergo his naturis: sive substantialibus completis, vel incompletis, sive de natura accidentali, procedit dubium, an possit assumi a persona divina.

Supponimus secundo de fide certum naturam rationalem esse assumptibilem a persona divina, cum de facto in mirabili Incarnationis mysterio fuisset assumpta a Verbo Divino in unitatem personæ. in dubium reducitur difficultas ad alias naturas, sive spirituales, sive corporeas, completas vel incompletas, & ad accidentales naturas.

Tertio supponendum est, quod congruitas ut aliqua natura sit assumptibilis a persona divina, alia est congruentia dignitatis, alia necessitatis, alia universalitatis, quarum diversitas constabit ex dicendis.

§. II.

Referuntur sententiae.

Prima Sententia docet Naturam Angelicam non esse assumptibilem a persona divina

pro hac sent.a refertur Albertus Magnus in 3. dist. 2. ar. 2. quem sequitur Vazquez in praesenti disp. 30. c. 9. citat Vazquez pro hac sent.a D. Thomam. sed immerito ut postea videbimus. Secunda sententia docet, Angelos seu omnem naturam substantialem, completam posse assumi a persona divina, secus autem de natura substantiali pure corporea, et irrationali; hanc tenet D. Bonav. in 3. dist. 2. ar. 1. q. 1. Alensis 3. p. q. 2. memb. 7. et q. 4. memb. 1. et alij apud Ill.mum Araujo, et Godoy. Tertia sent.a docet omnem naturam substantialem completam sive intellectualem, sive pure corpoream esse assumptibilem a persona divina. hanc tenent Omnes Thomistae, et videtur etiam apud modernos, eam docuit Capreolus in 3. dist. 2. q. unic. Caiet. in praesenti. et ex alij Noster M. Sol. Tr. 16. q. 9. sect. 2.

Circa naturas substantiales partiales, et circa accidentia constabit sententiarum diversitas ex dicendis.

§ III.

Statuitur prima conclusio.

Sit prima conclusio. Natura Angelica de potentia absoluta est assumptibilis, adeo in unitatem personae, licet non ita congruenter ac natura humana. est expressa D. Thomae in hac q. 4. ar. 1. et in 3. dist. 2. q. 1. ar. 1. tenent nostrae conclusionis. Capreolus Caiet. Cabrera, Medina, Alvarez, Nazarius, Araujo. Ioann. a S. Th. Godoi. Gonet. Noster Parra, Aversa. et est fere communis. — Probatur prior ex Apost. ad Hebraeos 2. illis verbis. Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahae. ubi Apostolus commendans Caritatem Dei erga homines prae Angelis, eo quia potius humanam quam Angelicam assumpserit naturam, ergo supponit naturam Angelicam potuisse assumi adeo in unitate personae, aliunde si assumptibilis non esset natura Angelica, esset inutilis comparatio.

Ratione probatur. quia quod non implicat contradictionem fieri potest adeo, sed naturam Angelicam assumi adeo in unitate personae, non implicat. ergo. probatur minor. si implicaret, vel esset implicatio ex parte naturae, vel ex parte personae divinae, sed ex neutro capite repugnat. ergo. quod non repugnet ex parte personae divinae, patet, quia assumpsisset naturam humanam, unde vis assumptiva in divina persona est infinita probatur ergo quoad 2am partem.

quia si repugnaret ex parte naturae Angelicae ideo esset quia personalitas non distingueretur ab Angelo, sed distinguitur, ergo non repugnat. minor. est D. Th. in quodlibet 2. q. 2. ar. 4. ubi docet quod suppositum distinguitur in Angelis a natura, per haec verba. eo quod aliquid accidit Angelo praeter id quod est de ratione speciei, quia et ipsum esse Angeli est praeter eius essentiam seu naturam, et alia quaedam ei accidunt quae omnino pertinent ad suppositum non ad naturam. ☩ Dicunt in praesenti debet supponi ex metaphysica veritas huius minoris. verum breviter probatur. quia personalitas distinguitur a natura humana quam et personalitas Angeli distinguitur a natura Angelica. ans. constat ex mysterio Incarnationis. conseq.a autem probatur, supposit. quod ratione

quia ideo in homine distinguitur quia eius natura cum sit finita, et limitata indigens complemento realiter distincto ut existat, et insuper ut reddatur capax recipiendi suis existentiis, suis accidentia, cum nec existentia nec accidentia conveniant immediate naturae, sed supposito, hoc enim est quod existit, et quod operatur, sed atqui natura Angelica est finita, ergo indiget complemento realiter distincto ut existat et ut accidentia recipiat, et operetur. =

Secunda autem pars conclusionis probatur. quia in natura assumptibili triplex congruentia desideratur, videlicet, dignitatis, ~~[illegible]~~ et necessitatis et universalitatis, sed esto natura Angelica in dignitate naturae humanae excedat, ut pote perfectior in linea intellectuali, quam natura humana, tamen natura Angelica excedit a natura Angelica in congruentia universalitatis et necessitatis. ergo, cum ita congruentior est assumptibilis natura Angelica ac humana. probatur min. quia natura humana universalior est quam natura Angelica, ut patet ex D. Greg. Hom. 29 in Evangelia. ad illa verba Marc. c. 16. euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae. ubi ait. sed omnis creaturae nomine signatur homo habet namque commune esse cum lapidibus vivere cum arboribus, sentire cum animalibus intelligere cum Angelis. quo pacto homo dicitur Microcosmos, seu mundus parvus, unde assumpto homine ad esse personale Verbi, quasi totum universum assumitur. quod non ita universaliter convenit Angelis. qui solum cum homine in gradu intellectivo conveniunt et cum substantiis in isto gradu, et cum aliis in gradu essendi: quae minor convenientia est quae illa quae habet homo cum aliis rebus totius universi.

Deinde in congruentia necessitatis, excedit homo Angelos, qui etsi peccaverint, tamen, in modo quo iuxta providentiae suavem Dei remittuntur peccata, ~~[illegible]~~ videlicet, per hoc quod peccans avertatur a peccato, et convertatur in Deum, peccata Angelorum sunt irremissibilia cum adhaereant inflexibiliter immobiliter obiecto, quod non accidit in homine, qui propter flexibilitatem suae naturae potest dolere de suo peccato, ergo attenta congruentia necessitatis, assumptibilior est natura humana quam Angelica.

§. IV.
~~Statuitur~~ Statuitur Secunda conclusio

Sit secunda conclusio. Omnis natura substantialis completa corporea, et irrationalis de potentia absoluta potest assumi a divino supposito, seu hypostasi in unitatem suppositi, = est haec Thomistarum communis non solum inter Thomistas, sed inter alios. eam tenet Durandus. Capreolus. Paludanus. et omnes Thomistae. ut videre est apud ~~[illegible]~~ Joannem Godoi, et Illustrissimum Barrantem et ex PP. Societatis. Vazquez, Suarez, et alii = Ratio a priori est, quia in omni natura substantiali corporea completa, distinguitur suppositalitas, a natura ergo assumi potest in unitate suppositi.

Dices, quod esset indecens quod Hypostasis divina uniretur Leoni, vel Equo, vel alij alteri naturæ irrationali. Respondeo, esse indecens negative non positive, quo pacto, etiam Deus (videatur) indecens flagellari, conspui colaphis cædi, tamen fides docet hæc non esse indecentia, ut pote Verbum divinum illa voluit sustinere & pati. — Secundo probatur conclusio, quia cadaver fuit unitum in triduo mortis personalitati Verbi; etiam cadaver sit irrationale, ergo natura irrationalis absolute & de potentia absoluta non dicit indecentiam positivam, in eo quod assumptibilis sit a persona divina.

Replicabis, quod cadaver, illud dicebat ordinem ad compartem, videlicet ad animam rationalem, ratione cuius constitueretur intellectualis. — Sed contra & imprimis cadaver non dicit talem ordinem, cum potius dicat repugnantiam ad vitam, sed alterutrum ordo ad animam servari poterat in materia prima. — Deinde nec illa materia prima prout in cadavere, etiamsi specificative sumatur, dicebat ordinem ad animam, tum quia alias ordo ille esset naturalis, quod non est impossibile aliunde reunitio ad animam & resurrectio esset quid naturale, tum quia materia prima, specificative sumpta solum dicit ordinem ad formam substantialem, ut illam in actu constituat, atqui erat illa materia prima constituta in actu per formam cadavericam, ergo nullum ordinem dicebat ad animam Christi.

§. V

Solvitur quoddam argumentum.

Obijcies. Natura cuius nulla potentia est elevabilis ad visionem, & amorem Dei non assumptibilis a persona divina, sed nulla natura irrationalis est elevabilis, ergo neque assumptibilis. probatur maior, sicut se habet esse naturale ad posse naturale, ita esse supernaturale ad posse supernaturale, sed non stat aliquod esse naturale substantiale, quod dicat posse naturale, ergo neque esse supernaturale sine ordine ad posse supernaturale. Sed posse supernaturale est ad videndum & amandum Deum, ergo. Secundo, operari sequitur ad esse, ergo ad esse supernaturale sequitur posse supernaturale.

Respondeo negando maiorem. & instatur in cadavere in triduo, quod erat unitum Verbo, & tamen non erat elevabile ad operationes supernaturales. ad probationem, distinguo maiorem, si sermo sit de esse naturali radicali, concedo, si de esse naturali ut quod subdistinguo, si esse ut quod supponit esse ut quo, concedo, si non supponit illud nego. & eadem distinctione distinguo min. & conseq. & minorem subsumptam & nego consequentiam. itaque dico quod esse essentiale seu esse naturæ est quod dicit ordinem ad operationem, unde si

natura est supernalis vel supernaturalizata, seu capax elevationis, suppositum exit potens operari supernaturaliter, si vero, essentia seu natura, capax non est radicaliter huius elevationis, etsi suppositum sit divinum operari supernaturaliter non poterit, cum suppositum solum operetur ut quod, et indigeat natura ut principio quo operandi radicaliter. — ad secundum similiter distinguo seu explico propositionem, operari sequitur ad esse, ad esse naturae, concedo ad aliud nego. si enim natura operativa non est, nil interest quod suppositum naturae sit divina. exit enim terminus illius mortuo modo.

§. VI
Statuitur tertia conclusio.

Sit tertia Conclusio. Anima rationalis separata, et quaelibet forma substantialis si supponitur quod potest existere separata a materia, est assumptibilis a persona Divina, anima rationalis in unitate personae, seu quasi personae, aliae formae, in unitatem suppositi, seu quasi vel semi suppositi

haec conclusio est etiam communis quoad animam rationalem, et patet in triduo, in quo anima Christi descendit ad inferos, et ratio est manifesta cum anima rationalis distinguatur realiter a subsistentia.

Conclusio quoad aliam partem defenditur a pluribus thomistis. ut docet Goret in suppositis disp. 9. ar. 1. et probatur quia si supponitur posse existere separatum a materia, de quo in Metaphysica, cum suppositum incompleta eamque distinguitur ab eius realiter, ergo loco talis suppositalitatis propriae poterit substitui subsistentia divina.

§. VII.
aliae Conclusiones statuuntur.

Sit quarta Conclusio. Materia prima sola non potest assumi a persona divina. ita communiter thomistae contra Suarez et alios. et probatur ratione fundamentali, quia id quod implicat existere sine forma, requirit subsistere sine forma. sed materia non potest existere sine forma, ergo nec subsistere minor supponitur ex physica. et probatur maior. quia ideo non potest existere sine forma, quia excedit puram potentiam unde incapax recipiendi actum existendi quae est ultimus sine priore, sed similiter subsistentia etsi non sit actus ultimus est tamen actus ordinis et ad priores. ergo. Dices quod haec ratio solum probat

quod materia prima separata non possit assumi, a deo, quia implicat separatio at vero non probare materiam unitam formae non posse assumi a deo, etsi forma non assumatur. sed contra et nego assumptum, quia unam partem assumi alia inassumpta manente extremis implicat, alias haberet et duplicem subsistentiam et existentiam etiam duplicem, neque haberet subsistentiam totius cuius est pars et provincia eius existentia

& insuper habebit subsist. divinę, proveniens ex exist. divinę, quod repugnat alior
& adusqui causa adęquatę ineodem genere dependeat. qd repugnare supponimus
ex Metaphisica, — Rursus subsist.a divina si assumeret aliquam naturam
esset supplendo vices subsist. proprię, ut patet in Christo, s.o in isto casu
quod materia subsisteret per subsist. formę, subsist.a divina non suppleret
defectum proprię subsist. cum ut ~~dicebamus~~ supradictum constat subsisteret per subsis
tentiam totius, quę provenit ut quo a forma. ergo, nec unita formę, nec sepa
rata a forma, potest materia sola assumi a Deo. Argumenta quę faciunt
Authores societatis fundantur in eo quod materia prima de potentia absoluta
potest existere sine forma, verum ista sunt pure philosophica, unde illa omittimus
& procedimus iuxta nostra principia, negantes materię primę existentiam & posse
existere separatam ab omni forma substantiali.

Sit quinta Conclusio. partes substantiales integrales, non possunt assumi a subsist.a divina quando sunt unitę
in toto in composito, nisi compositum assumatur. — Ratio a priori fundatur
in doctrina communi Thomistarum asserente partes integrales existere & subsis
tere exist.a & subsist.a totius, unde cum subsist.a & exist.a divina uniantur supplendo
vices subsist. & exist. proprię, non poterit uniri parti quin uniatur ipsi toti
composito — Confirmatur, subsist.a div.a non potest assumere naturam creatam propria
creata subsist.a retenta, ut infra expresse dicemus, ergo, ut uniatur predicta
subsist.a divina necesse erit quod pars integralis amittat suam subsistentiam
atqui subsist.a partis integralis est subsist.a totius, siquidem pars existit & subsistit per
exist. & subsist. totius. ergo nequit subsist.a divina uniri parti integrali
quin uniatur toti composito. — Ex quo infertur subsist. divinę non posse uniri
animę rationali unitę materię, vel alteri formę substantiali unitę materię quin
uniatur etiam materię, proindeque toti composito.

§. VIII.
Circa assumptibilitatem accidentium.


Supponimus formas accidentales concretive sumptas esse unibiles mediate Deo, &
assumptibiles mediate a subsist.a divina, ut patet in Christo, in quo est intellec
tus, & voluntas, quę in vera Thomistarum sententia sunt proprietates acci
dentales realiter distinctę ab anima, & patet in aliis accidentibus v.g. calor
calor. frigus. quantitas. Relatio etc. difficultas ergo reducitur ad assumptibili
tatem immediatam. Sit conclusio forma accidentalis non est assumptibilis
immediate a subsist.a divina, bene vero ab exist.a quia assumere subsistentię
divinę aliquam naturam est vices gerere subsistentię proprię naturę assumptę,
~~~~
s.o forma accidentalis non subsistit esse, & per se, ideo non habet propriam
subsistentiam, quam supplere possit subsistentia divina. ergo forma accidentalis
~~~~

immediate nequit assumi a subsistentia divina. probatur minor, si forma accidentalis subsisteret per se, seu haberet propriam ~~existentiam~~ subsistentiam pertineret, vel ad genus accidentis, vel ad genus substantiæ, sed ad neutrum posset pertinere, ergo est quia non habet propriam subsistentiam, minor quo ad secundam partem patet, non enim subsistentia, vel existentia formæ accidentalis potest esse substantia, vel modus substantialis. quo ad primam partem autem probatur, quia subsistentia est in se existentia, seu forma constituens subiectum proprium independens, sed nullum accidens existit, vel existere potest in se, nec potest constitui independens a subiecto, ergo talis subsistentia non pertineret ad genus accidentis, et proinde nec ad genus substantiæ, vel accidentis, ergo est quia accidens propriam subsistentiam non habet.

Dices quod accidentia divinitus possunt habere propriam subsistentiam ut patet in accidentibus eucharisticis. quæ existunt independenter a subiecto, unde existere debent perse. ergo illa assumi possunt a subsistentia divina.

Sed contra, et nego quod accidentia Eucharistica habeant propriam subsistentiam, nec existunt perse, positive. sed negative, hoc est non existunt in subiecto, et ut assumerentur a subsistentia divina erat necessarium quod positive haberent subsistentiam, quam supplere posset divina subsistentia

Secunda autem pars conclusionis probatur, quia illud quod habet propriam existentiam loco illius habere potest immediate communicatam existentiam divinam, sed accidentia habent propriam accidentalem existentiam ergo existere possunt per existentiam divinam. maior patet et insuper paritate probatur, quia illud quod habet propriam subsistentiam loco illius habere potest unitam immediate subsistentiam divinam, ergo illud quod habet propriam existentiam loco illius habere potest immediate unitam, et communicatam existentiam divinam.



Articulus. II

Vtrum Natura creata terminata per propriam Personalitatem, & illa retenta possit assumi ad Subsistentiam divinam?

§. I.

Praenotantur certa

Supponendum est primo humanitatem Xpti Dni de facto non fuisse assumptam retenta propria personalitate creata, quod constat de fide, alias essent in Xpto duę personę, unde in assumptione humanitatis ad divinam Personalitatem impedita fuit dimanatio personalitatis proprię. Quod Solemn docet Innocentius III. in quadam decretali, quando dicit: quod Persona Dei assumpsit personam hominis, ut explicat Angelicus Doctor.

Supponendum est secundo potuisse de potentia absoluta Verbum divinum, expoliare humanitatem habentem propriam subsistentiam, & personalitatem, ab eadem personalitate creata, & deinde illam assumere ad Personalitatem divinam, cum in hoc nulla appareat repugnantia. Cęterum de facto non fuit sic cum nullum fuisset instans in quo humanitas Xpti non fuisset terminata a Personalitate Verbi, ut docet D. Thomas in hac. q. 4. ar. 2. & alibi. & ut docet Leo I. Epist. 11 ad Iulianum, & tenent communiter Catholici ex communi consensu Ecclesię.

Supponendum est tertio Personalitatem creatam non posse de potentia absoluta assumi a Personalitate divina, quod patet ex eo quod vel personalitas creata consistit in aliquo predicato negativo, ut tenet Subtilis Doctor, vel consistit in positivo, ut docet vera Thomistarum sententia. Si consistit in negativo, assumi non potest, cum negatio nihil sit. Si in positivo, vel illud est entitas, vel modus, & sive sit entitas, sive modus consistit essentialiter in eo quod est esse terminum naturę, & illam reddere incommunicabilem, sed terminus ultimus ab alio terminari nequit, alias esset & non esset ultimus terminus. ergo. Vlterius quia Personalitas in abstracto assumi nequit nisi debeat assumi persona sed Persona assumi nequit, cum sit rationalis naturę incommunicabilis subst.a ergo. sive Personalitas in abstracto, sive persona in concreto, dicunt repugnantiam ut assumantur.

Denique Supponendum est quod Natura ut assumatur a Persona divina propria personalitate retenta vel potest considerari reduplicative, ut personata, ita ut sensus sit quod persona sit quę assumitur, vel quę est ratio sub qua natura assumitur, vel potest considerari specificative ita ut sensus sit, quod natura identice, & entitative personata a sua creata personalitate terminetur etiam, & personetur a Persona divina, sicut natura divina quę entitative est propria Patris ęterni etiam personatur a Persona filij & Spiritus Sancti, vel humanitas Xpti modo personata a Verbo, terminari potest & personari a Persona Patris, vel Spiritus Sancti, vel utriusque. Sensus ergo dubij presentis procedit considerata natura specificative personata a sua creata personalitate an prout sic retenta sua propria personalitate assumi possit a Persona divina?

§. II.

Referuntur sententiae, et statuitur conclusio.

Prima sententia est affirmativa, eam tenent ex antiquis Baronus in 3. dist. 5. ar. 2. et ex modernis P. Puente Hurtado in Methaphisicos disp. 11. sect. 7. et in praesenti. disp. 44. n. 1. Martinus Perez disp. 9. sect. 9. n. 6. Bernal disp. 24. sect. 2. et istam sententiam esse probabilem docet Suarez disp. 14. sect. 1.

Ratio apriori huius affirmativae sententiae est quia naturam, propria personalitate retenta, assumi a Persona divina, non implicat. ergo de potentia absoluta fieri potest. Ulterius Natura divina terminata Personalitate Patris communicatur Filio, et Spiritui Sancto. ergo non implicat quod natura quae alias, et identice, habet unam personalitatem, alteri communicetur.

Ceterum his rationibus non obstantibus communis sententia est negativa, illam docet Scotus in 3. dist. 1. q. 2. Durandus in 3. dist. 1. q. 3. D. Th. in 3. dist. 1. q. 1. ar. 3. et Doctorem Angelicum sequuntur omnes thomistae, antiqui, et moderni, ut Capreolus, et Caietanus et alii quamplures, quos refert, et sequitur Ill. D. Godoi in praesenti disp. 19. §. 2. et M. Gonet disp. 9. ar. 4. hanc eamdem sententiam tenent ex PP. Societatis P. Suarez, 3. p. disp. 14. sect. 1. P. Vazquez. disp. 32. cap. 2. Granados. Becanus. Hurtado, et alii et est inter eos communis.

Sit ergo nostra conclusio.

Natura creata, retinendo suam propriam personalitatem non potest, etiam de potentia absoluta uniri cum Persona divina, nec ab illa assumi, et per illius increatam subsistentiam subsistere.

§. III.

Ratio a priori, qua utuntur AA. Societatis, reiicitur.

Licet in conclusione conveniant Authores Societatis cum thomistis, tamen rationem qua utuntur thomistae, desumptam ex Caietano et ex aliis, reiiciunt. unde illam probant Suarez, et Vazquez et alii ex eo quia subsistere in se, et subsistere in alio sunt modi essendi essentialiter repugnantes

primus habet natura terminata per propriam subsistentiam. ergo illi repugnat habere secundus, quod utique habebit si per alienam subsistentiam etiam terminaretur.

Secundo facile dicitur quod subsistere in se duo dicit, primum aliquid positivum, scilicet terminare naturam per propriam subsistentiam. Secundum est quid negativum, scilicet non esse in alio supposito, ex quibus effectibus solum primus est essentialis, secundus non sic sed solum est effectus secundarius separabilis a subsistentia, unde iste effectus secundarius potest de potentia absoluta non praestare naturam. ac proinde esto natura creata sit per se et in se, per propriam subsistentiam id. repugnabilit quod effectus secundarius non praestet. ac proinde potuerit alteri personalitati communicari.

Respondetur negando quod hoc quod est non esse in alio sit quid negativum, realiter, sed tantum quoad explicari, unde inseparabile est a subsistentia, ut communicata naturae ut patet in negatione divisionis quae importat unitas, quae negatio non est quid negativum, sed tantum quoad explicari, et in negatione alterius formae, quam importat quaelibet forma substantialis. Deinde esto iste effectus sit secundarius non proinde [illegible] potest impediri, ut patet in eadem negatione alterius formae substantialis importata in forma quacumque substantiali; esto enim exclusio alterius formae substantialem sit effectus secundarius, tamen non potest non praestari a quacumque forma substantiali communicata materiae.

Secundo Ista, quia effectus secundarius qui nequit non praestari a forma, eo quod est inseparabilis a forma, est ille qui realiter est secundarius, quod primarius intelligi nequit sine illo, [illegible] et hoc modo est exclusio alterius formae substantialis, et exclusio odii importata in amore, et exclusio peccati importata in gratia. alterum secundo quod effectus primarius intelligi potest perfecto secundario non sequente potest impediri secundarius. ut patet in extensione in ordine ad se quam praestat quantitas substantiae, quae stare potest sine extensione partium in ordine ad locum.

Replicabis, quod etiam non esse in alio est inseparabile ab eo quod est esse per se, et in se, ut ipsis terminis constat.

Secundo nego quod ipsis terminis id constet, cum explicatis terminis a pluribus negetur. ergo alia solidiori ratione debet probari conclusio.

Potius natura terminata per propriam subsistentiam solum [illegible] ut quo subsistit, non ut quod, sed quod ut quod tantum subsistit potest in alieno supposito etiam ut quo subsistere, ergo ex eo quod naturaliter stat in se per propriam subsistentiam non aufertur quod possit in aliena persona subsistere. maior est nota quia subsistens ut quod incommunicabiliter

est persona, s.d natura non est persona, quo pacto ista propositio est falsa humanitas est persona, ergo est quia natura in supposito solus subsistit ut quo

Item quia natura divina subsistit in personis divinis ut quo ergo et natura creata in sua propria persona, ans patet, quia in Patre v.g. quod subsistit ut quod generat, et in Filio quod subsistit ut quod generatur, s.d natura divina non generat, ut quod nec generatur, ergo est quia et concessae naturae solus est subsistere ut quo in persona, [illegible] probatur minor. quia natura subsistens ut quo in una persona, in alia etiam potest subsistere, ut patet in humanitate Christi subsistente in persona verbi, quae etiam potest subsistere in persona Patris vel Spiritus Sancti, si ut possibile est illi Pater, aut Spiritus Sanctus uniretur. ergo est quia subsistere ita conveniens naturae non excludit subsistere in alio, ergo aliter assigna est ratio conclusionis.

§. IV.

Probatur nostra conclusio ratione Caietani. in hac 3. p. q. 3. ar. [illegible] Natura creata cum propria personalitate adequatur intensive, et extensive, s.d quod sic adequatur cum aliquo termino, non potest sub alio esse, ergo natura creata retenta propria personalitate non potest assumi a persona divina maiorem probat Caietanus ex differentia quae adest inter personam propriam alicuius naturae, et personam alienae relate ad naturam extraneam, quod natura relate ad propriae personalitatis, constituit propriae personae, relate vero ad personalitatem alienam, propriae personae non constituit, s.d potius trahitur natura ad esse personalitatis alienae sibi unitae, ut docet D. Th. 3. p. q. 2. ar. 1. et q. 3. ar. 1. ad 1. ergo natura creata intensive, et extensive adequatur cum sua propria personalitate.

Replicabis et dices quod natura non constituit personam formaliter, sed quasi subiective, quatenus videlicet radicat personalitatem quae formaliter personam constituit, s.d sic constituere personam non potest facere quod natura adequetur cum sua propria personalitate adequate intensive, et extensive, ergo poterit natura, propria personalitate retenta, uniri personae divinae maior est nota, et probatur min. quia ex eo quod natura constituat personam radicando propriae personalitatem, solus arguit quod capacitas naturalis radicationis naturae adequetur, non vero, tollit quod natura secundum capacitatem obedientialem non possit a divina personalitate terminari. ergo.

Respondeo negando minorem nam si natura radicat modo dicto suae propriae personalitatem, non potest natura retenta propria personalitate assumi, quin assumatur ipsa personalitas creata, et consequenter quin assumatur persona, s.d persona assumi requirit ut ex ratione [illegible]

unitat, ergo est quia natura adequatur intensive, et extensive a sua propria personalitate

Replicabis et difficulter quod dicendo quod etsi natura radicat suas personalitates, et aliunde ista personalitas retineatur, poterit tamen natura assumi a personalitate divina, non assumpta personalitate, et per consequens nec persona. assumptum probas. ex eo quod, natura divina constituit personam Patris radicando Paternitatem, et tamen, potest natura divina aliis personis divinis communicari non communicata radicative paternitatis, nec ipsa Paternitate. ergo poterit natura creata assumi, quin assumatur ut radicante propriis personalitatem

Secundo quia licet Persona Verbi sit intrinsece unita humanitati, tamen potest communicari et uniri humanitas Personis Patris et Spiritus Sancti, quin uniatur persona Verbi. ergo idem.

Respondeo concessis maiori, et minori negando consequentias. et ratio disparitatis consistit in eo quod ideo natura divina communicatur filio a Patre, non communicata paternitate, quia Paternitas et filiatio relative opponuntur, unde et communicatur natura, et non communicatur reduplicative ut radicante paternitatem, ratione eius oppositionis initiativae, at vero, Personalitas creata, non opponitur relative filio, vel alicui personae divinae, unde si uniretur natura creata personalitati divinae retenta personalitate propria creata, etiam uniretur personalitas creata, cum nil esset obstans tali unioni, unde et uniretur persona creata.

Et per hoc patet ad secundum humanitas enim unita Personalitati Verbi, si uniretur Personalitati Patris non exinde sequi debet quod uniatur Personalitati Patris Personalitas filii ratione incompatibilitatis, et relativae oppositionis. quod impedimentum non habet personalitas propria creata naturae humanae si adesset. =

Immo inde arguo si personalitas Patris non opponeretur relative filio, non posset communicari filio natura divina non communicata paternitate, ergo est quia natura creata, non potest uniri retinendo personalitatem propriam, alicui personae divinae, quin uniatur personalitas propria, et per consequens persona, ergo de primo ad ultimum sequitur quod natura creata retenta propria personalitate creata non potest uniri personae divinae.

Ex dictis patet solutio ad motivum pro sententia contraria, quod supra referendo sententias explicuimus. adest enim manifesta implicatio. et etiam assignata disparitas desumpta ex natura divina triplici subsistentia relativa terminata. et ex natura humana si terminata personae personae divinam assumeretur ab alia.

§. V

Alia conclusionis ratio.

quia subsistentiae divinae terminare naturam creatam, illamque personare est supplere effectus personalitatis propriae, illius que effectus supplere, sed retinendo natura creata propriae personalitatis, non adest locus ad supplendum effectus illius

nec loco propriæ potest subrogari, ergo implicat quod natura creata assumatur a personalitate divina retenta propria personalitate creata. Syllogismus est notus unde neutra præmissa indiget probatione.

Denique potest roborari nostra conclusio autoritate Conciliorum & Patrum inferentium in Christo esse tantum unam personam, eo quia Humanitas fuit assumpta ad subsistentiam divinam. Si natura humana propria personalitate retenta posset assumi a persona divina causalis illa vera non esset, cum posset esse verum antecedens, & falsum consequens, ergo ex mente Conciliorum & Patrum implicat, quod aliqua natura creata, retenta propria personalitate assumatur a persona divina. Maior constat ex 5 Synodo Generali collat. 8. can. 5 per hæc verba: Siquis non confitetur Dei Verbum Carni secundum subsistentiam unitum, & per hoc unam eius subsistentiam, seu unam personam anatema sit. minor autem ex dialectica constat, ubi docetur quod si causalis sit vera, debet esse bona consequentia, & bona consequentia stare non potest, potest stare veritas antecedentis sine veritate consequentis, unde ista illatio debet esse optima. Humanitas fuit assumpta ad subsistentiam divinam Filij; ergo in Christo non est duplex subsistentia, vel persona.

Nec valet dicere, quod rationes quibus utuntur Patres ad diffiniendas res fidei, non sunt de fide, non inquam valet hoc, quia assumimus ex hoc convincitur quod nostra conclusio non sit de fide, non tamen negari potest tales rationes esse ingentis & maximæ autoritatis.

§. VI.

Solvuntur argumenta.

Præcipua argumenta contra nostram conclusionem militantia, inter proponendas rationes pro nostra conclusione sunt soluta, verum alia quæ aliquem præseferunt difficultatem proponere placet. Obijcies ergo primo, natura creata propria personalitate retenta potest assumi ab existentia divina, ergo & a subsistentia. ans est certum, quia cum subsistentia conveniat naturæ priori ad existentiam, quandoquidem subsistentia constituit essentiam seu naturam capacem existentiæ, non repugnat, quod existentia creata, vel impedita, & loco illius uniatur existentia divina, vel destruatur, & subrogetur existentia divina. consequentia autem tenet a paritate, & insuper ratione probatur, quia subsistentia constituit susceptivum existentiæ, sed subsistentia creata non potest constituere susceptivum existentiæ divinæ. ergo debet præsupponi ad existentiam divinam subsistentia divina.

Respondent aliqui negando ans, ob rationem qua consequentia probatur. verum mihi non placet ista solutio, ob probationem antecedentis factam. unde Respondeo concesso antecedenti; nego consequentiam & paritatem ad cuius probationem respondeo distinguendo maiorem. subsistentia constituit susceptivum essentiæ, susceptivum connaturale concedo maiorem, susceptivum essentiale nego maiorem. & distinguo minorem, subsistentia creata non potest constituere susceptivum existentiæ divinæ, susceptivum connaturale concedo min. susceptivum essentiale nego min, & consequentiam vel concessa maiori distinguo min. modo dicto. & nego consequentiam.

Obiicies 2º personalitas creata, et personalitas div.ª non opponuntur virtualiter contradictorie in ordine ad naturam creatam, ergo in eadem natura possunt coexistere, probatur ans. oppositio virtualis contradictoria, debet esse relate ad idem subiectum secundum idem, sed personalitas creata, et divina non comparantur ad naturam creatam secundum idem, ergo non opponuntur virtualiter contradictorie. probatur min. quia personalitas creata comparatur ad suam naturam secundum potentiam naturalem, naturalemque capacitatem, personalitas autem divina comparatur ad naturam creatam secundum capacitatem obedientialem, sed capacitas naturalis, et obedientialis non est eadem formalitas. cum distinguantur saltem per rationem quae rationis distinctio sufficit ad auferendam oppositionem contradictoriam, ut patet in essentia divina, et paternitate, de quarum una, verificatur, communicari, et de alia non communicari, absque opposit.ne inter communicari et non communicari.

Respondeo quod si hoc argumentum probaret aliquid convinceret etiam, quod gratia et peccatum possunt esse simul in eodem subiecto, imo unio hypostatica, et peccatum, quod esse falsum constat, videtur quod argumentum nihil probat, quia quod nimis probat nihil probat sequella patet quia gratia est in anima secundum capacitatem obedientialem, peccatum secundum capacitatem naturalem, et idem dico de unione hypostatica, et peccato.

Respondeo ergo neg.do primum ans., ad cuius probationem distinguo et explico maiorem, oppositio virtualis contradictoria debet esse relate ad idem subiectum secundum idem, si sermo sit de subiecto quod, de quo ut de subiecto quod, praedicatio verificatur concedo maiorem, si sit sermo de eodem subiecto quo, nego maiorem, et distinguo minorem, sed personalitas creata, et divina non comparantur ad naturam creatam secundum idem, secundum idem quod, nego min. secundum idem quo conce do minorem, et nego consequentiam. — communicari enim, et non communicari in divinis respiciunt praedicata de quibus verificantur, ut subiectum quod praedicatur nam haec est vera essentia communicatur, et haec est vera paternitas non communicatur, et in utraque tam essentia quam paternitas, sunt subiectum quod, de quo sumpto ut quod verificantur propositiones, unde paternitas et essentia quaelibet ut quod sumpta, distinguitur virtualiter ab alia, natura autem creata comparata ad personalitatem tam creatam, quam divinam, est idem subiectum quod unde admittit oppositionem contradictoriam virtualem, inter utramque personalitatem.

Articulus III.

Utrum hæc propositio: Deus assumpsit hominem, sit vera in rigore, & proprietate sermonis?

§. I.

Apperitur sensus quæstionis, & referuntur sententiæ.

Hanc propositionem Verbum assumsit homem, esse aliquomodo veram & absolute affirmari posse extra controversiam est, cum passim habetur apud patres & Concilia, & quotidie canitur ab Ecclesia. in Himno Te Deum laudamus ubi dicitur. Tu ad liberandum suscepturus hominem. & idem canit Feria 2. in pass. & Feria 3. in 1. Lect. Feria 6 in Parasceves. Lect. 9. & alibi & in Concilio Toletano 1. habetur in confessione fidei: Credimus Filium Dei ex utero Virginis assumsisse hominem. & in concilio Toletano 6. ~~in confessione fidei~~, & 11. in conf. fidei. & in Concilio Francofordiensi in epistola ad Episcopos Hispaniæ confirmata ab Alexandro Papa. & in Concilio Romano habito sub Fœlice Papa in formula fidei, & in Lateranensi conc. sub Martino 1. habito, & verba Atanasij, quæ a Concilio Laudantur. videlicet. Divinitas ergo Filij Dei quæ genit, & accipit animam hominis, quæ indutus est: perfectum enim hominem assumpsit. & in Concilio Alexandrino Epistola ad Nestorium. & in Concilijs Ephesino, & Calcedonensi, & alibi. Difficultas quæ est an prædicta propositio sit vera in rigoroso & stricto sensu, & in proprietate sermonis.

Circa quod duæ versantur sententiæ, prima affirmativa, hanc docuit Ludovicus Vives, qui passim perurgendus a Doctoribus Scholasticis, ~~eo~~ eo quia Theologus cum non fuerit, sed adversarium Grammaticus, & doctus in humanis litteris, falcem in messem alienam misit, & iudicium in re Theologica & gravi temere protulit irridendo scholasticos Doctores ut ignoros grammaticæ, & significationis huius nominis homo, eamque sententiæ tenuit quidem Ioannes Martinez, alias Ioannes Gonzalez de Castilla, primarius Complutensis. in lib. de generat. & corrup. ubi docet Verbum Dei, neque humanitatem sed aliquem hominem assumsisse, & hoc proprie, & in rigore sermonis. refereus pro illa sua sent.ª Magistrum Sententiarum. & quod magis est D. Tho. eo quia Magister illam propositionem habet, at non dicit Magister esse veram in rigore Sermonis. ~~Unde~~ Unde male refert pro ea sententia & D. Tho. cuius eius oppositum docebit, ut mox videbitur. Sententia Ludovici vivens abrasa est a ~~S~~ tribunali Supremo Sanctæ inquisitionis. anno Dni. 1589. & sententia dicti Ioannis damnata fuit ab Universitatibus Salmanticensi, Complutensi, & Valisoletana. Secunda sententia est negativa, ~~quam~~ docet eam D. Tho. in 3 dist. 6. q. 1. ar. 2. & 3 p. q. 4. ar. 3. & alibi est que hæc sententia communis unde in longum esset recensere autores.

§. II.

Statuitur conclusio negativa.

Sit nostra conclusio. Licet prædicta propositio vera sit aliquomodo, accipiendo semper concretum pro abstracto, per figuram Sinecdochem, tamen. in rigore & proprietate sermonis est falsa.

Probatur primo, quia Communis theologorum sententia docet praeditam propositionem veram non esse in rigore sermonis, sed in re gravi discedere a communi theologorum sententia fas non est, ergo praedicta propositio nequit defendi ut vera in rigore sermonis. Nec valet dicere, quod praedicta propositio continetur in concilijs, et Patribus, et Ecclesia utitur illa, ergo est quia est vera in rigore sermonis. — Non inquam id valet, quia aliud est aliquam propositionem contineri in concilijs et illa uti Ecclesia, aliud est est esse veram in rigore sermonis, ad primum sufficit quod aliquo modo sit vera, saltem per metaphoram, vel aliquam figuram, ad secundum standum iudicio communi theologorum, quo pacto, etiam in Sacra pagina Christus dicitur agnus ovis, leo, lapis angularis, vitis, et caetera huiusmodi, et tamen, in rigore sermonis non potest dici cum proprietate, ut docet Augustinus tract. 80. in Joannem.

Retorqueo quod contradictoria propositio habetur etiam in concilijs, nam in concilio Ephesino approbantur verba quaedam Cirilli, in defensione anathematismi 8. videlicet ita: Non hominem assumptum esse dicimus a Deo Verbo. — et in defensione anathematismi 11 dicitur: Hominem vero assumptum esse a Verbo non videtur Sanctis Patribus, Sed ipsum potius Verbum Dei Patris asserunt factum esse hominem. — et in Concilio Calcedonensi absolute dicitur, Hominem non assumpsit sed Homo factus est. — Nunc sic sed ista propositio contradictoria est vera in rigore sermonis, cum sit negativa, et negativa neget perfectum sensum, ergo est quia praedicta propositio affirmativa non est vera, in rigore, et proprietate sermonis.

Ratione theologica probatur conclusio.

Quia si in rigore sermonis esset verum dicere: Verbum assumpsit hominem: in Christo essent duae personae, sed hoc est falsum et contra fidem, ergo praedicta propositio non est vera in rigore sermonis. Sequella probatur, quia si esset vera in rigore sermonis, Verbum Dei, assumpsisset non solum humanitatem, sed etiam humanum suppositum, et personam, ergo essent in Christo duae personae, videlicet persona divina assumens, et persona humana assumpta. antecedens probatur, quia ille terminus homo cum sit concretum de formali significat naturam, et de materiali, indivisim, et indistincte significat suppositum habens naturam. ergo si esset vera in rigore sermonis, Verbum Dei non solum assumpsisset humanitatem, sed etiam humanum suppositum ans. postergo quod docetur in Sumulis. habetur in D. Th. in hac q. 4. ar. 3. et in 1 dist. 4. q. 1. ar. 2. in corpore. et alibi.

Secundo probatur idem ans. ex Damasceno relato a D. Th. in ar. 3 huius quaestionis in corp. q in principio, & cap. 11 circa finem, ubi docet, quod sicut hoc nomen Deus significat habens divinam naturam, ita nomen homo significat habens naturam humanam, s. terminus concretus significat a formali formam seu naturam, & a materiali (sed indivisim) subiectum seu suppositum. etenim, ut docet in similibus terminis concretis, aliud est concretus substantialis, ut homo, leo, lapis. & aliud alius est concretus accidentalis, ut album dulce calidum, & frigidum. & omnes significant a formali [illegible], formam, quae in accidentibus est accidens, & in substantiali concreto est natura substantialis, omnes significant etiam a materiali, & materiale susceptivum in accidentali concreto est natura supposita & existens. in substantiali concreto, significatum materiale, est suppositum sustentans naturam, quod suppositum in substantiis intellectualibus est persona.

Tertio. quia homo dicitur ad convertentiam, habens humanitatem, unde idem est homo, ac habens humanitatem, & habens humanitatem, est idem ac homo, s. habens humanitatem est suppositum, seu persona, ergo homo includit suppositum seu personam.

Quarto, quia homo, non est idem ac humanitas, s. dicit aliquid praeter humanitatem, s. humanitas est natura, ergo homo addit ad naturam, s. nihil aliud potest addere nisi personalitatem, ergo homo dicit personalitatem.

Quinto quia si hoc homo significaret solam naturam, ut contendit sententia contraria ut sit vera in rigore sermonis ista propositio: Verbum assumpsit hominem: homo & humanitas essent idem, quandoquidem ista propositio est catholica, & vera in rigore sermonis. Verbum assumpsit humanitatem. tunc sic. sunt idem homo, & humanitas. ergo verum est dicere, homo est humanitas. tunc sic ulterius, homo est humanitas est propositio facta in materia naturali, unde valet homo est humanitas, ergo omnis homo est humanitas. quae consequentia etsi sit mala ratione formae, tenet ratione materiae naturalis, ut bene valet homo est animal, ergo omnis homo est animal, & tum quia indefinita in materia naturali, & remota, aequivalet universali, tunc sic ulterius, ergo erit optimus, & in dari iste sillogismus, omnis homo est humanitas, Petrus est homo, ergo Petrus est humanitas. quae consequentia est optima, & in dari, quae proinde fundatur in illo primo principio, seu regula universali dici de omni, & in illa eius quidquam de quoquam praedicatur, quae praedicatur de praedicato praedicatur de subiecto.

hunc sic ultra sed consequens est falsum, quia abstractus non prædicatur de concreto, ergo et illud ex quo sequitur, sed minor est vera, nempe ista Petrus est homo, ergo maior debet esse falsa, videlicet ista omnis homo est humanitas, ergo homo est humanitas est falsa, ergo est quia homo aliquid aliud dicit præter humanitatem, sed illud aliud est persona. ergo si verum est dicere Verbum Dei assumpsit hominem esset verum quod assumpsit personam humanam, unde et in Christo essent duæ personæ, quod est hæreticum. ergo prædicta propositio non est vera in rigore sermonis.

§. III.

Soluuntur argumenta.

Obiicies primo quod D. Anselmus lib. de Incarnat. Verbi cap. 5. docet quod terminus homo solam naturam significat, hæc sunt eius verba: Cum ergo Verbum caro factum est naturam assumpsit, quæ sola nomine hominis significatur. sed homo solam naturam significat non est cur vera non sit in rigore sermonis prædicta propositio. ergo vera est in rigore sermonis.

Respondeo quod etiam Aristoteles dicit, quod album solam qualitatem significat, et tamen omnes fatentur quod albus etsi significet qualitatem nempe albedinem supponit pro subiecto habente albedinem, quo pacto nequit dici albedo est album, seu qualitas est album, sed homo, vel aliud subiectum, est album vel albus. ergo similiter etsi dicatur quod hic homo solam naturam significat, tamen, debemus dicere, quod non pro natura, sed pro supposito seu persona habente naturam supponit. unde sicut explicatur Aristoteles. et dicitur, quod album solam qualitatem significat de formali, at vero de materiali, et indivisim, significat subiectum, idem dicimus explicando Anselmum locutum fuisse de significato formali hominis. per quod non excluditur quod de materiali simul significet suppositum.

Obiicies 2o. cum præcitato. Ioanne Martinez Complutensi. terminus homo, ante Incarnationem non significabat suppositum humanum sed solam humanam naturam, sed impositio nominis ad significandum non est variata per Incarnationem Verbi, ergo et post Incarnationem Verbi solam naturam significat. maior probatur ex eo quod ante Incarnationem non erat cognitum humanum suppositum, sed quod non erat cognitum non debebat significari per nomen. ergo.

Respondeo negando maiorem. Nam Aristoteles fuit ante Incarnationem, et dixit quod actiones sunt suppositorum, et subsistentium, ergo fuit cognitum suppositum ante Incarnationem. Præterea quia quod ab Adamo, usque ad adventum Christi fuit vera fides de Incarnationis mysterio exercendo a divino Verbo, ergo fuit revelatum ut modo est facta sed facta est in natura, et non in supposito, ergo cognita fuit natura, ut distincta a supposito.

ergo natura ut in supposito debebat explicari per nomen, non per aliud nisi per hoc homo, ergo homo et suum significatum fuit cognitum.

Dicta sufficiant pro isto tractatu de Incarnatione Divini Verbi secundum se, et secundum eius essentiam, quidditatem, et mysterium, in cuius expositione doctrinam Angelicam Praeceptoris, et Doctoris Angelici D. Th. Aquinatis sequi conati sumus, et cuius vestigiis in quantum credo non discedere [illegible] animo concupivimus, verum, si quod absit aliquid contra mentem Doctoris Angelici dictum reperiatur, pro non dicto habeatur, et illud ex corde retracto. Sicut et quidquid alieni a veritatis Catholicae dictum fuerit, quod ignoranter esse dictum protestor, cum semper vivere, et mori in Fidei veritate ex corde desiderem. Unde omnia Correctioni Sanctae Romanae Ecclesiae submitto.

Et omnia in laudem et gloriam Verbi incarnati cedant, et in laudem Beatissimae semperque Virginis Mariae, Deigenitricis, absque labe originalis peccati conceptae, in cuius sacratissimis visceribus operatum fuit mirabile hoc Incarnationis mysterium. Et cedant etiam omnia in laudem Angelici Doctoris D. Thomae Aquinatis, et omnium caelicolarum in cuius numero [illegible] esse per huius mysterii meritum firmiter credo, et spero. Sic Deus faxit. faxit et immaculata Virgo.

TRACTATUS SECUNDUS.

DE GRATIA CHRISTI.

Ad. q. 7. & 8. D. Th.

Procemium.

Quem, ut Aquilam, venerabimur? Quem, ut Solem conspiciemus? quando Incarnationis mysteriosum arcanum, tum quoad eius essentiam, tum quoad eius proprietates sollicitimus contemplandum? Si Ecclesiam sentimus Discipulum prae caeteris amatum dilectum, Aquilam inter Evangelistas audiemus praedicari. Et deinde inter Doctores, Thomas Aquinas veneratur ut Sol, ergo lux ad videndum, contemplandumque Incarnationis mysterium ab Angelico Doctore est emendicanda oculos vero, seu mentem, ad tantum percipiendum mysterium Amantissimi Evangelistae debemus imitari. Pennas ergo suas volatumque velocissimum elevavit Aquila mysteriosa Joannes usque ad Divinitatis profundissimum pelagum, et ibi Verbum Patris, ut Unigenitum eius contemplavit, et deinde discipulus dilectus, expertus proximo amore, Aeterni Luminis lumine, amoris arcana delineavit, et dixit de illo Verbo Aeterni Patris Filio: Verbum Caro factum est. Ecce Incarnationis essentiam: Et rursus eodem aeterno lumine Aquila ista mysteriosa illustrata, dixit: Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae, et Veritatis. Ecce Incarnationis proprietates, plenitudinem videlicet gratiae, et veritatis, seu scientiae.

Merito ergo Angelicus Doctor primo egit de Incarnationis mysterio secundum se, ubi et explicuit eius naturam, et quidditatem, et similiter extrema mysterium hoc constituentia, ut sunt persona assumens, et natura assumpta. quod et nos conati sumus imitari. Post cuius discussionem, quam optime quaestiones de Gratia Christi exposuit Angelicus Magister, quippe inter comitantia Incarnationis essentiam, primatum obtinet gratia, ut donum afficiens animam, Nam scientia, et virtutes, ad Intellectum, et Voluntatem expectant. Quod et mirifice notavit illa mysteriosa Aquila, ordine affirmando Verbum caro factum, primo plenum gratiae, deinde Veritatis, seu Scientiae. Imitatus ergo fuit miro modo Angelicus Doctor Evangelistam, et simul non sprevit methodum scientificam, cuius praecepta dedit Aristoteles, quippe methodus scientifica exposcit, ut primum, an sit? et quid sit rei? agnoscatur, et deinde proprietates concomitantes essentiam disquirantur, et inter concomitantia essentiam proprietas intimior primo discutiatur.

Rursus Evangelista et explanavit, et dissecavit, dum aliam substantialem, accidentalem aliam esse non obscure indicavit. quando enim dixit:

Vidimus gloriam eius gloriam, quasi Unigeniti a Patre, cum illa particula quasi diminutiva non sit, sed affirmativa, ut notant Expositores in praesenti, Gratiam Substantialem indicavit. Accidentalem vero dum dixit: plenum gratiae: quemque gratiam accidentalem, in Personalem, & Capitalem distinxit idem Evangelista, Aquilinis oculis et prospectus, etenim dum ipse dicitur, & est plenus gratia Christus, Gratia personalis Christi denotatur, dum autem postea subiunxit: & de plenitudine eius omnes accepimus gratiam Capitalem Christi & cognovit, & explicavit. Unde merito Angelicus Magister immediate post quaestiones de hoc mysterio secundum se sumpto ad tractatum de Gratia Christi transitum facit. ubi & attributibus annexis disquisivit, ut passionibus cum gratia connexis.

Quam methodum, & nos insequemur. Non relinquamus ergo lumen ab isto Sole Doctore Angelico communicatum, ut sic oculos illius mysterii Aquilae imitantes prospicere possimus arcanum de Gratia Xpi. Mentes ergo nostras in Xpto figentes, ipse de sua gratia nobis communicare dignabitur ut ipsum feliciter contemplemur.

Praesentem ergo tractatum in tres dissecabimus disputationes in quarum prima de Gratia Substantiali Christi instituetur sermo in secunda de gratia xpti habituali accidentali utique, & personali, In tertia denique & ultima de Gratia Xpi Capitali. Utinam feliciter.

DISPUTATIO OCTAVA DE GRATIA CHRISTI SUBSTANTIALI.

Articulus. I.
Per quid sanctificetur substantialiter formaliter Humanitas Christi Domini?

§ I
Praenotantur nonnulla, & referuntur sententiae.

Fuisse humanitatem xpi Dni sanctam & gratam formaliter per aliquod donum substantiale, distinctum a gratia habituali, quae iustis etiam est communis concors & quasi communis Theologorum sententia docet, licet, ut testatur Plada 3 p. controv. q. ar 3. conclus. q. id neget Subtilis Schola, quam negativam sententiam docuit etiam Durandus in 3. dist. 13. q. 2. & Paludanus ibidem. Nihilominus tamen caeteri Theologi tam Thomistae, quam extranei tenent suppositionem nostram, ut omnino certam imo Vincentius asserit contrariam sententiam nec cum probabilitate nec cum securitate posse defendi. & insuper addit P. Vazquez esse expresse adversam doctrinis conciliorum, & Patrum Verum nos ab hac censura abstinentes suppositionem nostram ratione suadere conabimur.

Suadetur ergo hac ratione quia apud SS. PP. idem est esse unctum, et esse Sanctum quo pacto etiam

iusti, Uncti dicuntur; sed Xpus ut homo dicitur, & est substantialiter formaliter Unctus a Divinitate ergo etiam dici debet Sanctus Substantialiter formaliter. maior est communis modus loquendi SS. Patrum, & Min. est expressa in D. Dionysio Alex.no in Epist. contra Paulum Samosetanum. Et in Basilio ad illud Psalmi 44. Propterea unxit te Deus &c. Et in Athanasio contra Arrianos. & in Cyrillo lib. 1 in Joann. & in Damasceno lib. 3 de Fide. Et in Greg.o Nazianzeno. Orat.e 36. quæ est. 4. de Theologia. ubi loquendo de Xpto hæc habet verba: Xpus vero dicitur unctus propter Divinitatem, ea enim humanitatis unctio est, non operatione ut in alijs Xptis, sanctificans, sed totius ungentis persona. ex quibus verbis, ostenditur prædicta minor. quia Christus idem est, ac Unctus. unde & iusti, Christi dicuntur; sed Xpus substantialiter formaliter est Xpus, ergo, & substantialiter formaliter est Sanctus. cum idem sit esse unctum, et esse Sanctum.

Difficultas ergo præsens reducitur ad investigandam rationem formalem sub qua sanctificandi substantialiter formaliter humanitatem Christi, quodnam nempe prædicatum divinum sit forma, seu quasi forma hanc sanctitatem substantialem præstans, in qua difficultate enodanda tres, vel quatuor referuntur sententiæ.

Prima docet modum unionis, quem utique realiter distinctum ab humanitate & Personalitate Verbi cognoscit hæc sententia, sanctificare formaliter substantialiter humanitatem Xpti. ita Suarez in præsenti disp. 53. eam etiam tenent plures ex Societ.e & alij.

Secunda docet Humanitatem Xpti Domini sanctificari a Personalitate Verbi pro explicito Personalitatis, & relativi. Quæ sent.a in duplici hypothesi potest defendi. Primo in sent.a asserente ad Tractatum de Trinit.e Relationes divinas pro explicito Relativi non dicere perfectionem, ut tenet probabilior nostri sent.a Secundo potest procedere in sententia affirmante Relationes divinas pro explicito relativi dicere perfectionem. Igitur si affirmatur relationes divinas pro explicito perfectionem dicere plures Theologi docent Personalitatem Verbi sanctificare substantialiter formaliter humanitatem Xpti. & hic modus dicendi constituit hanc secundam sententiam.

Sustinendo autem Relationes divinas pro explicito relativi perfectionem non dicere docet tertia sententia, hoc non obstante Personalitatem Verbi santificare substantialiter formaliter humanitatem Xpti. Ita erudite M. Bolivar. Primarius Salmanticnus in manuscriptis ad hunc tractatum. Personalitatem Verbi sanctificare substantialiter formaliter humanitatem docent. Valentia, Lorca, Lugo, Vincentius, Nazarius, & alij; ceterum isti Authores præscindunt ab eo quod est relationes divinas dicere, vel non dicere perfectionem pro explicito.

Quarta sententia docet Divinitatem implicite inclusam in personalitate Verbi, & mediate unitam ipsi humanitati, illam sanctificare substantialiter formaliter. quæ sententia est communis inter Thomistas. veram sententiam sequentibus conclusionibus explicabimus.

§. II.

Statuitur prima conclusio.

Sit prima conclusio. Licet concedamus dari modum unionis inter Personalitatem Verbi, & humanitatem, & talem unionem esse ab extremis realiter distinctam. Unio humanitatis ad Verbum non est forma illam sanctificans, substantialiter formaliter.

Probatur conclusio. quia iuxta Patres, & concilia, idem est esse unctum, ac esse sanctum, ergo illa forma constituet humanitatem Xpti substantialiter sanctam, per quam ungitur substantialiter, sed non ungitur formaliter per unionem, etiam si detur, realiter ab extremis distincta, & nec sanctificatur formaliter per illam. probatur minor subsumpta. et in primis quia probabilior sententia docet quod non datur unio realiter ab extremis distincta, ergo non poterit esse forma ungens substantialiter formaliter humanitatem.

Secundo quia etiam si detur talis unio solum est modus, seu nexus uniens ut quo formam ungentem, seu sanctificantem humanitatem, sicut si inter gratiam habitualem, & animam iusti mediat unio, quæ utique eadem probabilitate debet concedi, si conceditur unio hypostatica realiter ab extremis distincta. talis unio non sanctificat animam iusti sed unit formam sanctificantem, scilicet gratiam ergo similiter in casu nostro = Tertio quia esse sanctam humanitatem est prædicatum per modum quietis, afficiens humanitatem, sed unio licet detur de suo conceptu non est forma per modum quietis, sed est via ad personam seu nexus personæ, via ad sanctitatem, & tendentia ad illam, ergo non potest esse forma sanctificans. = Quarto quia sola illa forma potest sanctificare substantialiter, quæ in se sanctitas est, sed modus unionis, etiam si detur sanctitas non est, ergo non potest sanctificare probatur minor quia unio non est sanctitas per essentiam, ut patet, cum sit entitas creata, non est sanctitas per participationem, quia non est participatio divinæ naturæ, sed solum est, si datur, participatio unionis per identitatem quæ datur inter divinam essentiam, et eius attributa, & relationes, ergo unio hypostatica licet detur sanctitas non est = Quinto quia apud SS. Patres idem est esse humanitatem unctam, ac esse deificatam, & sanctam, sed non; sed non potest deificari humanitas per unionem, etiam si detur, sed per Deitatem unitam; ergo humanitas non ungitur per unionem, ac per consequens, nec sanctificatur per illam.

§. III.

Solvuntur argumenta contra istam conclusionem

Obiicies primo unio hypostatica vocatur a Sanctis Patribus summa gratia, & gratiarum maxima, ut pat ex Aug. lib. 3. de Trinit. cap. 19. ergo unio hypostatica gratia est, sed aliunde entitative est substantia ergo poterit sanctificare substantialiter formaliter humanitatem

Respondeo Sanctos PP. non curasse de unione hypostatica, distincta, vel indistincta realiter a Personalitate Verbi, & ab humanitate, est enim unio hypostatica modus quidam ab aliquibus Scholasticis adinventus, & ab alijs probabilius negatus, unde SS. Patres sumunt unionem pro ipsa gratia substantiali unita humanitati, quæ utique est summa, & gratiarum maxima unione si datur se habente ut conditione, sicut universim uniones aliarum formarum si dantur non præstant effectum formalem quem præstant formæ unitæ unde modus unionis, si datur, inter animam, & gratiam sanctificantem, non sanctificat animam, sed est conditio ut gratia animam sanctificet, & sic de alijs.

Responde secundo: Unionem hypostaticam si datur sanctificare humanitatem Xpti initiative, connexive, unitive, vialiter, & per modum conditionis, non vero formaliter quippe unio si datur, est quae unit sanctitatem, & quae nectit formam praestantem effectum formalem sanctificandi substantialiter, unde est via ad sanctitatem, initium, & nexus, seu unitio gratiae substantialis, qua ungitur, & sanctificatur humanitas Xpti.

Obiicies secundo unio hypostatica est forma incompossibilis cum peccato; ergo est forma sanctificans, antecedens patet & consequentia infertur quia forma de se excludens peccatum ratione incompossibilitatis cum illo afferat secum praedicata privative opposita peccato quae utique sunt sanctificantia, ut patet in gratia habituali.

Respondeo primo distinguendo antecedens unio hypostatica est forma incompossibilis cum peccato connexive, indirecte, & ratione personalitatis divinae quam unit: concedo antecedens. directe, & ratione sui nego antecedens & consequentiam = Et instatur in actu charitatis, qui non est forma sanctificans, in probabiliori Thomistarum sententia, etiam attenta potentia absoluta, & tamen pugnat cum peccato, verum quia talis repugnantia cum illo est indirecte, & connexive, et dispositive, idest ratione gratiae, cuius est dispositio ideo non est forma sanctificans.

Respondeo secundo omisso antecedenti distinguo consequens ergo est forma sanctificans, positive, & formaliter nego consequentiam negative transeat sequela = explicatur solutio: dicimus enim, quod unio, si datur, ad summum sanctificat negative, hoc est expelleret peccatum, seu causaret non esse peccati, non vero sanctificaret positive subiectum, quia ad hoc requiritur forma positiva, quae sit sanctitas, vel per essentiam, vel per participationem, et unio neutro modo sanctitas est.

Obiicies tertio. illa est forma sanctificans, quae radicat dona supernaturalia quae requiruntur ad visionem beatificam, amoremque beatificum; sed unio hypostatica talia dona supernaturalia radicat: ergo est forma sanctificans. maior patet in gratia habituali, quae physice radicat talia dona, & in forma sanctificante substantialiter humanitatem Xpti, quaecumque sit, quae radicat moraliter talia dona. probatur vero minor, quia unioni hypostaticae debentur dona supernaturalia, ad visionem, et amorem beatificum exacta. ergo unio hypostatica radicat saltim moraliter talia dona.

Respondeo admissa maiori distinguo minorem, sed unio hypostatica talia dona radicat, mediate, indirecte, connexive, & ratione extremi uniti, concedo minorem. immediate, directe, formaliter, & ratione sui nego minorem, et consequentiam. ad probationem minoris distinguo antecedens eodem modo, & nego consequentiam. etenim unio hypostatica, eo quia nexus, cum sit entitas per modum viae non radicat ratione sui immediate, & directe. radicare enim est formalitas conveniens ex suo conceptu entitati, quae ex se dicit stabilitatem, et permanentiam, quae stabilitas repugnat entitati, quae ex se solum est quasi via, ortus, tendentia, nexus, seu connexio.

Obiicies quarto Unio hypostatica est forma perfectior gratia sanctificante, sed gratia est forma sanctificans ergo Unio.

Respondeo instando, unio hypostatica est perfectior substantia naturali (in probabiliori sententia) sed substantia naturalis est ens completum, ergo unio. praemissae sunt verae, & consequentia mala, ergo est quia ab alio sumitur ratio perfectionis, ab alio ratio entis completi, & ab alio ratio sanctitatis. Unde in forma ad argumentum respondetur concessis praemissis nego consequentiam. Gratia enim habitualis est in se formaliter sanctitas participative, quid ergo mirum quod gratia sanctificet. Deinde Unio hypostatica pertinet

ad ordinem hypostaticum, saltim connexive; gratia autem habitualis non, quid ergo mirum quod unio sit perfectior gratia habituali, sicut similiter gratia est perfectior substantia naturali completa, licet gratia sit accidens, quia gratia est in ordine superiori ad res naturales.

§. Quartus.

Statuitur secunda conclusio.

Sit secunda conclusio: Supposito quod relationes divinę pro explicito non dicant perfectionem, Personalitas Verbi pro explicito non sanctificat humanitatem Christi Dni. substantialiter formaliter = Est hęc conclusio communis Thomistarum. Eam tenent Mult. Godoi, M. Gonet. & noster Lavia cum alijs = ex alijs eam tenet Vaquez, cum alijs ex Societ.e = Contrarium docet SS. Bolibar primarius Salmantinus.

Probatur ratione quia id quod in se pro explicito perfectio non est, nequit formaliter sanctificare. Sed si relationes divinę non dicunt perfectionem pro explicito, Personalitas Verbi pro explicito perfectio non est; ergo Personalitas Verbi pro explicito personalitatis sanctificare non potest substantialiter formaliter humanitatem. Minor supponitur, unde restat probanda maior, sanctitas formaliter, & pro explicito perfectio est; ergo quod pro explicito perfectionem non dicit nequit formaliter sanctificare. Antecedens est certum, quia nulla maior perfectio excogitari potest, quam ipsa sanctitas, unde si est sanctitas entitative accidens ut gratia, perfectio accidentalis est. Si entitative substantia est, perfectio substantialis necessario est, quę utique in Deo est per essentiam, & in Christo per participationem.

§. V.

Solvuntur argumenta contra istam conclusionem militantia.

Obicies primo fundamentum SS. Bolibar si personalitas Verbi pro explicito non sanctificaret, maxime propter rationem supra efformatam, quia nempe pro explicito non dicit perfectionem, sed hęc ratio est nulla; ergo & conclusio. Probatur minor. Etsi personalitates divinę perfectionem non dicant ad intra, tamen ut communicatę ad extra nequeunt non dicere perfectionem, ergo ratio probativa conclusionis, in illo principio innixa, nulla est. Probatur antecedens: quia personalitas divina ad extra communicata, etiam pro explicito personalitatis, est maximum bonum, sed maximum bonum perfectio est, ergo personalitates divinę etsi pro explicito ad intra non dicant perfectionem tamen ut communicatę ad extra nequeunt non dicere perfectionem.

Respondeo negando min. ad probationem nego antecedens, ideo enim, in sententia quam supponimus, relationes, seu personalitates divinę, ad intra non dicunt pro explicito perfectionem quia alias darentur in divinis tres perfectiones, quarum duę deessent cuilibet divinę personę, sed si ad extra communicatę dicerent perfectionem, hoc idem inconveniens sequeretur, quia perfectio quam communicaret ad extra Personalitas Verbi, v.g. non posset communicare a Paternitate, vel a Spiratione divina, ad extra unita ut personalitas Verbi est modo unita, & communicata, ut patet, cum Personalitas Verbi solum possit communicare ad extra Filiationem, quam Paternitas v.g. communicata ad extra non posset prestare, ergo eadem ratione qua supponitur, quod ad intra non dicunt perfectionem pro explicito, suadetur etiam, & eadem probabilitate, quod ad extra perfectionem non dicunt.. Unde ad probationem antecedentis, Respondeo Personalitas Verbi v.g. communicata ad extra est maximum bonum, identice, & ratione

illius quod necessario implicat, concedo maiorem formaliter, & pro explicito, praecisive ab eo quod implicat nego maiorem, & distinguo minorem. sed maximum bonum perfectio est, si est tale formaliter concedo minorem, si est tale identice, subdistinguo est perfectio ratione praedicati inclusi concedo minorem. pro explicito nego minorem, & sequelam.

Obicies secundo. Ex Nazianzeno verbis supra in notabilibus relatis. Humanitas ungitur, & sanctificatur totius ungentis Persona, sed praesentia totius Verbi, seu totius Verbi persona, includit, & dicit personalitatem, ergo personalitas etiam non dicat perfectionem sanctificat. Respondeo concessis praemissis distinguo consequens. ergo personalitas sanctificat ratione illius quod includit concedo consequentiam, ratione explicitis nego consequentiam.

Obicies tertio. & est replica praecedentis solutionis ex D. Th. in hac 3. p. q. 6. ar. 6. Gratia unionis est ipsum esse personale Verbi, ex quibus verbis sic formatur replica: Humanitas sanctificatur per gratiam Unionis; sed gratia unionis est personalitas Verbi, pro explicito, ergo personalitas pro explicito sanctificat.

Respondeo, quod D. Th. notanter dixit quod gratia unionis est ipsum esse personale Verbi, non vero dixit quod gratia Unionis est personalitas & cum esse personale includat naturam, quae est sanctitas essentialiter, inde est quod humanitas quando dicitur quod sanctificatur ab esse personali Verbi datur locus ut dicatur quod sanctificatur a natura divina quae includitur in personalitate.

Obicies quarto. & est replica solutionis. Personalitas Verbi pro explicito est gratia facta humanitati. sed gratia constituit subiectum gratum, seu sanctum, ergo personalitas Verbi pro explicito constituit sanctam formaliter substantialiter humanitatem.

Respondeo distinguendo maiorem Personalitas pro explicito est gratia facta humanitati. solum pro explicito nego maiorem, pro explicito, & implicito est gratia facta humanitati, concedo maiorem, & omissa minori nego consequentiam. = dixi omissa minori, quia personalitas, si consideretur reduplicative, & pro explicito, est gratia largo modo quatenus gratia dicit beneficium indebitum, atque formalitate, videlicet gratiae lato modo sumptae, quodlibet auxilium, vel donum supernaturale, distinctum a gratia sanctificante, est gratia, quae omnia non sanctificant formaliter. Unde non solum requiritur ad sanctificandum, quod sit gratia, lato modo, seu sit donum gratiosum, sed requiritur quod in se sit gratia stricte, & sanctificans, constituens nempe subiectum potens reddamare Deum, quod non facit Personalitas pro explicito, cum solum prosit sic constituat subiectum quod, seu personam.

Replicabis. & est quintum argumentum, sed Personalitas constituit subiectum potens ut quo reddamare Deum, cum ratione illius sit debitum quodlibet donum supernaturale, ergo nihil deficit Personalitati pro explicito ut sit forma sanctificans. probatur minor ad hoc ut personalitas pro explicito constituat subiectum, nempe humanitatem potentem, ut quo, reddamare Deum sufficit quod ratione personalitatis pro explicito sint debita, & gratia quae est radix physica virtutum, & donorum supernaturalium, & ipsae virtutes, & dona, hoc enim est radicare moraliter, sed ratione personalitatis pro explicito, talia dona supernaturalia humanitati debita sunt, ergo ratione personalitatis pro explicito constituitur humanitas potens ut quo reddamare Deum

Respondetur negando minorem, & ad probationem nego similiter minorem, & ratio est, quia Personalitas

cum, ut supponitur perfectionem non dicat, non radicat etiam moraliter gratiam, & virtutes supernaturales, radicare enim, etiam moraliter, gratiam quę est radix physica virtutum, & donorum supernaturalium, & ipsas virtutes perfectio est, ac proinde nec debito morali sunt debita personalitati pro explicito dona supernaturalia ius enim ad debitum istud, fundatur pro explicito in prędicato dicente perfectionem ac proinde si titulo unionis hypostaticę sunt debita humanitati debito morali dona supernaturalia exacta ad videndum, & amandum Deum, debitum fundatur in personalitate non pro explicito, sed pro implicito, videlicet ratione Deitatis, seu naturę implicitę inclusę in personalitate.

§. VI.
Statuitur tertia conclusio.

Sit tertia conclusio: Si Relationes divinę pro explicito dicunt perfectionem, Personalitas Verbi pro explicito est forma sanctificans substantialiter humanitatem Xpti. = hęc conclusio non est ita communis, & in paucis sub his terminis habetur sed illam mihi suadeo sequenti rat.^{e} Quia illud prędicatum divinum sanctificat formaliter substantialiter humanitatem Xpti, quod est prima radix moralis donorum supernaturalium, quę requiruntur ad videndum, & amandum Deum, sed si Personalitas Verbi pro explicito perfectionem dicit, Personalitas Verbi est prima radix moralis omnium donorum supernaturalium, quę sunt in Xpto, & quę requiruntur ad videndum & amandum Deum, ergo in hypotesi quod relationes divinę dicant perfectionem pro explicito; Personalitas Verbi pro explicito sanctificat formaliter substantialiter humanitatem Xpti. Maior patet quia in communi, & vera sententia, quam postea explicabimus ideo natura divina, ut inclusa in Personalitate Verbi sanctificat humanitatem Xpti, quia est radix moralis omnium perfectionum, seu donorum supernaturalium, quę requiruntur ad videndum, & amandum Deum. Probatur ergo minor. quia si relationes divinę dicunt perfectionem, ac proinde si Personalitas Verbi perfectionem pro explicito dicit, cum sit primum prędicatum divinum quod formalissime & pro explicito communicatur humanitati, nequit non fundare exigentiam moralem ad hoc ut intuitu eiusdem personalitatis pro explicito, communicentur eidem humanitati, & gratia, quę est radix omnium virtutum, & donorum supernaturalium, & omnes virtutes, & dona. Sed hoc est radicare moraliter dona supernaturalia, ergo in hac hypotesi personalitas est prima radix moralis omnium donorum supernaturalium. Confirmatur si relationes divinę dicunt perfectionem personalitas Verbi pro explicito, constituit ipsam humanitatem obiectum congruum divinę dilectionis, cum potentia ad reddamandum, ipsumque videndum, sed humanitas non potest esse obiectum congruum divinę dilectionis cum potentia ad Deum reddamandum, ipsumque videndum, quin sit sancta: Sanctitas enim est unica forma constituens obiectum congruum divinę dilectionis, cum potentia ad reddamandum, videndum

Deum, ergo in tali hypotesi Personalitas pro explicito sanctificat humanitatem. quia si relationes divinæ, ac proinde Personalitas Verbi pro explicito dicunt perfectionem, ista perfectio ad extra communicata, cum sit bonitas, constituet obiectum bonum, & amabile, unde necessario humanitas erit obiectum divinæ dilectionis, & obiectum, utique supernaturale, & ordinis hypostici, de cuius linea est perfectio, seu bonitas humanitati communicata, bonitas enim, & perfectio infinita humanitati physice communicata, nequit non constituere humanitatem amabilem infinite, per participationem, seu per communicationem, ergo & fundat exigentiam ad dona supernaturalia, medijs quibus humanitas possit Deum redamare, ergo personalitas communicata humanitati radicat moraliter dona supernaturalia. ergo sanctificat substantialiter formaliter humanitatem.

§. VII.

Argumenta contra istam conclusionem specialiter militantia solvuntur.

Obiicies primo licet relationes divinæ, & proinde Personalitas Verbi; dicant perfectionem pro explicito, tamen ad intra Personalitas Verbi, v. g. Sanctitas non est; ergo neque ad extra communicata, sed quod Sanctitas non est nequit sanctificare ergo licet Personalitas Verbi, dicat perfectionem pro explicito, non potest pro explicito sanctificare formaliter substantialiter humanitatem Christi. primum antecedens patet quia in Deo non est nisi una Sanctitas, sed Natura divina est Sanctitas ad intra, cum sit radix, seu quasi radix phisica attributorum, & omnium perfectionum divinarum, ergo personalitas ad intra Sanctitas non est. deinde prima consequentia patet, quia quod ad intra tale non est ad extra non potest esse tale aliunde haberet ad extra id quod ad intra illi repugnat. Respondeo distinguendo primum antecedens licet relationes divinæ, & proinde licet Personalitas Verbi dicat pro explicito perfectionem, Personalitas Verbi ad intra Sanctitas non est permodum naturæ, concedo antecedens. permodum attributi, seu quasi attributi nego ans, seu alio modo, Sanctitas non est ut quo concedo. ant. ut quod nego ans & primam consequentiæ. & distinguo minorem subsumptam, quod Sanctitas non est sive sanctitate naturæ, vel essentiæ, sive sanctitate attributi, vel quasi attributi, sive quod Sanctitas non est, ut quo, vel ut quod, nequit sanctificare concedo minorem, quod Sanctitas non est, solum Sant. naturæ vel essentiæ nego minorem, & consequentiam.

Dicimus ergo quod Sanctitas ad intra est talis permodum essentiæ & naturæ, quæ utique sanctitas indivisibilis est essentialiter et est Sanctitas permodum attributi, quæ utique est multiplex virtualiter, quæ prout ad extra communicata entitative, & substantialiter nequit non sanctificare constituendo subiectum cui communicatur obiectum congruum divinæ dilectionis, cum exigentia morali ad amandum, & videndum Deum & Personalitas, si dicit perfectionem, Sanctitas est saltim permodum quasi attributi & alias cum sit primum prædicatum divinæ humanitati communicatæ, non potest non illam sanctificare.

Replicabis: ergo quodlibet praedicatum divinum, ad extra unitum, si primo unitur constituet subiectum cui communicaretur sanctum, v.g. si subsistentia absoluta immediate uniretur alicui naturae intellectuali, illam sanctificaret, & similiter si Omnipotentia, vel intellectus divinus, vel voluntas divina vel quodlibet aliud praedicatum divinum, si ad extra de potentia absoluta, alicui naturae intellectuali imm.te communicaretur, illam sanctificaret; sed hoc videtur falsum; ergo personalitas ad extra communicata, esto dicat perfectionem sanctificare non potest humanitatem.

Respondeo concedendo sequellam. primum enim praedicatum divinum, quod ad extra de potentia absoluta, uniretur, seu communicaretur alicui naturae substantiali, & intellectivae esset utique forma substantialiter sanctificans illam naturam intellectualem, cum quodlibet praedicatum divinum substantialiter ad extra unitum esset radix moralis omnium donorum supernaturalium.

Obiicies replicando: si doctrina data subsisteret sequeretur quod in sententia asserente relationes divinas non dicere perfectionem, & proinde recurrente ad naturam divinam inclusam pro implicito in personalitate Verbi, ut sanctificet substantialiter formaliter humanitatem Christi, qui modus dicendi nobis est probabilior, & postea pro conclusione stabiliemus, sequeretur inquam ex dictis, quod iste recursus ad naturam divinam implicite inclusam in personalitate Verbi, ut sanctificet humanitatem Christi, esset frustraneus, & inutilis; sed hoc admittendum non est; ergo est quia doctrina data non subsistit. Sequella maioris probatur, quia ideo recurrendum esset in illa sententia ad naturam divinam implicite inclusam in personalitate Verbi, ut sanctificet humanitatem Christi, quia non esset aliud praedicatum divinum, quod sanctificaret substantialiter formaliter humanitatem Christi, sed si doctrina a nobis supra stabilita vera est, pro priori ad naturam divinam implicite inclusam in personalitate Verbi est aliud praedicatum divinum quod sanctificare potest formaliter substantialiter humanitatem Christi, ergo ex doctrina data sequeretur quod ille recursus ad naturam divinam, ut sanctificet humanitatem esset frustraneus, & inutilis. probatur minor; quia pro priori ad naturam divinam, intelligitur immediatius unita subsistentia absoluta, sed doctrina data affirmat quod illud praedicatum divinum ad extra unitum sanctificat formaliter substantialiter naturam intellectualem, cui est communicatum, quod; et dicit perfectionem, & primo intelligitur unitum & communicatum, naturae intellectuali, v.g. humanitati Christi ergo si doctrina a nobis stabilita vera est pro priori ad naturam divinam implicite inclusam in personalitate Verbi est aliud praedicatum divinum quod sanctificare potest formaliter substantialiter humanitatem Christi. Probatur maior quia personalitas Verbi pro explicito relativi immediatius continet implicite subsistentiam absolutam quam naturam divinam ergo pro priori ad naturam divinam mediate unitam humanitati Christi, intelligitur immediatius coniuncta eidem humanitati subsistentia absoluta. antecedens videtur notum quia natura divina immediatius radicat subsistentiam absolutam

quam subsistentias relativas, ut supponimus ex tractatu de Attributis, ergo quælibet subsistentia relativa, & proinde personalitas Verbi; immediatius continet implicite subsistentiam absolutam quam naturam divinam. Antecedens præterquam quod diximus constare ex tract.^{tu} de Attributis, facile probatur, quia natura divina immediatius radicat omnia prædicata divina absoluta quam divinas relationes, unde est commune axioma theologicum: absoluta sunt priora relativis: quo pacto communiter dicitur, quod relationes sunt termini naturæ & terminus ut talis supponit omne aliud, quod inter principium, & terminum mediat.

Respondeo negando sequellam maioris. unde recurrere non volumus, ut argumentum factum contendit, ad sententiam asserentem: subsistentiam absolutam sanctificare formaliter substantialiter humanitatem Christi, eo quia, ut in argumento dicitur, subsistentia absoluta immediatius est unita humanitati, quam natura divina. quia hoc absolute falsum est, ut modo videbimus. Ad probationem nego minorem, & ad eius probationem nego maiorem, ut enim intelligatur mediate unita subsistentia absoluta, debet prius intelligi immediatius, etsi etiam mediate, unita natura divina contentiva subsistentiæ absolutæ. Et ad probationem nego antecedens: ratio enim ob quam Personalitas Verbi pro explicito relativi continet subsistentiam absolutam, est quia continet naturam divinam, ubi continetur, & radicatur subsistentia absoluta; Non autem econtra ideo Personalitas Verbi continet naturam divinam, quia continet subsistentiam absolutam, ubi continetur natura divina: & ratio est quia nullum prædicatum divinum continet, loquendo rigorose, naturam divinam, sed potius omne prædicatum divinum continetur in natura divina, continentia enim fundatur in radicatione, non in identitate, formalissime, Et insuper patet, quia ex vi conceptus relativi, esto relativum dicat perfectionem, in sententia quam modo supponimus, non tamen relativum est perfectio continens active perfectiones absolutas, cum relativum ut tale, fecundum non sit, continentia ergo activa quæ concipitur in divinis, fundatur in natura, Unde quando dicitur quod subsistentia relativa, v.g. Personalitas Verbi continet, non est formalissime, continentia activa, sed potius est identitas, quæ explicatur facilius per verbum continet, ac proinde ideo Personalitas Verbi continet subsistentiam absolutam, & omnia attributa, quia identificatur cum natura divina continente active, radicaliter subsistentiam absolutam, & omnia alia attributa, & perfectiones. ergo prædicatum divinum quod primo, & immediatius intelligitur unitum, & communicatum humanitati Christi, mediante subsistentia relativa Verbi, quæ pro explicito relativi est terminus immediate unitur, non est subsistentia absoluta, vel aliud prædicatum divinum, sed unice natura divina. & per consequens ad sanctificandam

humanitatem formaliter substantialiter, in sententia quę docet relationes divinas perfectionem non dicere, recurrendum est necessario ad naturam divinam.

Obiicies replicando.

Personalitas Verbi; sicut et quęlibet relatio divina, etiamsi dicat perfectionem pro explicito non est Sanctitas essentialis, & per modum naturę, ergo etiam in hac hypothesi quę dicat pro explicito perfectionem, Personalitas Verbi non est forma sanctificans substantialiter humanitatem. ans probatur, quia esse Sanctitatem per modum naturę est esse principium quo, & radicale operationum supernaturalium. Sed Personalitas Verbi humanitati communicata non est principium quo & radicale talium operationum, ergo Personalitas Verbi, etiam si pro explicito dicat perfectionem non est Sanctitas essentialis, & per modum naturę: probatur min. quia personalitas constituit principium quod. ergo non est principium quo. conseq.a patet, quia principium quod supponit principium quo.

Respondeo distinguendo ans: non est Sanctitas per modum naturę: ad intra: concedo ans; ad extra, subdistinguo non est Sanctitas per modum naturę physicę, concedo ans. per modum naturę moralis nego ans, et consequentiam. ad probationem concessa maiori, distinguo minorem: Sed personalitas non est principium quo, si sermo sit de principio quo physico concedo minorem, si sermo sit de principio quo morali, nego minorem, & consequentiam, vel illam distinguo ut supra, et ad probationem quatenus huic solutioni obstare potest distinguo ans Personalitas constituit principium quod phisicum ~~concedo ans.~~ et simul principium quo morale concedo ans, solum principium quod physicum, & nullo modo morale nego ans & consequentiam. Solutio, non indiget alia explicatione.

Obiicies replicando contra dicta. Ex concessis si Personalitas in hypothesi quod pro explicito dicat perfectionem, sanctificat formaliter substantialiter humanitatem Christi, quia est prędicatum divinum primo unitum humanitati (sicut & omne aliud prędicatum divinum virtualiter distinctum a natura divina, si primo uniretur phisice) quia ut sic est est natura moralis, & radix moralis donorum supernaturalium, & constituit illam naturam obiectum congruum divinę dilectionis cum potentia ad reddandum; sequeretur quod participationes formales cuiuslibet prędicati divini essent formę sanctificantes. Sed hoc est falsum, alias Fides, Spes, & Charitas, imo & omnis virtus moralis creata, essent formę sanctificantes, ergo doctrina data sustineri nequit. — Probatur sequella, quia ideo gratia habitualis, est forma sanctificans, quia est participatio naturę divinę, quę est Sanctitas; Sed ex concessis omne prędicatum divinum ~~[illegible]~~ ad extra communicatum, est Sanctitas; ergo & participationes illius. Respondeo negando sequellam. & ad probationem, distinguo causalem. quia participatio naturę quę est sanctitas, utcumque, nego causalem, quę est Sanctitas per modum naturę ad intra, & quę est ad intra radix quasi phisica, concedo causa

& distinguo minorem, sed quodlibet praedicatum divinum est sanctitas, ad intra per modum naturae, & essentiae, nego min. per modum attributi, seu quasi, & ad extra per modum naturae moralis concedo min. vel alio modo distinguo S. quodlibet praedicatum divinum est sanctitas, per modum naturae physicae nego, per modum naturae moralis concedo min. & nego consequentiam.

Obiicies iterum, & potest esse replica ad doctrinam datam. Unio immediata cuiuslibet praedicati divini ad extra non sufficit ad sanctificandum substantialiter, ergo doctrina data non tenet. antecedens probatur: unio immediata cuiuslibet praedicati divini ad extra non sufficit ad radicandum etiam moraliter dona supernaturalia, ergo neque ad sanctificandum. ans. patet in essentia divina unita mentibus Beatorum, per modum speciei impressae, & expressae, quae utique est unio ad extra immediata. & tamen Beatos non sanctificat substantialiter.

Respondeo instando: in vera sententia Natura divina inclusa in Personalitate Verbi, sanctificat substantialiter humanitatem Christi, quia est unita humanitati saltim mediate, et tamen unita immediate mentibus Beatorum per modum speciei illos non sanctificat, ergo argumentum non convincit, vel aeque militat contra quartam stabiliendam conclusionem.

Respondeo ergo directe. & dico quod non quaelibet unio immediata cuiuslibet praedicati divini ad extra, etiam si illud praedicatum perfectionem dicat, sufficit ad sanctificandum substantialiter, sed requiritur necessario quod unio sit physica & in linea essendi, non autem sufficit unio in linea intentionali, & intelligibili, quae linea, non est in linea essendi. Natura div. mentibus Beatorum non unitur in linea entis, nec physice, sed solum intentionaliter. ac proinde non sanctificat. quia sanctitas est de linea essendi & operandi physice.

§. VIII

Aliud solvitur argumentum.

Obiicies ex alio capite. Licet relationes divinae, & proinde personalitas dicat perfectionem pro explicito relativi, non potest sanctificare substantialiter formaliter humanitatem Xpi, ergo etiam in hac hypothesi recurrendum est ad aliud praedicatum divinum. probatur ans. quia perfectio quae convenit pro explicito Personalitati Verbi, est perfectio pure relativa, sed perfectio pure relativa sanctificare non potest substantialiter. ergo Personalitas etiam in hypothesi quod pro explicito dicat perfectionem non potest sanctificare humanitatem. Maior videtur nota quia explicitum illud cum sit formalissime relativum quidquid dicat pro illo explicito relativum debet esse, ergo si pro explicito dicit perfectionem, dicet perfectionem relativam. Probatur ergo minor. quia sanctitas de suo formali conceptu, non ut cumque, est perfectio, sed est perfectio simpliciter absoluta; atqui perfectio simpliciter absoluta praestari nequit a perfectione relativa, ergo perfectio pure relativa sanctificare non potest formaliter substantialiter. Maior patet ex terminis, formalitas enim absoluta, seu effectus absolutus praestari nequit a forma relativa; sicut etiam econtra formalitas relativa, seu effectus pure relativus, praestari nequit a forma absoluta. Cuius utriusque ratio est, quia effectus formalis formae nihil aliud est quam forma communicata. Maior autem probatur, quia sanctitas est perfectio sistens in subiecto, et non transiens ad terminum, ergo sanctitas formalissime est perfectio absoluta. ac proinde etsi personalitas Verbi dicat perfectionem pro explicito, sanctificare nequit formaliter substantialiter humanitatem Christi.

Respondeo quod sicut in sententia asserente relationes divinas dicere pro explicito perfectionem necessario debet admitti duplex perfectionis conceptus, nempe, & perfectio absoluta, & perfectio relativa non obstante quod perfectio formalissime secundum se, & ex suo con-

ceptus videatur quod eius formalitas sit sistens in subiecto et non transiens ad aliud, ita similiter in tali hypotesi necessario admitti debet duplex Sanctitatis conceptus, alius qui conceptus Sanctitatis absolute sit, alius qui sit conceptus Sanctitatis relative. Et deinde sicut perfectio relativa divina ad extra communicata intrinsece constituit subiectum cui communicatur perfectum, ita Sanctitas divina relativa ad extra communicata constituere potest Sanctum intrinsece in se naturam cui communicatur, et unitur. Non enim magis absoluta est perfectio, quam Sanctitas.

Imo, ideo praecise in vera sententia negatur divinas relationes dicere pro explicito perfectionem, quia perfectio, est formalitas sistens in subiecto, et non transiens ad terminum, ut relatio. Unde sicut modo disputandi gratia admittitur perfectio relativa, non solum secundum conceptum in relationis, sed reduplicative, et secundum conceptum ad, ita, et eadem ratione infertur necessario quod admitti debeat Sanctitas relativa, et semel admissa ista Sanctitate relativa, non est assignabilis ratio quare non constituat naturam creatam cui ad extra communicatur Sanctam formaliter substantialiter. Et si videtur repugnare Sanctitatem relativam eadem ratione repugnare debet perfectio relativa. quo pacto conclusio illorum solum procedit in hypotesi.

Inde ad argumentum in forma, respondeo negando ans, et ad probationem nego minorem. ad cuius probationem nego maiorem. Dico enim quod in ista sententia, non est negandum, quod Sanctitas ut sic sit conceptus abstrahens ab absoluto, et relativo, sed potius hoc est asserendum. Et ad probationis quatenus huic solutioni obstare potest respondeo distinguendo ans, Sanctitas est perfectio sistens in subiecto, si sit absoluta sanctitas. concedo, si relativa, subdistinguo, est sistens et transiens ad aliud concedo, est solum sistens nego ans et consequentiam, Sanctitas enim divina relativa ad extra communicata sufficienter potest esse forma sistens in subiecto, ut illud substantialiter Sanctificet, quae solutio si aliquam repugnantiam secum affert, est imbibita in hypotesi quae disputandi gratia admittitur.

§. IX.

Aliud argumentum solvitur.

Obiicies denique ex alio capite. Ab illo Sanctificatur formaliter substantialiter humanitas Christi Domini, a quo ungitur, sed ungitur a Deitate ergo ab illa Sanctificatur probatur minor, quia ab illo ungitur humanitas a quo Deificatur, sed Deificari nequit nisi a Deitate, ergo ungitur a Deitate ergo Personalitas et si dicat perfectionem non Sanctificat.

Respondeo concessa maiori distinguo minorem ungitur a Deitate in vera sententia conce-

minorem, in sententia, quam modo supponimus nego minorem, & consequentiam. igitur in sententia asserente relationes divinas dicere perfectionem pro explicito quae sententia, etsi falsa sit mihi, illam modo ut veram supponimus, humanitas ungitur a Personalitate, quia in ista hypothesi; cum personalitas perfectio sit, & perfectio deifica, seu divina, non potest non ungere, seu perficere, vel sanctificare.

§. X.

Statuitur quarta conclusio.

Cum in veriori, & probabiliori Thomistarum sententia relationes divinae pro explicito perfectionem non dicant, & ut ex dictis constat, si pro explicito perfectionem non dicunt Personalitas Verbi pro explicito personalitatis sanctificare non potest formaliter substantialiter humanitatem Christi; ideo assignandum restat formam, seu quasi formam hanc sanctitatem substantialem praestantem. unde

Sit quarta conclusio.

Personalitas Verbi sanctificat formaliter substantialiter humanitatem Christi: non ratione sui, & pro explicito relativi sed ratione impliciti: Unde Divinitas, seu natura divina implicite inclusa in Personalitate Verbi. est ratio formalis sub qua sanctificandi substantialiter humanitatem Christi. = Est communis Thomistarum.

Et probatur, primo indirecte, quia aliqua forma debet assignari sanctificans substantialiter humanitatem Christi; sed ut ex dictis constat non est modus Unionis, nec Personalitas pro implicito, cum in vera sententia, perfectionem pro explicito non dicat; ergo necessario est recurrendum, ad Deitatem, seu naturam divinam implicite inclusam in personalitate Verbi.

Deinde probatur directe. quia illa est ratio formalis sub qua sanctificandi formaliter substantialiter humanitatem Xpti, quae est ~~forma~~ forma ungens humanitatem. & quae est radix, saltim moralis, donorum supernaturalium quae exiguntur ad videndum, & amandum Deum, sed ex Nazianzeno constat, quod humanitas ungitur a Deitate, & ratione Deitatis, seu Naturae divinae inclusae in Personalitate Verbi, et deinde, ratione eiusdem Deitatis. seu Naturae divinae, inclusae in Personalitate Verbi, quae utique mediate est unita eidem humanitati, debentur eidem humanitati, et gratia habitualis, et virtutes, quae requiruntur ad videndum, & amandum Deum: nempe Lumen gloriae, & habitus Charitatis, sicut similiter ratione illius alia charismata supernaturalia debentur, ergo ratio formalis sub qua sanctificandi substantialiter formaliter humanitatem Christi est Deitas, seu Natura divina inclusa in Personalitate Verbi, ac per consequens. ratio formalis sub qua sanctificandi humanitatem, est Personalitas Verbi, non pro explicito, sed ratione impliciti.

§. XI.

Solvuntur argumenta contra hanc conclusionem.

Obiicies primo. Divinitas, seu Natura divina, non unitur humanitati immediate, sed tantum mediate, videlicet mediante Personalitate Verbi; ergo humanitatem non sanctificat.

Conseq.^a probatur. quia Sanctitas quæ humanitati communicatur est immediata; humanitas enim est immediate sancta substantialiter. ergo debet præstari a ratione formali immediate unita.

Respondetur instando argumentum. Gratia sanctificans solum unitur immediate animæ Justi, et tamen totum hominem immediate sanctificat, ergo licet Divinitas non uniatur immediate humanitati, poterit illam immediate sanctificare. Secundo instatur, quia Existentia divina constituit humanitatem Christi existentem immediate, et tamen existentia divina, cum nec virtualiter distinguatur ab Essentia, et Natura divina humanitati non unitur immediate sed mediate. ergo idem. =

Deinde Respondeo directe quod esto Natura divina in esse entis immediate non uniatur humanitati, sed mediante Personalitate Verbi, tamen in esse formæ sanctificantis substantialiter humanitatem, seu in esse sanctitatis immediate unitur eidem humanitati, quia inter humanitatem, et naturam divinam, non mediat alia forma sanctificans, sicut inter humanitatem, et existentiam divinam, non mediat alia existentia per quam reddatur existens humanitas.

Obiicies secundo: forma sanctificans non solum constituit subiectum sanctum, sed vivens supernaturaliter, quippe constituit subiectum quod sanctificat potens redamare Deum, vita actuali, spirituali, supernaturali, et divina: sed Divinitas non constituit humanitatem Christi viventem radicaliter vita spirituali, supernaturali, et divina: cum ista vita radicalis nequeat alicui convenire nisi, vel per identitatem, vel per informationem. quod utrumque repugnat Naturam divinam præstare humanitati, ergo Natura divina non sanctificat substantialiter formaliter humanitatem Christi.

Respondetur primo. quod si hoc argumentum aliquid convinceret, convinceret quod humanitas Christi non est sanctificata substantialiter, cum nec Unio hypostatica, nec personalitas Verbi, nec subsistentia absoluta, nec aliquod aliud prædicatum divinum, vel creatum possit constituere viventem substantialiter radicaliter humanitatem eadem ratione qua in argumento hoc negatur Naturæ divinæ. unde cum nimis probet, nihil convincit.

Respondeo quod Sanctitas substantialis in subiecto in quo est per essentiam illud constituit vivens radicaliter, sanctitas autem substantialis ad extra communicata non communicatur in conceptu vitæ radicalis, realiter et physice, ob rationem in arg.^o assignatam, constituit tamen humanitatem viventem radicaliter: non physice, sed moraliter vita supernaturali. non utique vita actuali substantiali, hoc enim repugnat: (vitæ enim substantiali, quæ physice et realiter est radicalis substantialis correspondet vita actualis substantialis) quia stante illa Sanctitate substantiali ad extra communicata stat exigentia moralis ad gratiam, per quam constituatur vivens radicaliter, intrinsece supernaturali. et proinde cum exigentia ad alia dona exacta ad videndum et amandum Deum.

Replicabis. Natura divina sub conceptu vitæ radicalis, non distinguitur, adhuc virtualiter a se ipsa sub conceptu sanctitatis, ergo non potest communicari sub una formalitate et non sub alia = Resp.^o quod adminus distinguitur virtualiter, modo sufficit ut communicetur sub uno, et non sub alio conceptu. ut patet et instatur in ipsa ess.^a div.^a quæ sub conceptu vitæ radicalis non distinguitur virtualiter a se ipsa sub conceptu speciei, et tamen mentibus Beatorum communicatur sub isto et non sub illo conceptu.

Replicabis conceptus radicis est prior in natura divina quam conceptus vitæ, ergo si ut vitalis radicaliter communicari ad extra non potest, nec poterit ut radix communicari = Respondeo. concesso ant.^i, neg.^o conseq. etenim quod unus conceptus sit alio prior non obstat ut unus et non alius ad extra communicetur, si semel adest aliqua distinctio, quam tamen minimam esse ut patet et instatur in eadem nat.^a div.^a in qua conceptus radicis est prior conceptu speciei, et tamen sub conceptu speciei impressæ et expressæ communicatur mentibus Beatorum, et non sub conceptu vitæ radicalis.

DISPUTATIO NONA DE GRATIA HABITUALI CHRISTI DOMINI

* * * *

Articulus. I.

Utrum gratia habitualis fuerit in anima Christi Domini?

§. I.

Præmittuntur aliqua, & referuntur sententiæ.

Nomine gratiæ habitualis intelligimus quoddam donum supernaturale creatum quod permanenter residet in anima, quod supernaturale donum est in omnia dona nobilissimum charisma, est enim formalis participatio naturæ divinæ. Et ut natura vivificat animam in linea supernaturali, sicut anima in linea naturali vivificat corpus. Et per gratiam efficitur anima deificata, iuxta illud ego dixi Dij estis, & in gratia ut in radice cætera continentur supernaturalia dona, & ex illa oriuntur virtutes, est Lux cuius radijs cætera fulgent charismata, cuius munditie peccatorum feces mundantur cuius pulchritudine santificatur anima, cuius sanctitate consecratur, cuius maiestate præ Regibus & Principibus eminet, cuius candore dealbatur, & stolla puritatis induitur, qua Fides nititur, Spes erigitur, & Charitas ignescit, & fervet. Quæ ut inquit Chatechismus Romanus est divina qualitas animæ inhærens, ac veluti splendor quidam, & lux, quæ animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores, & splendidiores reddit.

Est notandum & supponendum est, quod etsi gratia, hos, & alios plures effectus efficere possit, non tamen omnes omnibus communicat, sed hos vel alios per distrubutionem accommodam præstat, iuxta diversitatem subiectorum in quibus est. Ut ex naturalibus colligi potest. Calor enim una indivisibilis forma cum sit, in igne producit ignem, in animali quatenus instrumentum potentiæ nutritivæ, producit iam carnem, iam ossa, iam sanguinem, iam alios humores, & in Sole, similiter varios effectus operatur, in hortis producendo flores, in vineis uvas, in olivetis olivas, in visceribus terræ mineralia diversa, unde ut perbelle dicebat Chrisostomus loquendo de aqua: Aqua unius speciei cum sit, vario modo operatur, dealbans in lilio, rubricans in rosa, purpurissans in viola. Sic ergo gratia habitualis sanctificans, una cum sit, varios effectus producit iuxta diversitatem subiectorum, in quibus est. Nam in Viatoribus radicat Fidem, & Spem, quas in Beatis non radicat, sed lumen gloriæ & dona ad illum statum conducentia. In Hominibus radicat

virtutes passionum moderatrices, quas in Angelis non radicat, cum passionibus careant. In creaturis radicat habitum virtutis pœnitentię, in Christo autem loco illius, virtutem Iustitiæ commutativę, In Adâmo ante peccatum radicabat originalem iustitiam, & post peccatum loco illius pœnitentiam. Creaturas omnes intellectuales filios Dei adoptivos constituit. Christum autem talem non constituit, quia Filius Dei naturalis est, ut Deo adiuvante explicabimus suo loco. O miranda, & stupenda pretiositatis gemma! quę, tot mirabilibus modis ditescis, & nobilitat subiectum in quo est!

In presenti ergo articulo solum intendimus indagare eius existentiam in Christi anima, an sit, videlicet, non autem effectus quos in anima Christi prestat, ad quid enim sit in anima Christi necessaria, in sequenti articulo Deo dante dicetur.

Circa sententiarum varietatem duplex in hac parte circumfertur sententia. Aliqui enim quos sine nomine refert Paludanus in 3. dist. 13 q. 2. ut notat in presenti Ill. Godoy negativam sententiam tenuere, eo ducti principio, quia ex vi gratię unionis, fuit anima Christi sufficientissime santificata.

Sententia autem affirmativa docens in anima Christi fuisse gratiam habitualem est communis theologorum cum Magistro Sententiarum in 3. dist. 13. — Circa censuram contra sententiam negativam non concordant theologi, Suarez docet esse hereticam, & immediate contra Fidem. Lorca autem cum alijs docet, quod licet sub hoc nomine gratia habitualis, non sit negativa sententia heretica, est tamen heretica, si negat in anima Christi aliquod donum supernaturale creatum. Ill. Godoi docet sententiam negantem in anima Christi gratiam habitualem, non esse immediate contra fidem, asserit tamen, quod est temeraria & errori proxima. ita in presenti disp. 21. §. 1. 2. & 3.

§. II.

Statuitur conclusio.

Sit nostra conclusio. In anima Christi Domini, fuit habitualis gratia. est communis cum D. Th. in presenti q. 7. ar. 1. & in 3. dist. 13 q. 1. ar. 1. & cum eo omnes thomistę & probatur eamet D. Th. sic. quia quanto aliquod receptivum est proximius causę influenti, eo magis participat, de illius influxu, sed anima Christi proximius accedit Deo qui est causa gratię quam omnes creaturę intellectuales, cum sit Deo unita hypostatice, ergo anima Christi recipit gratiam habitualem perfectissime.

Secundo suadetur hoc discursu oportet ut anima Christi preter unionem fisicam cum Deo, aliam habeat unionem scilicet per cognitionem, & amorem, alias cum Beatitudo in visione con

Beatitudine careret, S.d ad connaturalem elicientiam illorum actuum (qualis decebat animam Christi, necessaria fuit gratia habitualis, in qua radicaretur lumen gloriæ, ergo in anima Christi fuit gratia habitualis.

Tertio sic comprobat. perfectio, quæ communicatur effectui præexistit formaliter in causa, si alias imperfectio non est præcontinentia formalis, S.d Christus influit, et causat gratiam habitualem in animabus iustorum, et alias præcontinere gratiam habitualem imperfectio non est repugnans Christo, ergo fuit in Christo habitualis gratia.

Denique probatur conclusio: Omnis perfectio conveniens iustis concedenda est in Christo, si in Christo non dicat imperfectionem, S.d gratia habitualis est in iustis, et alias illam habere Christum non dicit imperfectionem, nec pugnat cum unione hypostatica, ergo gratia habitualis est in anima Christi.

§. III.

Solvitur primum argumentum.

Obiicies primo. Si in Christi anima esset gratia habitualis, Christo præberet aliquem effectum formalem, S.d nullum effectum formalem potest præstare. ergo non est in anima Christi gratia habitualis. probatur minor si aliquem effectum formalem præstaret maxime primarium, hunc non, ergo nullum. probatur minor. effectus primarius gratiæ habitualis, est sanctificare animam, S.d animam Christi non potest sanctificare, ergo illi non præstat effectum primarium. probatur min. Si sanctificaret animam Christi, illam sanctificaret accidentaliter, gratia enim accidens est, unde non nisi effectum accidentalem præstare potest, S.d non potest illam accidentaliter sanctificare, ergo. probatur minor. est sanctificata substantialiter anima Christi per gratiam unionis. S.d cum sanctificatione substantiali non habet locum sanctificatio accidentalis, ergo non potest illam accidentaliter sanctificare. probatur minor, Si posset stare cum sanctificatione substantiali sanctificatio accidentalis, posset idem esse Deum per essentiam, et Deum per participationem, hoc repugnat. ergo et illud.

Respondeo distinguendo hanc ultimam maiorem, posset idem subiectum esse Deum per essentiam, et Deum per participationem, secundum idem, nego mai. secundum diversa, concedo et distinguo minorem eisdem terminis, et nego consequentiam, itaque dicimus quod cum in Christo sint duæ naturæ in una persona, scilicet

natura divina, & humana, ratione naturę divinę est Deus per essentiam, & ratione naturę humanę, et gratia ornatę, est Deus per participationem, unde esto repugnet Christo esse Deum per participationem ratione naturę divinę non tamen illi hoc repugnat ratione naturę humanę.

Replicabis licet Christus secundum naturam humanam non sit Deus per essentiam, tamen in natura humana est substantialiter Deus, cum humanitas Christi sit sanctificata sanctitate substantiali ipsius Divinitatis, ut vidimus disp. precedenti, sed non solum repugnat esse Deum per essentiam, & Deum per participationem secundum idem, sed etiam esse secundum idem sanctificatum substantialiter, et esse sanctificatum accidentaliter, ergo in Christo ut homine, & secundum naturam humanam non adest locus ad sanctificationem accidentalem, & proinde nec ad effectum formalem primarium gratię sanctificantis. minor videtur expressa in Angelico Magistro in hac 3ª p. q. 32. ar. 3 in corpore prope finem ubi hęc habet verba: * illud quod de aliquo dicitur secundum perfectam rationem, non potest dici de eo secundum rationem imperfectam; sicut quia Sortes dicitur naturaliter homo, secundum propriam rationem hominis, numquam dicitur homo secundum illam significationem qua pictura hominis dicitur homo, licet assimiletur alteri homini. * nunc sic subsumo. ex istis verbis D. Thomae sed esse Deificatum substantialiter est denominatio secundum rationem perfectam, & esse deificatum seu sanctum accidentaliter et per gratiam, est denominatio secundum rationem imperfectam, ergo si primam denominationem habet humanitas Christi per gratię unionis, secundam habere non potest per gratiam.

Respondeo negando minorem, & ad probationem admissa autoritate D. Ths. ut iacet, nego subsumptam. quia esse sanctum, seu deificatum substantialiter non est denominatio secundum rationem perfectam, esto sit denominatio perfectior, ac est denominatio de ly esse sanctum & deificatum accidentaliter, quia esse sanctum secundum denominationem perfectam est solum una denominatio, quę uni soli potest convenire & hęc convenit soli Deo in se, qui est sanctus per essentiam essentialiter & necessario, sub qua formalitate non convenit Christo, qui solum est sanctus per essentiam communicative, unde sanctitas substantialis convenit Deo per identitatem Christo, & eius humanitati per unionem, unde cum denominatione sanctitatis substantialis, quę prestatur a Deitate humanitati Christi restat locus ad denominationę accidentalem prestitam

a gratia. licet enim propria & impropria denominatio non possint convenire eidem perfectior, & imperfectior denominatio, quando neutra est propria, idem conveni re possunt, esto non secundum idem.

Replicabis. Deitas continet eminenter gratiam ergo in præsentia Deitatis non adest locus ad gratiam. probatur consequentia quia anima rationalis continet eminenter gradum vegetativum, & sensitivum, in præsentia animæ non adest locus ad aliam formam substantialem, quæ præstet corpori talem gradum. ergo si Deitas contineret eminenter gratiam, in præsentia Deitatis, non adest locus ad gratiam.

Respondeo distinguendo antecedens. Deitas continet gratiam eminenter, continentia pure effectiva, concedo antecedens, continentia eminentiali, formali nego antecedens. & consequentiam, ad cuius probationem, distinguo causalem, quia anima rationalis continet eminenter gradum vegetativum continentia eminentiali formali, non potest adesse alia forma substantialis quæ præstet illos gradus, concedo causalem, præcise quia continet eminenter nego causalem. anima enim rationalis est eminenter formaliter vegetativa, & sensitiva, ut quæ, unde illos gradus præstare potest per informationem, Deitas autem continet eminenter virtualiter & effective gratiam, non autem formaliter, alias deberet vel informare animam Christi, vel esse idem per identitatem cum illa, quorum utrumque repugnat.

§. IV.

Solvitur aliud argumentum, circa adoptionem.

Obiicies secundo. Si in anima Christi esset gratia habitualis, constitueret Christum filium Dei adoptivum, sed Christus in sententia communi Thomistarum & nostra, Filius Dei adoptivus non est, sed naturalis, ut dicitur ad tractatum de Adoptione. ergo in anima Christi non est gratia habitualis. probatur maior quia non stat formam communicari alicui, non communicato eius effectu formali; sed effectus formalis gratiæ sanctificantis est constituere subiectum cui communicatur Filium Dei adoptivum, ergo si in anima Christi esset gratia illum constitueret filium Dei adoptivum.

Respondeo negando maiorem seu sequellam, & ad probationem distinguo maiorem, non communicato eius effectu formali, primario, concedo maiorem, secundario nego maiorem. & distinguo minorem, sed effectus formalis gratiæ sanctificantis est constituere subiectum cui communicatur filium adoptivum, est effectus secundarius concedo minorem, est effectus primarius nego minorem, & consequentiam.

70

dicimus ergo quod cum adoptio difiniatur & sit gratuita assumptio personæ extraneæ ad hereditatem, adoptio proinde supponit in adoptato extraneitatem personæ, & cum in Christo non sint duæ personæ, s. una, & ista divina, & intranea Deo, cum sit ipse Deus, inde est quod Christus capax non est adoptionis, unde gratia in Christo hunc effectum non præstat & proinde dicimus quod constituere filium adoptivum non est effectus primarius gratiæ, quandoquidem proprior adsitum effectus alios effectus supponit nempe constituere gratum, & sanctum subiectum, & cum in Christo cum unitate personæ sint duæ naturæ, una divina, humana alia, ratione naturæ capax est gratiæ, ac proinde sanctificat naturam humanam, etsi non constituat Christum filium adoptivum, cum denominatio filij cadat in recto supra personam, & denominatio sanctitatis, cadere possit supra naturam.

Replicabis. s. constituere filium adoptivum est effectus primarius gratiæ, ergo vel Christus constituitur filius adoptivum, vel in Christo non est gratia sanctificans. probatur ans. ille est effectus primarius gratiæ, sine quo non potest stare gratia, s. sine constituere filium adoptivum non potest stare gratia, ergo constituere filium adoptivum est effectus primarius gratiæ. probatur minor: esse spiritualiter genitum est esse filium adoptivum, sed non potest stare gratia in Christo quin illum constituat spiritualiter genitum, ergo sine constituere filium adoptivum non potest stare gratia. probatur min. ideo homines iusti constituuntur spiritualiter geniti, & per consequens filij Dei adoptivi, quia ratione gratiæ ~~[illegible]~~, participant divinam naturam per modum naturæ, gratia enim est ipsa natura divina participative. sed si in Christo est gratia habitualis Christus per gratiam, seu ratione gratiæ participat divinam naturam per modum naturæ, ergo si in Christo est gratia, Christus per gratiam constituitur spiritualiter genitus.

Respondeo neg. ans. & ad probationem nego minorem, & similiter ad eius probationem negatur minor & deinde distinguo maiorem ideo homines iusti per gratiam constituuntur spiritualiter geniti quia ratione gratiæ participant divinam naturam, quia præcise participant divinam naturam nego maiorem, quia participant divinam naturam, & ad modum naturæ concedo maiorem, & distinguo minorem, s. si in Christo est gratia Christus per gratiam seu in gratia participat divinam naturæ, per modum naturæ, & non ad modum naturæ [illegible] concedo, per modum naturæ & ad modum naturæ, nego minorem, & consequentiam, ita quod Christus solum identice participat divinæ naturæ, non autem formaliter & per modum naturæ.

Explicatur Solutio: Iustus per gratiã ideo constituitur filius adoptivus Dei, quia taliter participat gratiam, quod illam participat admodũ naturæ & radicem seu ut primum & radicale principium donorum, & operationum supernaturalium, unde gratia aliud donum non supponit cui ipsa gratia debita sit, seu ad quod sequatur gratia tanquam proprietas illius, sed potius omnia dona originantur a gratia, & ut proprietates illius ab ipsa oriuntur & dimanant. unde actio infusiva, & communicativa gratiæ in homine iusto, ~~producit~~ gratiam, quæ in se natura est, producit admodum naturæ, & perconsequens talis actio generatio spiritualis est, est enim origo viventis a vivente principio coniuncto in similitudinẽ naturæ, ex vi talis processionis. est enim origo viventis, videlicet ipsius gratiæ, quæ est vitalis ut quo, a Vivente, scilicet a Deo, qui unice est causa infusiva gratiæ, principio coniuncto, idest ipsa gratia, in similitudinẽ naturæ, cum per gratiam similes Deo efficiamur, ex vi processionis, cum ex vi actionis infusivæ gratiæ communicetur gratia ut radix viva donorũ, qui est formalissimus conceptus naturæ. Et cũ generatio sit fundamentũ relationis Paternitatis, & ex genitũ fundamentũ relationis filiationis, homo constituitur Filius Dei Patris in linea adoptivæ, cũ homo genitus per gratiã sit extranea persona. Cæterum in Christo esto sit gratia sanctificans, & gratia entitative, seu identice sit natura, seu formalis participatio naturæ divinæ, tamen gratia in Christo non communicatur admodum naturæ cum non communicetur ut primum, & radicale principium donorum, cum supponat gratiam unionis, cui debentur gratia, & alia dona, unde gratia potius communicatur permodum proprietatis subsequentis ad gratiam unionis; & hoc ideo quia in Christo cum non sit extraneitas personæ, nunquam potest gratia non dari permodum proprietatis, & perconsequens, non admodũ naturæ datur, unde non constituit Christum Filium Dei adoptivum.

Quod totum per eleganter explicari, inftari, et parificari potest in Processione Spiritus Sancti. quæ processio generatio non est sicut processio Filij. etenim, & si Pater, & Filius spirando Spiritum Sanctũ communicent Spiritui Sancto naturam divinam, quia tamen illam non communicant ad modum naturæ ideo processio Spiritus Sancti generatio non est, sicut opposita de causa est generatio processio Verbi Divini, Cuius ratio est quia cum Spiritus Sanctus procedat per Voluntatem, & exercitium voluntatis sit amor, qui est impulsus naturæ, impulsius naturæ non producit naturã s. naturã supponit, et ad illam sequitur. unde esto per processionem communicetur Spiritui Sancto naturam, non communicatur ipsi ex vi processionis ad modum naturæ, s. solum identice, & materialiter = Econtra autem processio Filij, cum sit per intellectum, & iste sit assimilativus, trahendo res ad se, taliter trahit in specie naturam Patris, quod producit Verbum communicando Verbo perfectam si-

militudinem, seu communicando ipsam naturam Patris Verbo genito, unde ex vi processionis procedit verbum in similitudinem naturae, et proinde est Filius, de quo late ad tract. de Trinit.

Replicabis ad tollendum omne scrupulum. Sed si in Christo est gratia habitualis, etiam si non communicetur Christo per se primo ad modum naturae, tamen illum debet constituere Filium Dei adoptivum, ergo vel non datur in Christo gratia, vel Christus est Filius Dei adoptivus. probatur ant. quia per Sacramenta vivorum non intenditur per se prima gratia, et aliquando illam causant, et tamen gratia prima quae per se non intenditur in Sacramentis vivorum, filium Dei adoptivum constituit hominem, ergo est quia ad constituendum Filium Dei adoptivum, non requiritur quod per se gratia intendatur, et proinde neque ut natura.

Respondeo quod hoc argumentum procedit ex aequivocatione. nam aliud est quod gratia prima seu expulsiva in exercitio peccati, per se non intendatur in Sacramentis vivorum, aliud quod etiam causata per accidens illa prima gratia non communicetur ut natura, primum est verum, secundum falsum, cum sive causata per se, sive per accidens, semper communicetur ut radix, et non ut proprietas, quomodo causatur in anima Christi. unde informa neganda est ultima consequentia.

§ V
corollaria quaedam.

Inferes primo gratiam habitualem fuisse in Christo a primo suae conceptionis instanti, et colligitur ex illo Lucae 1. quod enim ex te nascetur Sanctum vocabitur Filius Dei. et ratio est quia alias, aliquando Christus caruisset gratia, quod est inconveniens, cum talis carentia esset privativa, quippe esset talis in subiecto apto

Inferes secundo quod Christus libere se disposuit ad gratiam in illo primo suae generationis instanti, quia videlicet libera dispositio ad gratiam per exercitium liberi arbitrij, est perfectior, ut pote conveniens adultis, quam receptio gratiae sine tali dispositione ut in parvulis. et quia ut dicitur ad tract. de Angelis, isti ad gratiam se libere disposuere per exercitium sui arbitrij, ergo potiori titulo Christus quod ex professo docet D. Th. 3 p. q. 34. ar. 3.

Articulus. II.

Ad quid fuerit necessaria gratia habitualis in Christo?

§ 1

Tribus ~~[illegible]~~ conclusionibus solvitur dubium.

Sit conclusio prima. Gratia habitualis fuit necessaria in anima Christi Domini ad completam, et consumatam illius Sanctificationem: est communis inter theologos, excepto Vazquez, in presenti disp. 41. c. 4 et 5. Probatur rat.ᵉ quia perfecta, et consumata Sanctitas dicit esse radicem physicam, formalem, saltim virtualiter, in ordine operandi supernaturaliter, sed esse radicem physicam formalem in linea operandi supernaturaliter solum convenit in Christo sue gratię habituali, ergo ad completam, et consumatam Sanctitatem Christi fuit necessaria gratia habitualis. minor constat, quia gratia unionis, seu Deitas sanctificans substantialiter, solum est radix moraliter gratię et donorum in Christo existentium. unde Deitas in Christo non est principium quo operativum. Maior autem est D. Th. q. 29. de verit. ar. 1. et insuper probatur. quia Sanctitas essentialis Dei, cum conveniat Deo ratione naturę, et natura divina in Deo sit radix physica attributorum, saltim virtualiter, et sit etiam principium virtuale radicale quo operationum divinarum. omnis Sanctitas perfecta et consumata, debet et dare puritatem, et esse radicem physicam, omnium pertinentium ad lineam supernaturalem, et esse principium radicale quo operationum, quod evidenter constat non posse convenire Sanctitati substantiali in Christo.

Sit secunda conclusio. Gratia habitualis fuit necessaria in anima Christi, ut connaturaliter eliceret actus supernaturales. est etiam communis Lorca excepto, hic disp. 37. et probatur: quia ut actus supernaturalis connaturaliter eliciatur, debet provenire a principio radicali quo supernaturali; sed esse principium radicale quo operativum in linea supernaturali solum potest convenire gratię habituali, ergo ad hoc fuit necessaria in Christo. maior est nota, quia licet actus supernaturalis possit provenire a principio quo radicali supernaturali quod non sit gratia, sed auxilium transiens, tamen, hoc, vel absolute verum respectu cuiuscumque actus supernaturalis, ut de actu dilectionis Dei super omnia affirmetur ab aliquibus et valde probabiliter. quod nec de potentia absoluta potest non oriri radicaliter a gratia, vel si hoc admittatur, tamen oriri actus supernaturales ab aux.° non omnino connaturale, ergo. minor supponitur, quia esse principium radicale quo in anima Christi elevationis ipsius animę ut radicaliter operativę, non

potest convenire nisi prædicato quod uniatur cum anima vel per identitatem vel per informationem, quod totum repugnat prædicato divino dante gratiam substantialem unionis, ergo solum potest convenire gratiæ habituali. ac proinde ad hoc est necessaria in Christo.

Ulterius, quia operationes supernaturales Christi Domini v. g. actus charitatis, vel religionis sunt eiusdem infimæ speciei in Christo, & in iustis, ergo in omnibus habent idem radicale connaturale principium, ergo est gratia. Nec valet dicere quod operationes supernaturales Christi Domini sunt theandricæ, & Dei viriles, quæ dignitatem non habent operationes aliorum iustorum, ergo exigunt in Christo aliud radicale principium.

Non valet inquam hoc, quia esse theandricas, & Dei viriles in Christo, est denominatio proveniens a principio quod, ergo in principio quo conveniunt.

Sit tertia conclusio: Gratia habitualis fuit necessaria in anima Christi, ut esset connaturale principium meriti. est etiam communis, & ex materia de merit. 1.2.q.112 pendet eius veritas, cum actus ut sit meritorius debeat oriri a gratia. Item, quia ut operatio sit meritoria, debet esse supernaturalis, premium enim supernaturale meritum supernaturale supponit. Sed omnis actio ut sit ~~meritoria~~ supernaturalis, connaturali modo, debet oriri a gratia, ergo ut sit meritoria.

§. II.

Soluuntur argumenta.

Obiicies 1.º contra primam conclusionem. Gratia unionis continet eminenter sanctitatem, quæ præstari potest a gratia habituali, ergo gratia habitualis non est necessaria ad completam, & perfectam sanctitatem.

Respondeo distinguendo antecedens continet eminenter effective, concedo, eminenter formaliter nego antecedens, & consequentiam. ad præstandam enim sanctitatem accidentalem formalem requiritur gratia.

Obiicies 2.º contra secundam ut anima Christi eliciat connaturaliter actus supernaturales, sufficiunt virtutes supernaturales residentes in intellectu, & voluntate. ergo non requiritur gratia in anima. antecedens probatur. quia intellectus & voluntas, mediis virtutibus proximis, & auxilio transeunte possunt connaturaliter operari. Respondeo negando antecedens, & similiter ad probationem nego antecedens, & imo, & supponitur virtutes enim non possunt stare connaturaliter sine gratia. Deinde aliud est quod sine gratia, imo & sine virtutibus proximis, possint elici actiones supernaturales supplente defectum auxilio supernaturali transeunte, aliud quod modus iste sit connaturalis, & perfectior, unde licet dominus quod primum potest verificari, secundum neutiquam.

Obiicies 3.º contra 3.am quia actus mere naturalis elicitus a Christo D.no est meritorius. ergo ad meritum in Christo non requiritur gratia. ans probatur quia talis actus ratione dignitatis personæ est valoris simpliciter infiniti, ergo et meritorius.

Resp. distinguendo ans. talis actus esset meritorius in linea naturali, et in ordine ad premium naturale, transeat, in ordine ad premium supernaturale nego ans, et consequentiam, dignitas enim infinita stat in esse entis, sicut est in actionibus necessarijs Christi Domini, quæ ex deffectu libertatis libera non est, unde si dari potest in Christo actio naturalis libera, solum extendi potest ad premium naturale. unde si in Christo non esset gratia nullus actus esset meritorius, sicut si in Christo non esset habitus Charitatis, non posset amare Deum super omnia dilect.e supernaturali, et si non esset in eius intellectu lumen gloriæ Deum non posset videre, ut docetur. 1. p. q. 12. cum communi thomistarum.

Articulus III.

Utrum gratia habitualis sit infinita? in anima Christi Domini?

§. unicus
resolvitur dubium.

Sit conclusio gratia habitualis in anima Christi Domini physice infinita non est, esto moraliter et in esse gratiæ possit dici infinita. Prima pars conclusionis patet ex Physica, ubi probatur repugnare aliquam creaturam infinitam, vel in esse entis, vel in esse qualitatis, vel alio quovis physico modo. Secunda autem pars, ex eo patet quia Christi anima habuit gratiam, in maiori intensione possibili de lege ordinaria, et quia est causa physica gratiæ in infinitis creaturis intellectualibus, si essent, ergo ad minus est moraliter infinita. videatur D. Th. in hac. q. 7. ar. 12.

Articulus IV.

Utrum fuerint in Christo Domino omnes virtutes?

§. I.

Aperitur sensus.

Virtutes, aliæ sunt intellectuales, aliæ morales, aliæ theologicæ; Non procedit quæstio de virtutibus intellectualibus, tum quia non sunt simpliciter virtutes, nec denominant habentem bonum, & studiosum, sed sapientem, seu virtuosum. Tum quia de virtutibus intellectualibus Christi agendum pertinet ad tract. sequentem de Scientia animæ Christi.

Agimus ergo in præsenti de virtutibus tam moralibus, quam theologicis, de inde virtutes morales aliæ sunt pure naturales, aliæ supernaturales. = rursus virtutes naturales ex se, & ex natura sua sunt acquisibiles nostris actibus, ut docet D. Th. ad libros Ethicorum, & Politicorum Aristotelis, verum hoc non tollit quod ~~possint~~ possint infundi a Deo sine nostris actibus. – Virtutes supernaturales per se sunt infusæ, cum oriantur ut proprietates a gratia, hic ponitur

§. II.

Statuitur prima conclusio.

Sit prima conclusio. omnes virtutes supernaturales morales, per se infusæ fuerunt in Christo Domino, excepta pœnitentia. probatur primo quia in Christo concedendæ sunt omnes virtutes, quæ cum unione hypostatica, & visione beatifica ipsius sunt compatibiles, sed omnes virtutes morales supernaturales, & per se infusæ, excepta pœnitentia, compatibiles sunt cum unione hypostatica, & visione beatifica, ergo omnes fuerunt in Christo excepta pœnitentia.

Secundo quia virtutes morales supernaturales & per se infusæ, consequuntur ad gratiam habitualem, ut proprietates ad essentiam, ut docet 1. 2. q. 112. etc. quando adest incapacitas subiecti, aliqua vel aliquæ respectu cuius vel quarum est incapacitas non sequuntur, ut diximus supra in hac disp. 9. ar. 1. §. 1. sed in Christo fuit gratia habitualis. ergo, & virtutes de quibus est sermo.

Iam iam specialiter probatur quod in Christo non fuerit Pœnitentia. quia cui repugnat actus primarius alicuius habitus, vel potentiæ, & repugnare habitus vel potentiæ est necesse, quia ut dicitur in Metaphysica habitus specificatur ab actu, & repugnante specificativo, & specificatus implicare videtur sed Christo repugnat actus primarius virtutis pœnitentiæ ergo & pœnitentia. probatur minor, quia actus primarius virtutis pœnitentiæ, respicit ut materiæ peccatum

proprius præteritum, unde est dolor de peccatis præteritis, detestatio illorum, vel propositum de illo iterum non committendo, sed actus iste, vel quilibet horum, si forte sunt plures, Christo repugnat, ergo.

§. III.

Statuitur secunda conclusio.

Sit secunda conclusio. Ex virtutibus theologicis, sola Charitas fuit in Christo. hæc conclusio cum sit exceptiva probatur quoad suas partes. Et pars affirmativa patet, tum quia non est incompossibilis cum unione hypostatica, nec cum visione beatifica, imo, est principalis inter omnes virtutes Charitatis; ergo fuit in Christo. Item, quia existente actu primario habitus necess° existit habitus, sed in Christo fuit actus dilectionis Dei super omnia ergo Charitas. Hinc probatur pars negativa, quia ut supra dicebamus ubi repugnat actus primarius alicuius habitus, repugnat habitus, sed in Christo repugnat actus primarius fidei, et spei, ergo fidei, et spei non dantur in Christo. probatur minor, ubi repugnat obiectus repugnat actus. sed relate ad Christum repugnat obiectus fidei, et spei, ergo actus primarius, probatur minor, obiectus primarium fidei, est Deus obscure revelatus, et obiectus spei est Deus ut non possessus idest ut bonum arduum possibile futurum, sed Christus clare videbat Deum, et illum possidebat ab initio. ergo relate ad Christum repugnat obiectus fidei et spei. Dices. quod Christus sperabat gloriam sui corporis, et sui nominis exaltationem, sed non per alium actum, nisi spei, ergo spes non est releganda a Christo. Resp. negando minorem, repugnante enim actu primario alicuius habitus, et repugnare habitum est necesse, unde ille actus eliciatur in Christo ab alia virtute, nempe ab habitu Charitatis, sicut etiam in beatis elicitur ab habitu Charitatis actus quo sperant gloriam corporis. Charitas enim amat illud obiectum, quatenus conducit ob iectum illud possessum ad maiorem Dei gloriam.

§. IV

Statuitur tertia conclusio.

Sit tertia conclusio. Virtutes morales naturales, per se acquisibiles fuerunt etiam in Christo Domino, per accidens infusæ, inque primo eius conceptionis instante. — Probatur hæc rat. theologica, omnis perfectio compossibilis cum unione hypostatica, et visione beatifica, concedenda est in Christo, sed habere omnes virtutes morales, est perfectio, et alias compatibilis et cum unione hypostatica, et cum visione beatifica Christi Domini ergo omnes virtutes morales naturales per se acquisibiles fuerunt in Christo per accidens infusæ. maior est principijs communiter admissum a theologis.

cum D. Th. infra q. 19. ar. 3. minor autem quoad primam partem, nempe quod habere virtutes naturales sit perfectio, est evidenter notum, virtus enim ut dicit Philosophus bonum constituit habentem; tum, quia carentia illarum est imperfectio positiva, ergo possessio est perfectio, quoad secundam partem etiam constat, cum nullum caput incompossibilitatis possit assignari. tum, quia actus primarius cuiuscumque virtutis moralis naturalis, versatur circa bonum, ergo admitti debet in Christo.

Confirmatur, paritate virtutum intellectualium naturalium, videlicet scientiae per se acquisibilis, quia in intellectu Christi Domini praeter scientias per se infusas, admittuntur scientiae naturales, acquisibiles. ergo & in voluntate Christi debent admitti virtutes morales naturales. praeter virtutes supernaturales infusas, antecedens supponitur ex tractatu de Scientia Christi, & facile probatur quia alias intellectus agens in Christo superflueret, & non esset cum non haberet actum, nempe depurare species a materia, ut deservirent scientijs naturalibus. praeterquam quod constat ex Evangelio. Iesus autem proficiebat sapientia, & aetate. Luc. c. 2. consequentia patet a paritate eius rationis.

§. V.

Solvuntur argumenta.

Obijcies contra primam, & secundam conclusionem, Virtutes omnes supernaturales infusae tam morales, quam Theologica, sunt superfluae in Christo, ergo non sunt in Christo constituendae. antecedens probatur, virtutes supernaturales dantur in potentijs ad illis praestandam tum facilitatem, tum facultatem operandi in linea supernaturali, sed utrumque habebat Christus, et quaelibet ipsius potentia, perfectissime ratione unionis, ergo tales virtutes sunt superfluae.

Respondeo negando antecedens, & ad probationem distinguo maiorem, ad praestandam facilitatem, & facultatem per modum principij quo proximi, concedo maiorem, per modum principij quod, vel alio modo, nego maiorem, sed utrumque habebat Christus ratione unionis, ut quod & non ut quo, sed alio modo transeat minor, ut quo & per modum principij proximi nego minorem, & consequentiam. etenim sicut gratia est principium quo radicale, ita virtus quaelibet est principium quo proximum, & de ratione utriusque principij, sive radicalis, sive proximi, est vel identitas vel informatio, in toto ubi est quorum utrumque repugnat formae seu quasi formae praestanti sanctificationem formalem substantialem seu gratiae unionis in Christo.

Contra tertiam conclusionem obiicies primo cum Lorca, actus cuiuslibet virtutis naturalis moralis, repugnat Christo ratione perfectionis unionis hypostaticæ, ergo & in Christo repugnant virtutes morales, conseqª pt. quia repugnante specificativo non potest non repugnare specificatum. ans probatur, quia Christus ratione suæ perfectionis semper operabatur ex motivo supernaturali, sᵈ. hoc ipso actus quilibet liber, erat supernaturalis, ergo elicitus a virtute supernaturali; ac proinde actus virtutis naturalis repugnat Christo.

Respondeo negᵈᵒ ans, & ad probationem distinguo maiorem, semper operabatur ex motivo supernaturali, & alias tenebatur ad hoc nego maiorem, & alias non tenebatur ~~[illegible]~~ concedo maiorem poterat enim operari ex motivo mere naturali; prEterquam quod, etiam si demus quod tenebatur ad operandum semper ex motivo supernaturali, tamen ut actus esset supernaturalis sufficit quod actus mere naturalis ex obiecto, ordinaretur ex fine extrinseco, videlicet ex fine operantis, ad aliquod supernaturale, unde debebat elicere actum entitative naturalem, proindeque erat necessaria virtus naturalis ad eliciendam entitatem actus, & iuxta hanc secundam solutionem distinguo etiam maiorem, operabatur ex motivo supernaturali, si sermo sit de motivo extrinseco operis concedo maiorem, si de motivo intrinseco operis nego maiorem, & distinguo minorem, erat actus hoc ipso supernaturalis entitative nego minorem, accidentaliter extrinsece concedo minorem, & nego primam & secundam consequentiam.

Obiicies secundo, virtutes morales naturales residentes in parte concupiscibili, vel irascibili, ordinantur ad frenandas passiones ipsius appetitus sensitivi, ut docet D. Th. 1. 2. q. 60. ar. 2. sed in Christo nec fuerunt nec potuerunt esse passiones frenandæ, ergo non fuerunt in Christo illæ virtutes.

Respº distinguendo maiorem ordinantur per se primo ad frenandas passiones, nego maiorem, per se secundo concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam. virtus enim per se primo ordinatur ad attingendum suum obiectum, quod est bonum, secundum electionem rectam, qui actus non repugnat in Christo, temperantia enim non solum servit ad coercendam gulam sᵈ. ad eligendam moderationem cibi. liberalitas similiter non solum servit ad frenandam avaritiam, sᵈ ad eligendam mediocritatem, distribuendo divitias, vel ad divitias despiciendas, & sic de aliis.

Obiicies tertio, ubi nulla est difficultas vincenda superfluit virtus, quo pacto in Deo non admittitur formalitas habitus virtualiter distincti ab intellectu & voluntate, quia intellectus & voluntas divina, nullam habere possunt difficultatem. Sᵈ. in Christo nulla est difficultas vincenda, ergo superfluit virtus moralis. probatur minor. difficultas vincenda nascitur ex insurgentia passionum sᵈ. in Christo non sunt passiones, ergo in Christo nulla est difficultas vincenda.

Respondeo concessa maiori nego minorem, & ad probationem, distinguo maiorem omnis difficultas nascitur ex insurgentia passionum, nego, aliqua concedo, maiorem, & min. & nego consequentiam. duplex enim est difficultas, prima in eliciendo extra prompta actus, alia extra ex passionibus retardantibus. ista non erat in Christo illa erat, eo quia cum eius voluntas esset entitas creata, ex se expedita non est ad omnes actus cuiuscumque speciei, & ad hoc deserviunt virtutes morales.

§. VI.

corallaria notatu digna.

Inferes primo fuisse in Christo Magnificentiam, Liberalitatem, Iustitiam vindicativam, Eutropeliam, & Phylotimiam. Probatur singillatim, & de tribus primo enumeratis patet, quia actus primarius earum non repugnat Christo, ergo sunt in Christo. ans probatur. quia Magnificentia, & liberalitas respiciunt pro materia divitias, non solum ut distribuendas, sed ut contemnendas, sed Christus perfectissime despexit divitias, ergo exercuit actum primarium illarum virtutum. = Deinde actus iustitię vindicativę est duplex primus petere a legitimo Iudice ultionem peccati, secundus iniurias suas proprias, vel Dei defendendo propulsare. ut docet D. Th. 2.2. q. 108. ar. 1. et 2. sed neuter actus repugnat Christo, imo utrumque exercuit, primum quando Iudęis dixit. qui sine peccato est vestrum primus in eam lapidem mittat. Ioann. 8. ut notat Aug. tract. 33 in Ioannem. deinde contumelias proprias repulsavit, quando dixit ego dęmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum vos autem inhonorastis me, Ioann. 8. v. 29. Dei autem iniurię propulsavit quando ex funiculis facto flagello eiecit vendentes, & ementes de templo. Ioann. c. 2.

De virtute Eutropelię probatur quia sicut materia circa quam versatur liberalitas, & magnificentia, sunt divitię non solum ut dispensandę, sed etiam ut contemnendę, sic materia virtutis Eutropelię quę ludi, & ioci sunt, non solum moderate exercitando ludos, & iocos, quando, ubi, & quomodo licet, sed etiam ut refrenandos, & contemnendos. ut docet D. Th. 2.2. q. 168. ar. 2. unde ista virtus fuit etiam in Christo perfectissime efficaciter respuendo ipsos. quia ut notat Caiet. dedecent ludi, & ioci agentem de rebus magnis qualis erat Christus. addunt aliqui quod actus conditionalis circa ipsos fuit in Christo.

De virtute Phylotimia probatur, quia non repugnat in Christo eius actus qui est appetere parvos honores, ut docet D. Th. 2.2. q. 129. ar. 2. & q. 130. ar. 9. & 1.2. q. 60. ar. 1. unde licet Christo ex dignitate personę magni honores deberentur, tamen ex alijs capitibus, ipsi parvi honores deberi poterant, & eos defacto acceptavit quando pueri clamabant, Osana filio Dabid.

Inferes 2º Christum Dominum habuisse virtutes supernaturales infusas a primo suę conceptionis instante in omni intensione possibili de lege ordinaria, esto entitatiue fuerint finitę, patet quia debent commensurari cum gratia a qua oriuntur, sed gratia fuit in Christo Domino a primo suę conceptionis instante cum omni intensione possibili, esto entitatiue fuisset finita, ut ex dictis patet, ergo idem dicendum est de virtutibus supernaturalibus infusis.

Vlterius quia Christo concedere debemus; quidquid maioris perfectionis est, si alias non pugnat cum munere Redemptoris, ut est communis theologorum consensus cum D. Thom. infra, q. 19. ar. 3. Sed habere virtutes supernaturales infusas a primo instanti cum omni intensione possibili iuxta taxationem divinę providentię, est perfectio, ut de se patet, cum eorum carentia, vel absoluta, vel gradualis, sit vel imperfectio, vel minor perfectio, & alias non pugnat cum munere Redemptoris, ut de se etiam patet. ergo tenet illatio.

Inferes 3º quod etiam a primo suę conceptionis instanti habuit virtutes morales naturales, per se acquisibiles, infusas per accidens, quod probatur eisdem rationibus factis modo, & insuper quia esto virtutes morales naturales sint per se acquisibiles dignius, & perfectius est habere illas esto infusas ab initio temporis, quam per aliquod tempus illis carere, ut daretur locus acquisitioni illarum.

Dices quod maioris perfectionis est habere aliquid per se, & a se, quam illud habere ut ab alio communicatum, ergo perfectius est quod Christus aliquando illis caruisset, ut illas suis actibus acquireret.

Respondeo quod anis solum est verum, in casu quo carentia, non denominaret imperfectum, in linea moris, & cum carentia talium virtutum denominaret imperfectum, esset enim carentia formę in subiecto capaci. ac proinde melius est habere illas ab initio esto per infusionem, quam illis aliquando carere.

Replicabis carere Christum scientia naturali experimentali & per se acquisita, per aliquod tempus imperfectio non est, nec comparative nec ~~comp~~ absolute, unde illam de facto suis actibus acquisiuit, iuxta illud Iesus autem proficiebat sapientia, & ętate. ergo similiter debet dici de virtutibus moralibus per se acquisibilibus.

Respondeo negando consequentiam & paritatem disparitas ergo est, quia scientia, non est simpliciter virtus, ut opposita vitio, compatitur enim cum peccato, unde non denominat habentem moraliter perfectum,[+ sed tantum sapientem.] & proinde eius carentia imperfectio non est. Virtus autem naturalis moralis denominat habentem bonum, & perfectum, est enim virtus dispositio perfecti ad optimum unde eius carentia, est positiva imperfectio, repugnans proinde Christo. unde & si detur locus adhoc ut Christus acquirat suis actibus scientias naturales, non datur locus ad morales virtutes acquirendas.

Articulus V.

Qualiter in Christo fuerit Donum Timoris?

§ I

Proponitur ratio duvitandi.

Supponit titulus fuisse in Christo Domino Donum timoris, & merito quidem cum certum sit certitudine Fidei fuisse in Christo Spiritus Sancti dona quorum est unum timor. iuxta illud Isaię. cap. 11. Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientię, et Intellectus, Spiritus Consilij, et Fortitudinis, Spiritus Scientię, et Pietatis, et replevit eum Spiritu Timoris Domini in quibus verbis Prophetam loquutum fuisse de Christo secundum humanitatem tenet communis Patrum, Expositorum, et Scholasticorum sententia. Et insuper facile ratione probatur quia Spiritus Sancti Dona consequuntur ad gratiam, & charitatem, ut docet D. Th. 1. 2. q. 68. ar. 5. & communiter Theologi, sed in Christo fuit gratia habitualis, & Charitas, perfectissimo modo, ut iam dictum est, ergo & Spiritus Sancti dona. Tum quia per Dona Spiritus Sancti disponitur quis ut recte moveatur ab eodem Spiritu & ad ferendum iudicium de rebus divinis per altissimas causas, et ad exequendum faciliter, et prompte, quidquid convenit ad maiorem Dei gloriam, sed Christus fuit sic recte dispositus, ergo fuerunt in Christo Spiritus Sancti dona.

Difficultas ergo presens reducitur ad modum, vel circa modum, quo fuerit in Christo donum Timoris? et ratio dubitandi est, quia cum proprium exercitium Timoris sit fuga mali, saltim ut apprehensi, futuri, & practice possibilis, et difficile vitabilis, videtur quod nullo modo potuit esse in Christo Timor, Et ratio est quia malum circa quod per modum fugę versatur Timor, debet prudenter considerari & apprehendi ut imminens, futurum, practice possibile, & difficile vitabile, quorum neutrum in aliquo malo potest prudenter apprehendere Christus, ergo in Christo non potuit esse donum Timoris, probatur minor quia malum, vel est malum pœnę, vel est malum culpę, sed neutrum potest convenire Christo, ergo neutrum potest Christus apprehendere ut futurum, & practice possibile. probatur minor et in primis malum pœnę, est materia Timoris servilis, qui Timor absdubio non fuit in Christo, = tum etiam quia malum pœnę, est malum pœnę, ut illata ex culpa, quę impossibilis est Christo, unde & est impossibile convenire Christo malum culpę, & pœnę, ergo videtur quod nullus Timor, neque etiam castus, et filialis habet locum in Christo.

§. II.

Referuntur sententiæ.

Ex hac ratione dubitandi oritur sententiarum diversitas, & omnia ut ...

sententia Abailardi, negantis in Christo donum Timoris. Prima sententia docet fuisse in Christo donum Timoris, solum quoad habitum, non vero quoad aliquem actum, pro ista sententia refertur Durandus, in 3. dist. 34. q. 3. n. 5. eo quia ibi concedit in Beatis donum Timoris solum quoad habitum = caeterum immerito refertur pro ista sent.ª Durandus, cum ibidem solut.e ad 1. doceat diversam esse rationem de Beatis, & de Christo, eo quia Christus simul fuit Beatus, & Viator. unde esto in Beatis dona Spiritus Sancti perficientia circa vitam activam potentias, doceat esse solum quoad habitum, & in Christo aliter esse discurrendum videtur docere fuisse in Christo donum Timoris etiam quoad aliquem actum. ex quo mihi persuadeo hanc sent.ª imputari Durando, ut habeant quod impugnent.

Secunda sententia videtur distinguere in Timorem virtutem, & Timorem donum Spiritus Sancti, & docet Timorem virtutem non fuisse in Christo nec quoad habitum, nec quoad actum proprie, s.d solum similitudinarie; Timorem vero, qui est donum Spiritus Sancti fuisse in Christo proprie, & quoad habitum, & quoad actum. ita Ægidius lusitanus. tom. 3. de Beatitudine. libro. 5. q. 10. ar. 2. §. 5. Turrianus 2.2. disp. 71. & alij.

Tertia sententia absolute docet Donum Timoris fuisse in Christo etiam quoad actum qui est fuga mali, et culpæ imminentis, non ut futuræ, & practice possibilis, omnibus inspectis, s.d ut absolute, & speculative possibilis naturæ secundum se, & præscindendo a tali individuatione, & circunstantijs. hæc sent.ª modo postea explicando est communior, inter nostrates, & alios.

§. III.
Præmittuntur aliqua.

Pro quæstionis intelligentia, & veritatis explicatione, sciendum est quod obiectum primarium Timoris, est Bonum simpliciter, unde eius actus primarius, circa bonum debet versari, & si ex consequenti respiciat malum per modum fugæ, ac per consequens, fuga mali, vel est actus secundarius, vel si ipsa fuga mali includitur in actu primario & prosequutivo boni, includitur in adæquate & quasi in obliquo. Quæ suppositio probatur ex D. Th. in hac q. 7. ar. 6. in corp. & solut.e ad 2. ubi hæc habet verba ✝ Dicendum quod habitus virtutis & donorum proprie, & per se, respiciunt bonum, malum autem ex consequenti pertinet enim ad rationem virtutis, ut opus bonum reddat. & ideo de ratione doni Timoris, non est illud malum quod respicit Timor, sed eminentia illius boni, scilicet divini, cuius potestate aliquid malum infligi potest. * ex quibus verbis sic probatur suppositio hæc: quia habitus cuius primarium obiectum est bonum, non potest respicere fugam primario; sed obiectum doni Timoris est bonum, ergo Donum Timoris non respicit fugam ut actum primarium. Tunc sic ultra, sed illud Bonum in quo consistit obiectum

Timoris. videlicet Divina Eminentia ut potest infligere malum, non est bonum absolutum, sed aliquomodo relativum, videlicet est bonum connotans malum, a quo deviat, & fugit, ergo vel fuga est actus secundarius, vel si includitur in actu primario, est quasi inadequate. in obliquo, & de connotato.

Secundo Supponendum est quod malum quod respicitur ab obiecto Timoris, vel est malum pœnæ, ut illatæ ex culpa, vel est malum ipsius culpæ, præcindendo a pœna, & unice inspiciendo culpam quia est offensa Dei, separans a Deo intellectualem creaturam. utrumque enim malum timeri potest. = Et ex hac divisione mali oritur divisio Timoris, alius enim est Timor servilis; alius est reverentialis, filialis, & castus. Timor servilis respicit malum pœnæ illatum ex culpa. qui ideo dicitur servilis, quia solum respicit commodum proprium, non vero movetur ex bonitate Eminentiæ divinæ. unde iste actus absolute non est bonus, cum sit compatibilis cum affectu ad culpam. ~~absolute~~ ad summum potest dici initiative bonus, cum sit ab Spiritu Sancto, quando quidem ex Timore pœnæ retrahitur homo a culpa. unde D. Th. 2.2. q.19. ar.9 in corp. postquam exclusit a ratione doni Timorem pure humanum, per hæc verba * Dicendum quod multiplex est Timor, ut supra dictum est, Timor humanus, ut dicit Aug. in lib. de grat. & lib. arb. non est donum Dei, hoc enim Timore Petrus negavit Christum.* postea paucis interpositis prosequitur Angelicus Magister * Similiter autem Timor servilis non est numerandus inter septem dona Spiritus S., licet sit a Spiritu S.to quia ut Augustinus dicit, libro de natura & gratia, potest habere annexam voluntatem peccandi. * perquæ verba excludit Angl. M. Timorem servilem a ratione Doni Spiritus S.ti

Timor autem reverentialis, filialis, & castus, qui abs dubio donum est Spiritus Sancti, respicit malum culpæ, ast cum istud malum dupliciter possit inspici a divina eminentia, ideo Timor iste reverentialis, filialis & castus est in duplici differentia, alius enim est Timor securus & quietus, alius est anxius, & solicitus. = Quippe malum culpæ potest primo considerari ut connotatum a divina Eminentia obscure cognita, ut cognoscitur a Viatoribus, unde illud malum cognoscitur ut imminens, futurum, practice possibile & difficile vitabile, & iste Timor est Sanctus, ortus videlicet ex amore Dei et ex odio culpæ, & talis Timor causat anxietatem qua timet separari a Deo unde causat solicitudinem, & curat vincere difficultatem quæ insurgunt contra pacem animæ, & iste dicitur & est Timor reverentialis, filialis, & castus verum non ut cumque, sed Anxius, & Solicitus, et est in Viatoribus. dum sunt in carne mortali, qui etsi sint in gratia, tamen considerant, quod attenta fragilitate naturæ, hoc malum culpæ, est practice possibile. & Timor iste

dicitur initium Sapientiæ a Propheta Psal. 110. quando quidem ex isto Timore oritur vigilantia in intellectu, ad præcavendas vias pravas.

Secundo potest cognosci malum culpæ, ut connaturatum a Divina Eminentia potente secundum se & ut consideratur prop[r]iori ad omne decretum liberum divinæ voluntatis permitti, & causari, in natura humana, etiam secundum se, & attenta conditione naturæ, prout cognitæ sine donis accidentaliter ipsi convenientibus ratione status. licet alias cognita natura induta donis quæ ratione status ipsi conveniunt, natura consideretur & sit impeccabilis, & firmata in bono qualis est natura humana Christi Domini, & natura cuiuscumque Beati, quandoquidem sub illa circumstantia & statu natura est impecabilis, in Christo ratione unionis hypostaticæ, & in Christo, & in Beatis, ratione visionis beatificæ, & quia cognoscunt decretum efficax liberum Dei, de non permittendo aliqd. & per totam æternitatem culpam. Et iste timor dicitur reverentialis, filialis, & Castus, & etiam Securus & quietus, quo Timore ut canit Ecclesia in præfatione Missæ, * tremunt Potestates, * & in hymno Ascensionis dicit Ecclesia, * Tremunt videntes Angeli * & in lib. Job. cap. 26 dicitur * Columnæ cœli pavent, & contremiscunt, ad nutum eius * quem locum explicans D. Greg. Mag. lib. 17 Moralis. cap. 15, ait * Columnæ Cœli contremiscunt, & pavent ad nutum eius, ipsæ enim virtutes cœlestium, quæ Deum sine cesatione conspiciunt, in ipsa contemplatione contremiscunt, sed idem tremor ne eis pœnalis sit, non Timoris est, sed admirationis, quia scilicet admirantur Deum, ut supra se existentem, & in eis incomprehensibilem.

Malum ergo istud culpæ, sub ista considerat.e & præcisione absolute est possibile sufficiens ad specificandum donum Timoris, reverentialis filialis, casti, & securi, ut potentem malum contentum in divina Eminentia secundum se, & potens convenire naturæ creatæ secundum se. quibus positis. sit

§. IV. Presens dubium resolvitr.

~~[illegible]~~

Sit prima conclusio. In Christo domino datur donum timoris saltim quo ad habitum. Et probatur breviter. quia de fide est dari in Christo donum timoris, ut constat ex præcitato loco Isaiæ; Sd. in sententia communissima, & in via D. Thæ certa, donum Timoris, sicut quælibet virtus, & quodlibet aliud Spiritus Sancti donum, consistit in habitu. ergo datur in Christo donum Timoris quoad habitum.

Sit Secunda conclusio. In Christo datur etiam donum Timoris, etiam quo ad actum saltim primarium, imo & quo ad actum fugæ, si fuga mali est actus secundarius distinctus ab actu primario.

Prima pars probatur. primo a paritate. quia in Beatis, etsi sint impeccabiles datur, iste actus primarius, columnæ enim Cœli, (idest Beati) contremiscunt, ergo & in Christo. — Secundo probatur apriori. quia ubi repugnat actus primarius, necesse est repugnare habitum, S.d habitus Timoris datur in Christo, ergo et quia non repugnat actus primarius. minor supponitur probata in prima conclusione, conseqª infertur, & maior est principium notum ex Metaphysica & ratio est. quia repugnante specificativo, necesse est repugnare specificatum implicat enim aliquid esse sine specificativo sui ipsius, S.d universaliter loquendo omnis habitus, & omnis potentia, specificatur ab actu primario, ergo ubi repugnat actus primarius necesse est repugnare habitum. Syllogismus est evidens, factus in celarem, æquivalet enim huic alteri syllogismo: Nullum specificatum est sine suo specificativo, S.d omnis habitus specificatur a suo actu primario, ergo nullus ~~actu~~ habitus est sine suo actu primario. conseqª est optima, & in prima figura, & utraque præmissa evidens.

Tertio. ~~Secundo~~ probatur eadem pars, quia si propter aliquam rationem non daretur actus primarius Timoris in Christo maxime quia diceret imperfectionem incompatibilem cum perfectionibus Christi, S.d nulla sequitur imperfectio cum perfectionibus Christi incompatibilis, ergo nullum est caput ad negandum actum primarium Timoris in Christo. cætera patent, & probatur minor. revereri divinam eminentiam ut secundus se & propriori ad omne decretum liberum divinæ voluntatis, potentem absolute permittere malum, naturæ humanæ Christi, secundum se, & ut consideratur præcissive tum ab unione hypostatica, tum a visione beatifica, est actus undequaque bonus, compatibilis cum perfectionibus Christi videlicet cum eius impeccabilitate, S.d iste actus reverentialis sic respiciens divinam Eminentiam est actus primarius, doni Timoris, filialis, casti, & securi, prout distinguitur a Timore filiali anxio, & solicito, qui reperitur in viatoribus, ergo ex eo quod detur actus primarius Timoris in Christo nulla sequitur imperfectio incompatibilis cum perfectionibus Christi. maior patet. quia talis actus compatitur cum impeccabilitate Beatorum ergo, & compatitur cum impeccabilitate Christi. ans constat ex autoritatibus præcitatis, & insuper. talis actus ponitur in Beatis a D. Th. 2. 2. q. 19. ar. 10. in corp. ergo & in Christo, quia licet Christus sit ex pluribus capitibus impeccabilis, quam Beati, hoc non facit maiorem impeccabilitatem. Secundo probatur eadem maior, quia talis actus respicit pro obiecto bonum, ut patet, ergo non repugnat Christo.

Secunda autem pars probatur, quia vel fuga mali,

includitur inadequate in prosecutione boni, qua tendit actus primarius Timoris in Divinam Eminentiam. ut in notabilibus diximus, vel est actus adequate diversus a tali actu primario, Si primum, stante tali actu, ut probatum relinquimus nequit non esse talis fuga mali in Christo, si secundus etiam est actus potens convenire Christo. ergo. probo secundam partem dilematis, quia talis fuga directe & primario respicit bonum ut bonum, ergo potest convenire Christo ans probatur, quia certo respiciat malum, est sub ratione boni, nempe ut fugabile, ergo respicit bonum, ut bonum, fuga enim cum motus sit duo dicit, & terminum a quo, & ad quem, terminus a quo est malum, ut malum, terminus ad quem, est bonum,

Quod parificari potest in virtute pœnitentiæ, quæ quia virtus, suum obiectum debet esse bonum ut bonum, ut dicit D. Th. in presenti ar. 2. Solut. ad 1m. per hæc verba: * dicendum quod habitus virtutum, & donorum proprie, & per se respiciunt bonum, malum autem ex consequenti * unde certo materia circa quam versatur pœnitentia sit peccatum, quia tamen respicit peccatum, ut satisfactibile, & delebile, respicit peccatum sub ratione boni, ergo similiter fuga, quæ est actus timoris, ex parte termini ad quem respicit bonum, etsi fuga habeat pro termino a quo malum, & exceatur circa malum.

§. V.
Solvuntur argumenta.

Obiicies 1º. actus Timoris est impossibilis Christo, ergo & habitus Timoris, consequentia patet ex dictis probatur ans. actus timoris est inintelligibilis quin respiciat malum ut possibile, sed malum culpæ, quod est malum inspectum a timore filiali & casto est impossibile Christo, ergo actus timoris est impossibilis Christo.

Resp. nego ans, & ad probationem distinguo maiorem, actus timoris est inintelligibilis quin respiciat malum ut possibile, si sermo sit de timore filiali anxio, omitto, si de timore filiali securo, subdistinguo respicit malum possibile, possibilitate practica, nego maiorem, possibilitate speculativa, iterum subdistinguo, relate ad naturam creatam, secundum se, & in sensu diviso a circumstantiis ipsam concomitantibus, videlicet impeccabilitatis, sive ratione unionis hypostaticæ in Christo, sive ratione visionis beatificæ in Christo & in beatis. & similiter possibilitate speculativa attenta divina Eminentia secundum se, & pro priori ad omne decretum liberum suæ voluntatis, potente illius causare concedo, est malum possibile practice, vel speculative, omnibus inspectis, & in sensu composito impeccabilitatis nego maiorem, & distinguo minorem eisdem terminis & subdistinctionibus, & nego consequentiam, solutio patet ex secundo notabili.

Ex his ad rationem dubitandi, patet Solutio, distinguendo de Timore servili, & Filiali, & rursus distinguendo Timorem Filialem in anxium, & securum & concedendo solum in Christo Timorem Filialem seu castum & reverentialem, qui securus est.

Obicies secundo Timor non componitur cum perfectionibus Christi, ergo excludendus est a Christo. ans probatur, Timor non componitur cum perfectissima Charitate, S. in Christo fuit Charitas perfectissima, ergo Timor non componitur cum perfectionibus Christi, probatur maior ex illo Ioann. in Epist. 1. cap. 4. ubi dicit: * Perfecta Charitas foras mittit Timorem *

Resp. distinguendo de Timore servili & filiali praesertim securo, perfecta Caritas foras mittit timorem servilem, non autem excludit Timorem filialem, sive sit securus, sive anxius, unde si timorem filialem anxium non excludit, potiori titulo nec filialem securum. Solutio est D. Thomae in praesenti ar. 6. a 3. arg. qd erat idem istud. est etiam haec Solutio D. Aug. super Ioann. tom. 9. tract. 9. in cap. 4. Epistolae 1. ubi conferendo Augustinus, ista verba Ioannis, cum verbis Prophetae Regij ex Psal. 18. Timor Domini sanctus * Sanctus permanens in saeculum saeculi. * in haec elegantissime prorrumpit verba * Audivimus duas tibias consonantes: ille de timore dicit, & ille de timore loquitur; Sed ille, (idest Evangelista) de Timore, quo timet anima ne damnetur; ille (idest Psalmista Rex) de Timore, quo timet anima ne deseratur: ille est Timor quem Charitas excludit, ille est Timor permanens in saeculum saeculi. *

Poterant alia quae plura obici argumenta, sed illa ex dictis facile solvuntur, & ne plus iusto immoremur quia plura deserat. Legat M. M. Ioann. a S. to Toma. 2. 2. & Illustrissimum Godoy in praesenti, & alios Thomistas qui per elegan ter de hac virtute, & dono loquuntur.

§. VI.

Corollaria notatu digna.

Inferes Virtutem sive Donum Timoris non esse virtutem Teologalem, sed tantum moralem, quia virtus Teologalis habet pro obiecto tam ut quod, quam ut quo considerato Deum, Timor autem et si respiciat divinam Eminentiam, quae abs dubio praedicatum divinum est, tamen illam non respicit in recto, & ut obiectum quod, sed ut connotatum essentiale in respectum ab obiecto quod Timoris quod est malum, non ut cum, sed ut fugibile quo pacto obiectum bonum est.

Inferes etiam Timorem distingui a virtute Religionis, & a virtute humilitatis, quae etiam respiciunt ut connotatum, divinam Eminentiam, verum aliter ac Timor, Timor enim respicit divinam eminentiam ut potentem infligere malum. Religio respicit divinam eminentiam, ut digna est Cultus, & adorationis. unde illam respicit, ut in supremo Domino Creatore omnium, Humilitas respicit divinam Eminentiam, ut superiorem quo pacto digna est ut ipsi omnia subiiciantur.

DISPUTATIO DECIMA DE GRATIA CHRISTI CAPITALI

Ad. Q. 8. D. Th.

Articulus * 1. *

Utrum Christus, ut homo, sit caput Ecclesiae?

§ 1
Sensus dubij explicatur. Solvitur quaestio.

Pro quaestionis intelligentia supponendum est, quod in titulo, illa particula ut non sumitur reduplicative, sic enim includeret sensum causalem, in quo sensu esse falsam propositionem nostram est. Sumitur ergo lij ut specificative, ita ut sensus sit quod humanitas sit subiectum quo gratiae constituentis Christum caput respectu Ecclesiae.

Conclusio est affirmativa, est communis theologorum asserentium Christum non solum ut Deum, sed etiam ut hominem esse caput totius Ecclesiae. est expressa in Sacris litteris. ait enim Ap. ad Colosenses. 1. Christus est Caput corporis Ecclesiae. idque docet 2 ad Colos: et alibi passim. praesertim 1. ad Corinth. 12. et ad Rom. 12.

Deinde probatur rat. qua utitur Angelicus Mag. in praesenti. ar. 1. nam Christum esse Caput misticum Ecclesiae dicit per analogiam, et similitudinem ad Caput humani Corporis. S. Christo homini convenit ista similitudo, ergo Christus ut homo, est caput Ecclesiae. probatur min. nam caput hominis tria habet ratione quorum praeeminet, ceteris partibus, nempe, ordinem superioritatem, perfectionem, et virtutem, est enim prima hominis pars, adeoque omnia ordinans, est etiam perfectior quia in capite vigent sensus interni, et externi, habet etiam virtutem seu causalitatem, quia omnes alij motus partium a capite derivantur, et gubernantur. S. haec omnia Christo conveniunt respectu Ecclesiae. est enim primus, ut docet Ap. in loco citato ad Colosenses. 1. est principium, et primogenitus mortuorum. habet perfectionem ut ibidem dicit Ap. quia in ipso complacuit totam plenitudinem divinitatis inhabitare, et habet virtutem, et causalitatem in omnes, ut ibidem docet Ap. et per eum reconciliare omnia in ipsum, et Joann. 1. de plenitudine eius accepimus.

Dices si esset caput esset membrum, S. membrum non est, ergo nec caput. minor. patet, quia membrum dependet ab alijs compartibus, S. Christus non dependet, ergo non est membrum.

Aliqui concedunt simpliciter et absque distinctione maiorem, et negant minorem, et probant; ex illo Paul. 1. ad Corint. cap. 12. Vos estis Corpus Christi et membra de membro. — Vera solutio est. respondere distinguendo Ecclesia, Ecclesia enim, vel sumitur, prout includit Deum, simulque caput, vel quatenus solum dicit Ecclesia Christum ut Caput, et creaturas omnes, si primo modo sumitur

Ecclesia, Christum vere est membrum, cum ejus humanitas dependeat a Deo supremo capite; in secundo sensu, Christus non est membrum, sed solum caput. ob rationem assignatam in argumento, et ratio est, quia in hoc distinguitur caput naturale a capite mistico, et per analogiam tali, quod caput naturale simul est pars totius a quo dependet; caput vero misticum, nullo modo est membrum, sed valde improprie, quia a corpore non dependet.

Infer(es) Christum esse caput Ecclesiæ secundum humanitatem adæquate sumptam, secundum quod includit animam, et corpus, etsi principaliter sit secundum animam, quia esto gratia per quam constituitur caput recipiatur solum in anima, totam humanitatem sanctificat.

Articulus. *II*.

Per quam gratiam constituatur Christus in ratione capitis?

§. 1.

Resolvitur dubium

Vidimus in præsenti tractatu, quod in Christo Domino et est gratia substantialis unionis, et gratia accidentalis, quæ gratia habitualis vocatur, et sic unde est difficultas inter theologos quænam ex his, sit forma per quam constituitur Christus caput Ecclesiæ. Prima sententia recurrit ad gratiam unionis, ita Vazquez disp. 98. c. 9 Suarez disp. 23. Ragusa. q. 8; ar. 5. et alij. — Secunda sententia ad solam gratiam habitualem confugit. est plurium thomistarum. ita Ill.mus Araujo, Nazarius, et alij. — tertia sent.a utramque gratiam agnoscit in recto. hanc videtur docere N. N. Lana, in præsenti. disp. 2. q. 2. ar. 1. et conatur trahere ad suam sent. M. Joann. a S.to Th.a — et N. RR. Compl. Arevsa, q. 8. sect. 2. — Quarta sententia docet quod gratia constituens Christum in ratione capitis est gratia habitualis in recto, et si connotat, et in obliquo, ordinem dicat ad gratiam unionis, non ut ad rationem formalem, sed ut ad conditionem. ita videtur docere Illustrissimus Godoy in præsenti. disp. 28. et similiter Gonet. disp. 19.

Sit nostra conclusio. Sola gratia habitualis in Christo est gratia capitis adæquate, et in recto, et si in obliquo connotet gratiam unionis, non ut rationem formalem, etiam inadæquate sed ut conditionem. — Conclusio cum sit exclusiva eget probari per partes. Et in primis quod gratia unionis non sit in Christo gratia capitis, probatur. 1.o ex D. Th. in hac. q. 8. ar. 5. ad 3. ubi ait * dicendum quod gratia personalis, et gratia capitis ordinantur ad aliquem actum, et ideo gratia personalis, et gratia capitis conveniunt in essentia habitus, non autem gratia unionis * in quibus verbis non solum docet Angelicus Magister hanc partem negativam, sed

et affirmativam nostrae conclusionis, imo et rationem a priori praestat. Probatur ergo nostra conclusio ratione fundamentali, quia gratia Capitis in Christo est illa per quam Christus in quantum homo influit efficienter saltem moraliter in membra Ecclesiae. Sed hanc efficientiam non habet per gratiam substantialem unionis, ergo per gratiam unionis non constituitur caput. maior patet, nam esto Christus ~~meruerit~~ etiam efficienter physice influat in nostram iustificationem, in gratiam antiquorum Patrum solum habuit influxum moralem. probatur ergo minor, per illam gratiam habet Christus influere efficienter in membra, quae est principium meriti, seu principium quo merendi, sed gratia unionis non est principium quo efficienter merendi, sed tantum est principium quo formale, dignificans meritum, elicitum per actionem supernaturalem cuius principium quo est gratia habitualis. ergo hanc efficientiam non habet per gratiam substantialem unionis = Quae ratio bene inspecta probat etiam partem affirmativam, contentam in nostra conclusione.

Confirmatur et simul probatur utraque pars, per illam forma constituitur Christus Caput Ecclesiae, per quam constituitur Christus principium influxivum in ordine supernaturali; sed talis forma non est gratia unionis, sed gratia habitualis, ergo haec et non illa constituit Christum caput Ecclesiae. probatur minor. primo, quia gratia unionis cum sumatur a persona, vel a Deitate ut inclusa in persona, non potest esse principium operativum, neque ut quo, neque ut quod, cum personalitas non sit operativa. Secundo, quia principium in linea supernaturali, ut contra distinguitur ab ordine hypostatico, est sola gratia habitualis.

Denique probatur ultima pars quod videlicet sit necessaria gratia unionis ut connotata, conditio, quia Christus taliter est Caput, et principium influxivum saltem moraliter in iustificationem, relate ad membra Ecclesiae, quod est principium infinitum, sed esse principium infinitum, habet a gratia unionis, non ut a forma effectiva, sed ut a forma valorante, ~~et~~ ut sic dicamus formaliter concurrente, ergo eget gratia habitualis connotare gratiam unionis, non ut formam quasi inadaequate constituentem principii operativum, cum gratia unionis operativa non sit, sed ut conditionem, qua posita, et per quam sit operatio orta adaequate effective a gratia habituali; operatio influens sit infinita.

Dices per illam formam constituitur Christus Caput per quam satisfecit pro peccatis, sed satisfecit per gratiam unionis, quippe satisfecit per satisfactionem infinitam, ut ex alibi dictis constat, ergo constituitur caput per gratiam unionis.

Sed contra, et resp. distinguenda maiorem, per quam satisfecit elicitive, concedo maiorem, dignificative nego maiorem, et eodem modo distinguo minorem et nego consequentiam. Explicatur solutio, alia enim est forma a qua elicitive

& efficienter egreditur satisfactio, & alia forma per quam constituitur ut infinita, & digna premij infiniti. forma eliciens satisfactionem et meritum est gratia habitualis, forma vero dignificans est gratia unionis, unde ad influxum in membra non concurrit gratia unionis, esto sit necessaria ut influxus sit infiniti valoris.

§. II

Corollaria ex dictis.

Inferes, quod ad rationem formę constituentis caput tria indispensabiliter exiguntur, videlicet prioritas, perfectio, & virtus.- seu ordo, eminentia, & efficientia, unde & si gratię unionis conveniant duo prima, videlicet prioritas, & perfectio, seu ordo, & eminentia. deficit illi tertium, nempe virtutem, seu efficientiam, & omnia simul conveniunt gratię habituali Christi, quę est prima in ordine supernaturali, est perfectior, & est operativa.

Inferes 2.° quod gratia personalis Christi, & gratia capitalis est eadem indivisibilis forma realiter, et solum distincta rationis, nam gratia personalis talis est ut solum dicit ordinem ad Christum sanctificandum, capitalis autem, quatenus ordinatur ad influendum in membra Ecclesię.

Inferes 3.° quod gratia capitalis cum merito infinito soli potest convenire homini Deo, non purę creaturę. at vero gratia capitis, ab solutę potest convenire purę creatura, & ratio est quia forma constituens caput morale, est gratia habitualis unde & in pura creatura potest poni cum ordine ad influendum in alios. & constat ex dictis de satisfact. Christi & est expressus in D. th. in hac 3. p. q. 69. ar. 9. & in 9. dist. 5. q. 1. ar. 3. questiuncula 2.

Articulus III.

Utrum Christus sit caput omnium hominum, & Angelorum?

§. I

Certa ab incertis separantur.

Licet omnes universaliter conveniant in affirmando Christum Dominum esse Caput totius Ecclesię iuxta illud Pauli ad ad Ephesios. 1.* & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam* tamen cum Ecclesia & sit militans, & sit triumfans. & in militande sint & fuerint, & futuri sint homines, alij iusti, peccatores alij, & ex peccatoribus alij fideles, infideles alij, & insuper, inter homines tum iustos tum peccatores, sive fideles sive infideles, alij sint predestinati, alij non, ideo varie opinantur autores. pro veritatis explicatione varijs conclusionibus respondemus.

Sit prima conclusio Christus ~~[illegible]~~ saltim in potentia est caput omnium hominum existentium in peccato mortali, sive tales sint fideles, sive infideles, & Pagani. probatur ex D. Th. hic. ar. 3. ad 1. ubi ait.* illi qui sunt infideles, & si actu non sint de Ecclesia, sunt tamen de Ecclesia in potentia, quæ quidem potentia in duobus fundatur, primo quidem & principaliter in virtute Christi, quæ est sufficiens ad salutem totius humani generis, secundario in arbitrij libertate.* Et ratio apriori est insinuata iam ab Angelico Mag. quia ille qui dicitur membrum in potentia est relate ad caput in potentia, sed omnis homo dum vivit in hac mortali vita, potest per Christum salvari, ergo est membrum Christi in potentia, & proinde & Christus in potentia Caput.

Confirmatur, quia in hoc distinguitur Caput misticum & morale, a Capite naturali, quod licet illud non possit vivificare nisi membrum sibi unitum, illud tamen membrum separatum potest unire sibi, & unione ipsa vivificare illud. ergo.

¶. Secunda conclusio. Christus est actu Caput omnium fidelium existentium in gratia,+ conclusio est de fide diffinita in Concilio constantiensi, sess. 15. tom. 4. Conciliorum. Et in tridentino sess. 6. de iustificat. capite 7: & probatur ex illo Pauli ad Rom. 6.* quicumque spiritu Dei aguntur hi sunt filij Dei.* sed omnes existentes in gratia, etiam si illam per peccatum amissuri sint, tamen dum illam habent spiritu Dei aguntur, & sunt filij Dei per gratiam quam de facto habent. ergo.

+ etiam si alias non sint prædestinati, & amissuri sint gratiam

¶. Tertia conclusio. omnes homines qui sunt in paradiso, Beati, & omnes qui sunt confirmati in gratia, sunt filij Dei, & Christus eorum Caput. est de fide. ut videre est ex iam citato loco Pauli ad Ephesios 1.

Quarta conclusio Christus neque actu, neque potentia est caput damnatorum existentium in inferno. cuius contrarium fuit error Origenis, est omnium communis, & ratio est manifesta quia id quod requiritur ad rationem capitis, ~~[illegible]~~ est prioritas, perfectio, & virtus influxiva, sed Christus neque actu neque potentia influit vel influere potest dona spiritualia in damnatos. ergo non est caput illorum. hæc sunt certa apud omnes. quod ergo in dubium vertitur, an Christus sit actu omnium & tantum fidelium caput.? & an sit caput Angelorum?

§ III

Prima pars ~~quantum ad homines~~, ~~[illegible]~~

Sit quinta Conclusio. Christus Dominus tantum est actu caput omnium hominum fidelium, sive sint in gratia, sive in peccato, = est communis. Paucis exceptis. Cano, illam limitat ad fideles iustos. & cum sit exceptiva

probatur per suas partes. Et imprimis affirmativa pars probatur quia Christus actu est caput omnium ad Ecclesiam pertinentium actu, sed omnes fideles etsi sint aliqui in peccato, actu pertinent ad Ecclesiam, ergo Christus est actu illorum caput. Minor probatur 1° authoritate, nam Ecclesia, comparatur decem virginibus, quarum quinque sunt fatuae, et quinque prudentes. (Math. cap. 25) et similiter comparatur sagenae missae in mare et ex omni genere piscium congreganti, Math. c. 13) et similiter comparatur areae in qua simul cum tritico congregandae paleae comburendae. Rat.e probatur, quia theologi communiter diffiniunt Ecclesiam, Congregatio fidelium, ut illam diffinivit Nicolaus pontifex. Sed per fidem etiam informem, homo actu continetur in hujusmodi collectione. = Secundo probatur eadem minor, quia per id constituitur homo in actu membrum Ecclesiae, per quod est unum in Ecclesia, sed est unum seu convenit in uno obiecto credito per fidem. ergo per fidem solam est actu membrum, et proinde actu est Christus caput. minor est D. Th. in praesenti. ar. 3. in corpore, ubi simul docet nostram conclusionem per haec verba * Christus primo, et principaliter est caput eorum, qui actu uniuntur sibi per gloriam. Secundo eorum qui actu sibi uniuntur per Charitatem. tertio eorum qui actu uniuntur sibi per fidem.

Secunda autem pars conclusionis videlicet negativa, in qua dicitur quod Christus actu non est ~~[illegible]~~ Caput infidelium probatur, et primo ex hac autoritate proxime citata, Angelici Magistri, ubi enumerando gradus respectu quorum Christus est caput in actu reducit ad praedictos tres gradus. ergo.

Secundo probatur rat.e quia haeretici, sive baptizati, et sive haeresis sit oculta vel non, sive haeretici non baptizati, sive pagani, non sunt actu membrum Christi, ergo Christus non est actu illorum caput. probo ans, ut essent membrum Christi, et Christus illorum caput debebant actu recipere influxus per Christum, influxus videlicet spiritualem. sed non influit in illos Christus. ergo non est illorum caput actu, minor patet quia fides est initium vitae spiritualis, ergo deficiente fide, deficit omnis influxus spiritualis. Tertio probatur, quia Christus non est actu caput eorum qui sunt extra Ecclesiam, sed omnes infideles etiam si illi qui sint baptizati sunt extra Ecclesiam ergo. probatur minor, 1° ex Augustino lib. de Unit. Eccl. cap. ultimo. ubi ait. multi tales (idest haeretici) sunt in Sacramentorum communione, et tamen iam non sunt in Ecclesia. = ergo sunt extra 2°. quia qui caret fide non est pars Ecclesiae, ergo non pertinet ad Ecclesiam ans patet, quia fides est fundamentum Ecclesiae iuxta illud, super aedificata super fundamentum Apostolorum. ad Eph. 2. et iuxta illud Mat. 16. tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.

quando, quia qui caret fide, sit vel non sit baptizatus, non est unum in Ecclesia. ergo est extra Ecclesiam. ans. est notus, nam unitas Ecclesiae, vel est per gloriam, vel est per gratiam et caritatem, vel est per fidem.

§. III
Solvuntur argumenta.

Obicies primo fideles existentes in peccato sunt actu membrum Diaboli, et civitatis Babilonis cives, ergo actu non possunt esse membrum Christi nec Christus actu illorum caput. Resp. tales proprie et perfecte esse cives civitatis Babilonis et membrum diaboli, at imperfecte sunt membrum Christi etiam in actu ratione fidei. Obicies 2°. quod non pertinet ad Ecclesiam non est membrum Christi; fideles in peccato non pertinent ad Ecclesiam. ergo probatur min. quia Ecclesia est Sancta, ut confitemur in Symbolo, et de Ecclesia dicitur, quod sit tota pulchra, et macula non est in ea. Resp. nego minorem, ad probationem dico quod Ecclesia dicitur Sancta, 1°. a sanctitate formae, videlicet fidei. et Charitatis. et pulchra formaliter. etsi materialiter in aliquibus non sit Sancta, 2°. Respondeo quod dicitur Sancta, et pulchra ratione principalioris partis, nempe ratione Sanctorum. 3°. resp. quod illud Canticorum 4. dicitur de Ecclesia non pro statu viae, sed pro statu patriae, in via enim non desunt maculae, saltem venialis. juxta illud Ioannis. Si dixerimus quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. Sic glosa, ad illos locos. et August. lib. 2 Retract. c. 18. et D. Th. in praesenti ar. 3. ad 2. explicans illud non habentem maculam aut rugam.

Obicies contra 2am partem conclusionis cum Belarmino Christus actu est caput respectu Pontificis in occultam heresim lapsus. ergo et respectu cuiuscumque alterius infidelis praesertim si sint baptizati, consequentia tenet a paritate. ans autem probatur. Pontifex in occultam heresim lapsus, non eo ipso desinit esse caput Ecclesiae, ut docet Caiet. Soto, Suarez et alij contra alios oppositum docentes. sicut enim est caput Ecclesiae. est actu membrum illius. et proinde Christus erit actu eius caput.

Respondeo concesso antecedenti, nego consequentiam. ratio disparitatis est, quia alia est forma constituens Papam caput, alia membrum, Caput Ecclesiae constituitur per iurisdictionem universalem, membrum autem per fidem, unde etsi, remaneat caput Ecclesiae, usque dum deponatur, tamen eo ipso quod incidit in heresim non est membrum Ecclesiae, ex defectu formae constituentis membrum unum in Ecclesia, quae est fides.

§. IV.

Secunda pars, quantum ad Angelos resolvitur.

Supponendum et omnino certum est, quod Christus Dominus, non solum ut Deus sed etiam ut homo, est caput Angelorum, omniumque coelestium Spirituum, saltim quo ad dignitatem, prioritatem, & virtutem imperij, & exterioris gubernationis, quam suppositionem esse de fide docet Lorca, & de illa amplius non posse dubitari docet Vazquez, & constat ex illo Pauli, ad Colosenses 2. ubi dicit * In Christo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, Et estis in illo repleti, qui est caput omnis Principatus, & potestatis. * ubi esse sermonem de Christo ut homine constat, ut deno- tat, illud adverbium corporaliter. = insuper, inhabitare divinitatem, est habere divinitatem per convenientiam, & unionem. in Christo ut Deo non est divinitas per unionem, sed per identitatem.

Constat etiam ex illo ad Ephesios 1. * ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam * Militantem, videlicet, & Triumphantem, ut explicat glosa ordinaria, & D. Th. ibidem. * ad Hebreos 1. dicitur de Angelis, quod sunt administratorij spiritus in ministerium missi, sed mittuntur a Christo ut homine, ergo minorem docet D. Th. infra. q. 56. ar. 6. = Ulterius Math. c. 4. dicitur * Angeli ministrabant ei. & cap. 28 dicitur * Data est mihi omnis potestas in Caelo, & in terra. * & Regius Psaltes dicit in Psal. 8. omnia subiecisti sub pedibus eius.

Difficultas ergo reducitur ad inquirendum an Christus inquantum homo sit Caput Angelorum, etiam quo ad influxum, & motum spiritualem, in gratiam Angelorum, & gloriam eorumdem. = Negat D. Bonavent. in 3. dist. 13 ar. 2. q. 3. ~~[illegible]~~. Gabriel ibidem. q. unic. ar. 3. Oviedo de capitate & redemptione Generis humani. tract. 2. cap. 2. part. 3. Mag. Soto. in 4. dist. 49 q. 4. ar. 2. ad ultimum arg. contra 2. conclusionem. = Sententia affirmativa est communis non solum inter Thomistas, sed in Schola Societ. ut ostat ingreenti Illustris. Godoy.

§. V. Statuitur conclusio.

Sit nostra conclusio ~~[illegible]~~. Christus in quantum homo est caput Angelorum, licet non ita perfecte sicut est hominum Caput. est expressa D. thome in 3. dist. 13. q. 2. ar. 2. questiuncula 1. & in presenti ar. 4. = Probatur nostra conclusio primo ex prealegatis authoritatibus sacrae paginae, ubi absolute affirmatur Christum esse caput Angelorum. ergo sine restrictione debet affirmari esse Angelorum Caput.

Secundo probatur ratione qua utitur D. Th. hic. ar. 4. nam unius corporis unum Caput esse oportet, ut ex naturalibus & politicis constat. sed Ecclesia prout ex hominibus, & Angelis constat, est una, & unum Regnum, & una spiritualis Civitas, & ut dictum est Christus est hominum caput, ergo & Angelorum.

Minor in qua est difficultas probatur. 1. ex illa parabola de Pastore, & ovibus Lucę cap. 15. in qua Ecclesia repraesentatur per unum ovile. & dicit pertinere ad illud unum ovile nonaginta novem oves, in quibus repraesentatur multitudo caelestium spirituum, & in ove perdita, centessima scilicet. & ultima, genus humanum, quo recuperato, Pastor ille bonus super humeros suos, videlicet per crucem, & passionem suam, & per meritum ipsius Pastoris, reportavit illud ad ovile.

Secundo probatur eadem minor quia forma constitutiva Ecclesię est una & eadem pro Angelis, & hominibus, ergo & Ecclesia est una prout ex Angelis & hominibus constat, ant. probatur, nam forma constitutiva Ecclesię militantis est fides, & Charitas viae, & forma constitutiva Ecclesię triumphantis, loco fidei, est lumen glorię, & eadem Charitas consumata, ut in patria, sed Angelis & hominibus convenit eadem fides, & charitas, in via, & idem lumen glorię, & visio beata & eadem Caritas & amor beatificus item, in patria, quo patet visiones beatificę hominum & Angelorum sunt eiusdem infimę speciei, ut dicitur 1. p. ad q. 12. ergo forma constitutiva Ecclesię, est una & eadem pro Angelis & hominibus.

Denique probatur conclusio, quia omnes conditiones enumeratę supra, & exactę ad rationem capitis, conveniunt Christo respectu Angelorum. ergo est illorum Caput. ant. probatur, conditiones exactę, sunt prioritas, perfectio, & virtus utique influxiva, sed istę Christo conveniunt, ergo. probatur minor quo ad singulas partes. in primis convenit Christo prioritas, non solum ratione dignitatis, quia videlicet & est Deus & homo, sed etiam quia ut late probatur redinger[?] agendo de motivo Incarnationis. Christus est initium viarum domini, primogenitus omnis creaturę. unde decretum intentivum Christi, fuit prius in genere causę finalis, ac ius gratia, quam decretum Dei intentivum Creaturarum, etsi in genere causę materialis decretum Dei intentivum Christi fuerit posterius. ergo in primis Christus est prior Angelis, 2a autem pars probatur. quia perfectio capitis non attendenda est materialiter sed formaliter, sed Christus in gratia, quę est forma radicalis constitutiva Ecclesię, est sine mensura perfectior angelis. ergo. 3a in qua est maior difficultas probatur. quia Christus habet influxum in gloriam accidentalem Angelorum, et in probabilissima sententia etiam in gloriam essentialem quod quidem gloria essentialis Angelorum dependet a gloria & praedestinatione Christi, non in genere causę finalis, & exemplaris, sed & meritorię non tamen in hoc ultimo genere dependet a Christo ut praeviso in decreto executivo sed tantum ut praeviso in decreto intentivo, & signate in decreto executivo. & praevisa Christi ut praevisa in intentione potuerunt movere Deum ad praedestinandam gloriam essentialem Angelorum,

et insuper actus meritorius, quem omnes Angeli boni elicuerunt dum fuerunt viatores, videlicet tanti credendo, & amando Filium Dei, hominem fiendum, tempore a Deo praeordinato, disposuit [?] etenim crediderunt in christum modo quo ipsis fuit revelatus, videlicet ut universale principium gratię & glorię, ergo habuerunt gratiam in quam influxit Christus, ut ab ipsis cognitus, & consequenter principium, eo sit universale quia omnis gratia ab ipso causatur, tam elevativa illa quę est elevativa & simul perfectiva, ut in B. V. vel quę est elevativa & sanativa in nobis ... habet etiam influxum in glorię essentialem Angelorum, cum gloria correspondeat gratię, sicut lumen ...

§ VI Solvuntur argumenta.

Obicies primo Caput debet convenire in natura cum membris, sed Christus ut homo non convenit in natura cum Angelis ergo non est illorum caput.

Resp. 1°. instando. Christus ut Deus est absdubio Caput Angelorum, et tamen ut Deus non est eius dem naturae. ergo argumentum factis tenentur solvere qui illud obiciunt.

Secundo Respondeo distinguendo maiorem, caput debet convenire in natura cum membris, convenientia vel specifica vel generica, nego, convenientia generica in natura cum convenientia specifica in forma totius constituendo, nempe in gratia et lumine gloriae concedo, et distinguo minorem eodem modo, et nego conseq.

Et instatur in capite naturali, quod materialiter sumptum est diversae speciei inadaequate ab aliis comparibus. caput enim non est manus, vel pes &c. et tamen quia forma totius est eadem omnibus recte dicitur, et est, caput, sic similiter, licet Christus entitative distinguatur specifice ab Angelis, quia tamen forma totius (videlicet Ecclesiae, ut constat ex membris et capite,) est eadem, videlicet lumen gloriae, ideo recte Christus est Angelorum caput.

Obicies secundo, illorum Christus est Caput quorum est sponsus. Sed non est sponsus Angelorum, ergo nec Caput. probatur minor primo ex D. Th. in 9 dist. 99. q. 9. ar. 9. secundo ex illo Exodi c. 9. Sponsus sanguinum tu mihi es, quia illorum tantum est Caput quos sibi copulavit per passionem.

Respondeo negando maiorem universaliter, quia ad rationem sponsi non solum requiritur unitas specifica in forma totius, sed etiam requiritur unitas infima specifica in natura; ut patet in naturalibus, a quibus sumitur similitudo, unde Christus solum est ex proprietate sponsus relate ad animas. ^{ad homines} est vero Caput cum proprietate respectu Angelorum, quia ut vidimus ad rationem capitis non requiritur omnimoda unitas specifica.

est tamen notandus cum D. Th. loco citato. quod aliqualiter potest etiam dici Christus sponsus Angelorum, ob unitatem, videlicet formae totius. Ecclesiae videlicet. ut dicit D. B. serm. 27 in Cantica. propterea verbat Ad sponsam veniebat, et absque sponsa non veniebat, an duae erant? absit, sed sicut ex diversis ovium gregibus unum voluit facere ovile, ut sit unum ovile, et unus Pastor, ita cum haberet sponsam inhaerentem sibi a principio, multitudinem Angelorum, placuit ei et hominibus vocare Ecclesiam, atque unire illi, quae de Caelo est, ut sit una sponsa, et sponsus unus.

§. VII.

Corollaria ex dictis.

Inferes Christum ut hominem fuisse Caput Primorum Parentum, etiam pro statu inocentiæ. Item quia Christus ut prævisus in decreto intentivo Dei potuit promereri illis gratiam illius status. Item quia ad minus habuerunt fidem Christi venturi, et si non ut Redemptoris. Item quia Ecclesia ut constans ex primis Parentibus, et Angelis est una, ergo unum Caput, hoc est Christus. ergo. Item ex eadem ratione qua supra §. V. in fine probabamus esse Angelorum Caput. quæ ut quæ in primis Parentibus pro statu illo militat,

Unde actus meritorij quos elicuerunt Primi Parentes credendo in Christum venturum, illumque amando, dispositiva erant augmenti gratiæ, quod aucti habitu habuere, dum permaserunt in statu inocentiæ. ac per consequens Christus habuit influxum in illam gratiam, causa enim moralis meritoria; non exigit physicam existentiam ad causandum, sed tantum in intentione. et cum in intentione Primorum Parentum extitisset Christus potuit in illis causare gratiam, reduplicative sub formalitate sub qua ab ipsis fuit cognitus, videlicet, ut universale principium cuiuscumque boni supernaturalis, et ut consumator gloriæ, et sic licet in re et physice sumptum hoc universale principium gloriæ, non esset extiturum præcise sub formalitate sub qua cognitus fuit a primis Parentibus, sed ut fuit prævisum et prædestinatum, et præordinatum a Deo ex vi primi decreti, quod de facto fuit in Deo circa incarnationem Filij. ut late dictum est ad questionem de motivo incarnationis.

In quo discurrendi modo, apparet multo clarior, et magis patens via defendendi Immaculatæ Conceptionis Deiparæ, et semper Virginis Mariæ, affirmando ~~quod~~ etiam quod omnem gratiam, habuit originaliter a Christo, quia ut sic concipitur Christus ut universale principium cuiuscumque boni supernaturalis, absque eo quod cogamur affirmare quod solum fuit universale principium, eius formaliter ut Redemptor, et ut Medicus, fuit etenim Christus universale principium gratiæ. pro omni statu, et pro omni subiecto, iuxta illius capacitatem receptivam, unde et causare potuit gratiæ tantum elevativam, ut in primis Parentibus pro statu innocentiæ. et in Angelis, gratiæ elevativæ, et præservativæ in Beatissima Virgine et gratiam elevativam, et sanativam, in nobis omnibus posteris Adami, unde licet ille Christus qui est Redemptor et Medicus, omnem gratiæ, et in omni intellectuali creatura causa sit, non tamen in omni creatura, gratiæ causavit sub formalitate Redemptoris, sed ut identice Redemptor, et formaliter ut universale principium gratiæ, et consumator gloriæ. et sic salvatur rigorose, quod Christus sit Caput respectu omnis creaturæ, et non solum ratione excelentiæ, et dignitatis, hoc enim pacto potest dici caput aliorum prima Causa quod nefas est dicere, alioquin Ecclesia esset biceps.

Et insuper ratio capitis attenta capite naturali a quo similiter analogia exigit positivum influxus in membra, ut patet in capite naturali, et consequenter exigit prioritatem, et excellentiae.

Unde ut dicebamus in praedicta quaestione circa motivum incarnationis, ad solutionem argumenti, gratia illa quae habuerunt in illo statu fuit dependens a meritis Christi, quia praesupposito ad decretum de futuritione Adami, fuit decretum intentivum Christi, prioritate causae finalis cuius gratia, et prioritate causae materialis praecessisset decretum intentivum Adami, ut ex suo genere assumeret humanitatem. Fuit enim Christus primogenitus omnis creaturae. Unde a Christo omnis creatura intellectualis accepit quidquid boni accepit, sicut in naturalibus primogenitus omnes alios alimentare debet.

Haec dicta sufficiant ad tractatum de gratia Christi, in cuius honorem, quidquid recte sit dictum cedat, et quidquid male pronuntiatum fuerit, deleatur. Omnia enim Sanctae Romanae Ecclesiae correctioni subiicio.

TRACTATUS TERTIUS DE SCIENTIA ANIMÆ XPTI.

3. P. q. 9. usque ad. 12.

Procemium

Acturi de Scientia animę Xpti. & eiusque plenitudine, quam, ut contemplavit Evangelistarum Aquila illa, utique grandis, magnarum alarum, affirmavit esse utique plenitudinem. Et vidimus, inquit gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratię, & Veritatis, unde & ad mensuram gratię, affirmat gaudere veritatis, seu scientię plenitudine, prosequitur affirmando, quod de plenitudine eius omnes accepimus, unde disputaturi de hac plenitudine scientię, Fons ille occurrit, qui in prima rerum genesi, e terra scaturiens, antequam Deus plueret super terram, irrigans universam eius faciem, eam fecunda liberalitate ditabat. Seu occurrit Fluvius ille, qui in ipsa rerum prima genesi, in paradiso voluptatis oriens, se diffundebat ad irrigandum paradisum.

Seu, ut melius dicam, occurrit ad mentem uterque, & Fons ille, & Fluvius iste, Fons est utique ista Animę Xpti copiosissima Scientia, Fluvius etiam utique est: & quis poterit dubitare? Fons est, quia origo fecunda totius Sapientię. Fluvius est, quia circumquaque diffusa, abundantia virtutis suę omnes intellectus ad cognitionem veritatis irrigat, & fecundat.

Fluvius ille in Paradiso oriens, & egrediens, in quatuor dissecatur capita, testante Sacro hystoriografo, quorum quodlibet alium fluvium

magnum constituebat; scientia ista, qua Intellectus creatus animæ Xpti iure optimo, perficitur, & ditatur, in quatuor etiam dividatur capita. quatuor diversis scientijs ornans intellectum creatum Xpti. Primus fluvius Paradisi, cui Physon nomen. ipse est, qui circuit omnem terram Hevilath, ubi nascitur aurum. & aurum terræ illius optimum; Prima, et nobilior scientia intellectus creati animæ Xpti, cui nomen Scientia Beata, ipsa est quæ circuit. & si non comprehensive. quia hoc repugnat, aurum optimum Divinitatis, eius arcana contemplando, a primo conceptionis Xpti instante. intuitive, & quidditative videndo Formalia Dei, & ex eminentialibus plura quam omnes intellectus creati simul. Alij tres Paradisi fluvij per alias tres paradisi partes discurrunt, aliæ tres scientiæ intellectus animæ Xpti alia obiecta a Deo diversa comprehensive attingunt, & cognoscunt.

Quis ergo poterit thesauros scientiarum animæ Xpti dinumerare? & quid dico thesauros huius scientiæ: dinumerare? Verum. & quis poterit digne de illis disputare aliqualiter, præsertim tenuitate Intelligentiæ meæ. Sed si de plenitudine eius omnes accipere testatur Ioannes, ipse dignabitur, qui dat omnibus affluenter, sua fecunditate nostros intellectus irrigare, & illustrare, ut de hac mirabili scientia, aliquid dicere possimus.

Nos ergo situs huius fluminis Paradisum irrigantis, & fecundantis, insequentes, pro præsenti tractatu enodando, quinque stabiliemus disputationes, in quarum prima fluvium qui in quatuor dividatur capita, scientiam animæ Xpti nimirum, secundum se, & universaliter acceptam. & prout omnes quatuor universaliter continet, examinabimus. & in alijs quatuor disputationibus, de quatuor Scientijs Animæ Christi quasi de quatuor fluminibus particularibus, esto maximis, instituemus sermonem. Utinam feliciter!

DISPUTATIO UNDECIMA DE SCIENTIA ANIMÆ CHRISTI secundum se, & in comuni

Articulus. I

Utrum Intellectus creatus animae Xpti Domini, intellexisset de facto per intellectionem creatam, & a se elicitam?

§. I

Notantur aliqua

Supponendum est ut certum de fide Xphum Dominum habuisse intellectum creatum, sicut, & creatam voluntatem, quod negari non potest. a credente & affirmante Xphum fuisse verum hominem. cum utraque potentia sit proprietas naturæ intellectualis.

Deinde hæc nostra suppositio est diffinita in 6 Synodo gen. act. 11. per hæc verba: * Verbum assumpsit animam rationalem, animabus nostris contribulem. & mentem menti nostræ comparem *

Constat etiam eadem catholica veritas ex Agatone Papa. in Ep. Sinodali, quæ refertur in eadem. 6 Synodo, act. 4. per hæc verba: * Confitemur in Xpto omnia duplicia quæ ad naturas pertinent, duas naturas eius prædicamus, & unam quamque proprietates naturales habere confitemur, divinam. omnia quæ divina, humanam omnia. quæ humana sunt, absque ullo peccato. * Quæ eadem veritas habetur in Concilio Calcedonensi. act. 5. & in 5 Synodo gen. collat. 8. can. 7. & in Concilio Lateransi. sub Martino I. can. 9.

Difficultas ergo præsens, est circa actum quo de facto intellexit intellectus humanus Xpti Dni. an de facto esset actus creatus, seu intellectio creata, & a se elicita, an vero esset increata intellectio, eidem intellectui creato unita?

Pro resolutione huius difficultatis, relicto Monothelitarum errore, qui quamvis concederent in intellectu creato Xpti Dni, intellectionem creatam, & in intellectu divino. increatam intellectionem asserebant tamen unam tantum operationem consurgere ex utrâque; hoc enim errore, prætermisso, ut methaphisice repugnanti, solum referemus Cathoricorum sententias.

§. II

Referuntur sententiae.

Prima sententia docet: Intellectum creatum animę Xpti Dni solum intellexisse de facto per intellectionem increatam, nisi ... & insuper docet ista sententia ... impossibile videre divinam essentiam, nisi per intellectionem increatam. Pro hac sententia refertur a Capreolo in 3. dist. 14. q. 1. ar. 1. Ioannes de Ripa & quibusdam placuisse suo tempore docet D. Bonav. in 4. dist. 14. q. 2. ar. 2. fuisseque publice Parisiis defensatam refert Gregorius in 2. dist. 7. q. 2. tenuit hanc sententiam ... de Santo Victore tom. 3. tract. de sapientia animę Xpti docent Ill. Godoi in praesenti disp. 31. §. 1. & Gonet. disp. 15. ar. 1. §. 1.

Secunda sententia docet Intellectum creatum animę Xpti Dni de facto intellexisse per intellectionem propriam, & creatam, & a se elicitam, & essentiam divinam vidisse, per istam intellectionem creatam. pro ista sententia sunt omnes Thomistę tam antiqui quam moderni, ut docet Illustriss. Godoi. ubi supra, ubi & docet hanc eamdem sententiam, & Mag. Gonet. ubi supra. & Noster SS. Antonius de la Parra, hic. disp. 1. q. 1. ar. 3. & eam docet expresse Angelicus Magister in hac 3. p. q. 9. ar. 1. & pluribus in locis. tenent etiam hanc sententiam quamplures ex Patribus Societatis, ut P. Suarez in praesenti disp. 29. sect. 2. P. Vazquez 1. 2. disp. 8. cap. 2. Valentia. 3. p. disp. 1. q. 3. punct. 1. & alij.

§. III

Statuitur conclusio

Sit nostra conclusio: De fide est: Intellectum humanum Xpti Domini intellexisse de facto per intellectionem creatam, & a se elicitam.

Prima pars in qua dicimus esse de fide, suadetur, & constat, ex relata authoritate Agatonis Papę.

Dices, quod ex illa authoritate, solum habetur ut de fide, duplicitas proprietatum, nimirum voluntas duplex, & intellectus duplex, non autem eorum operationes, cum operationes non sint proprietates.

Sed contra primo, quia per has proprietates, in predicta authoritate, non solum intelligitur proprietas quę solum est talis quarto modo, alias non exclusisset peccatum, cum peccatum non sit proprietas quarto modo alicuius naturę creatę. Contra secundo quia ibi dicitur quod natura humana habuit omnia, quę humana sunt, sed operatio intellectiva, seu intellectio creata, aliquid humanum est, ergo Xptus Dnus illam habuit.

Secundo probatur eadem pars, ex 6 syn. gen. act. 17. ubi postquam determinavit Sancta Synodus, in Xpto esse constituendas duas voluntates, tribuit rationem per hęc verba: * Nec enim poterit Angelica natura, divinam habere voluntatem, aut humanam, nec humana natura voluntatem Dei, vel Angeli. * ergo nec intellectus creatus animę Xpti, potest habere divinam intellectionem. consequentia constat. & amplius constabit ar. seq.

Tertio probatur eadem pars. quia intellectus humanus Xpti Dni, intelligebat per discursum formalem, & per actus enuntiativos compositos, quod repugnat divinæ intellectioni. Tum quia fide certum est, quod Xptus oravit, obedivit, & meruit quæ omnia regulantur per operationem liberam Xpti, & proinde creatam. Tum quia Math. c. 8. dicitur Xptum Dnum admiratum fuisse. et cum admiratio ex ignorantia procedat, dicendum est in intellectu Xpti fuisse intellectionem quæ possit subesse ignorantiæ, negativæ utique ut hic loco dicitur. Tum quia Iesus proficiebat sapientia, & ætate, ut dicitur Lucæ c. 2. & ad Heb. 5. dicitur quod Xptus didicit, quæ omnia intellectioni increatæ repugnant.

Denique quia de fide est in Xpto Dno fuisse volitionem creatam, ut diffinitum est contra Monothelitas, & patet ex dictis, sed volitio creata supponit volitionem creatam, ergo de fide est intellexisse per intellectionem creatam.

Secunda autem pars conclusionis suadetur. Xptus Dnus assumpsit naturam humanam perfectam, est enim perfectus Deus, & perfectus homo; Sed natura humana esset imperfecta, absque intellectione creata, ergo de facto intellexit per intellectionem creatam. probatur min. prima. quia omne quod est ~~imperfectum~~ potentia, imperfectum est si non reducatur ad actum, sed natura humana Xpti, eius quæ creatus intellectus sunt in potentia ad intellectionem creatam, ergo imperfecta forent sine illa. ▲ Secundo. quia potentia sine fine frustrata imperfecta est, sed intellectus humanus Xpti Dni, respicit ut suum finem naturalem intellectionem creatam, eo quia omnis potentia est propter suam operationem. ergo intellectus humanus Xpti foret imperfectus sine intellectione creata.

Denique probatur conclusio, quia repugnat intellectum creatum Xpti Dni intelligere per intellectionem increatam, ergo de facto intellexit per intellectionem creatam. antecedens constabit seq. art.

Dices quod [illegible] intellectus humanus Xpti foret imperfectus absque intellectione creata, vel absque intellectione continente eminenter perfectionem intellectionis creatæ, non vero determinate esset imperfectus absque intellectione creata; dummodo habeat aliam intellectionem, nempe divinam, continentem eminenter perfectionem intellectionis creatæ.

Et instabis in subsistentia natura enim humana Xpti, esset imperfecta absque omni subsistentia, non tamen est imperfecta sine subsistentia creata. eo quia terminatur, & personatur per subsistentiam Verbi continentem eminenter subsistentiam creatam. ergo. similiter in casu.

Sed contra, quia licet intellectio increata contineat eminenter perfectionem intellectionis creatæ, tamen vices illius supplere non potest, ut ex dicendis art. seq. constabit. & proinde non potest intellectus humanus Xpti perfici per intellectionem increatam. unde paritas de subsistentia non convincit eo quia subsistentia divina potest supplere vices subsistentiæ creatæ, ut constabit

Articulus II

Vtrum Intellectus creatus animae Xpti Dni, de potentia absoluta, potuisset intelligere per intellectionem divinam, & increatam?

§. I.

Referuntur sententiae

Prima sententia est affirmativa, & docet quod de potentia absoluta, potuit intellectus creatus animae Xpti. constitui vivens, & intelligens per increatam intellectionem sibi unitam, ita Ægidius. lib. 9: de Beatitudine. q. 1. ar. 2. §. 1. & hanc sententiam tenent aliqui extra scholam D. Th.

Secunda, & vera sententia est negativa, ita expresse Angelicus Praeceptor D. Th. in praesenti. q. 9. ar. 1. & in 3. dist. 14. q. 1. ar. 1. quaestiunc. 1. ad 1. & in 4. dist. 49. q. 1. ar. 2. quaestiunc. 2. & q. 20 de Verit. ar. 1. in corp. & 1. 2. q. 3. ar. 1. & alibi. & cum eo omnes thomistae, & plures ex Schola Societatis, praesertim Suarez, & Vazquez. ubi supra citati ar. praecedenti.

§. II.

Statuitur conclusio negativa.

Sit nostra conclusio: Implicat, etiam attenta potentia Dei absoluta, Intellectum humanum animae Xpti Domini intelligere per intellectionem Increatam.

Haec conclusio, videtur contineri in authoritatibus pro conclusione praecedentis articuli, & ratione probatur quia intellectio est actus intelligentis secundum esse naturale, sed intellectio increata non potest esse actus naturae creatae secundum esse naturale, ergo intellectus creatus animae Xpti non potest intelligere per intellectionem increatam. Maiorem supponit ut veram Caietanus, (cuius est haec ratio in hac. q. ar. 1.) & ratio est, quia implicat, quod actus alicuius naturae, communicetur in esse naturali, naturae, cui non communicatur in esse eadem natura, cuius est actus. Sed intellectio increata est actus naturae divinae secundum esse naturale, cui naturae divinae repugnat communicari in esse naturali animae Xpti, seu quae natura divina implicat communicari in esse naturali animae Xpti. ergo intellectio increata non potest esse actus naturae creatae secundum esse naturale.

Maiorem autem probat Caietanus ex eo quia operatio est actus operantis secundum esse naturale, sed intellectio est operatio, ergo est actus intelligentis secundum esse naturale. maiorem probat, & in primis quod operatio sit actus operantis. est per se notum & patet inductione sive in actione transeunti, sive immanenti. actio enim transiens est actus operantis ut a quo, & immanens, est actus operantis, ut a quo, & ut in quo. quod autem sit actus operantis secundum esse naturale, probatur ab ipso inductione nam generare, sentire, desiderare, sunt actus naturales secundum esse naturale

Deinde probat hoc idem a priori. quia omne operans operatur secundum suum esse naturale, ergo operatio est actus operantis secundum suum esse naturale, antecedens probat, quia operans secundum suum esse naturale est, ergo operatur secundum suum esse naturale, consequentia est nota, quia operari sequitur ad esse.

§. III

Solvitur argumentum contra istam rationem Caietani

Obiicies contra istam rationem Caietani, Subsistentia divina est actus naturæ divinæ secundum suum esse naturale, & tamen potest naturæ creatæ communicari, non communicata natura divina, ergo similiter licet intellectio sit actus naturæ divinæ secundum esse naturale poterit communicari intellectui creato, non communicata divina natura. & idem argumentum potest fieri de existentia divina, & de natura divina communicatur enim per modum speciei impressæ, & expressæ, intellectibus Beatorum, licet species impressa sit actus naturæ.

Respondet Caietanus distinguendo maiorem Subsistentia divina est actus naturæ divinæ, per modum termini, seu est actus ut terminus, concedit, est actus per modum operationis, seu est actus qui sit operatio, negat. & concessa minori, negat consequentiam. eo quia intellectio est actus per modum operationis seu est rigorosa & stricta operatio. unde est actus ad naturam pertinens, ut a qua oritur essentialiter. = & per hoc patet solutio ad paritatem, de existentia divina. & de specie impressa, & expressa, quæ non sunt actus ut operationes.

Sed potest replicari in specie expressa, quæ simul cum sit Verbum, est ab intellectu, ergo intellectio sit actus per modum operationis, dicendum proinde ab. poterit communicari intellectui creato, sicut communicatur natura divina sub conceptu speciei expressæ.

Respondetur quod Verbum expressum duo dicit. & esse productum, videlicet ab intelligente, & esse actualitatem in qua intellectus contemplatur obiectum. sub primo munere non unitur essentia divina intellectibus Beatorum. etenim non est Verbum, dictum & productum ab ipsis, sed solum unitur sub secundo munere, sub quo non explicat esse operationem. intellectio autem sub omni conceptu est operatio, unde non potest communicari intellectui extraneo, cum ab illo oriri nequeat.

§. IV

Ex ratione vitalitatis suadetur conclusio

Quia implicat intellectum intelligere per aliquam intellectionem quin per talem intellectionem vivat. vita in actu secundo, sed implicat intellectum humanum. & creatum Xpti Dni vivere in actu secundo, per vitam increatam in actu secundo ut est intellectio increata, ergo implicat quod intelligat per intellectionem increatam. consequentia infertur. & maior per se nota quia intelligere, est essentialiter. gradu utique perfectissimo vitę probatur ergo minor. primo, quia implicat quod anima Xpti constituatur vivens radicaliter. & in actu primo per naturam divinam sibi unitam. ergo implicat intellectum creatum Xpti vivere in actu secundo, per vitam increatam in actu secundo, ut est intellectio in creata.

Antecedens est per se notum quia vita radicalis, & in actu primo, nequit convenire formę, nisi per ipsam entitatem formę. & proinde cum natura divina identificari nequeat cum anima Xpti, sicut neque. cum aliqua creatura, implicat quod. anima Xpti, vel alia Anima; vel vitalis forma, vel etiam natura Angelica quęcumque constituantur viventia in actu primo radicali. per naturam divinam cum eisdem identificatam

Consequentia. autem infertur tum paritate, tum ratione quia ideo Anima Xpti non potest constitui vivens in actu primo radicali per naturam divinam, quia vita convenit viventi ab intrinseco, & per identitatem, sed etiam vita in actu secundo convenit viventi ab intrinseco, & vel per identitatem, ut in Deo, vel per informationem, & egressionem, ut in Angelis, & hominibus, alijsque viventibus creatis. ergo sicut anima Xpti non potest. adhuc de potentia absoluta, constitui vivens in actu primo radicali per naturam divinam; ita similiter intellectus creatus animę Xpti non non potest de potentia absoluta constitui vivens in actu secundo per intellectionem in creatam: quę est vita in actu secundo.

Secundo probatur eadem minor quia Anima Xpti non potest constitui in actu primo proximo vivens per intellectum increatum, ergo neque intellectus creatus Xpti potest constitui in actu secundo vivens per increatam intellectionem. antecedens est per se notum. quia potentia proxima, vel identificatur cum anima rationali, ut contendunt plures extra Scholam Divi Thomę, vel, ut docet verior Thomistarum sententia, emanat a natura viventi. emanatione virtuali, ut in vivente increato, vel egressione, & emanatione reali, ut in nobis, & in Angelis; sed implicat quod intellectus divinus, vel identificetur cum

anima Xpti, vel egrediatur, & emanet ab eadem Xpti Anima, ergo.
Prima autem consequentia patet, quia ideo actus primus proximus, qualis est intellectus, non potest in anima Xpti esse intellectus divinus, vel illa eminentialitas qua Deus intelligitur proxime intelligens, quia actus primus proximus vitalis convenit essentialiter viventi ab intrinseco, vel per identitatem cum emanatione virtuali, aut eminentiali, vel per egressionem & informationem realem, Sed etiam, ut supra dicebamus, vita in actu secundo, qualis est intellectio, convenit viventi ab intrinseco, & per identitatem si est in Deo, vel per informationem, si est in viventibus creatis. ergo.

Probatur tertio eadem minor principalis: quia in hoc distinguitur vivens a non vivente, quod vivens non solum habet perfectionem in se, sed etiam a se; non vivens autem solum in se habet perfectionem, non vero a se, quo circa vita in actu secundo qualis est intellectio, debet intelligenti convenire ab intrinseco, & ut a se, nimirum in Deo a se per identitatem cum egressione virtuali, vel eminentiali, & in viventibus creatis a se per egressionem nimirum formalem, Sed intellectus creatus Xpti, sicut neque alterius, non potest habere a se intellectionem increatam, nec per identitatem, nec per informationem, & egressionem; ergo implicat intellectum creatum Animæ Xpti vivere in actu secundo per vitam increatam in actu secundo, qualis est intellectio increata.

§. V.

Paritate de Volitione increata probatur conclusio.

Ulterius probatur nostra conclusio. Si intellectus creatus animæ Xpti Dni posset intelligere per intellectionem increatam Dei, posset Voluntas creata animæ Xpti Dni constitui libere volentem in actu secundo per increatam liberam Dei Volitionem, Sed hoc secundum repugnat, etiam absolute posse inspecto, ergo & primum. præmissæ videntur notæ, & minor patet ex eo quia si voluntas creata posset libere velle per increatam volitionem liberam, Volitio libera Dei qua in actu secundo Deus constituitur libere volens, & decernens, esset perfectissime

Sub dominio, & potestate voluntatis creatæ, sicut universaliter loquendo omnis actus liber sive creatus, sive increatus taliter est sub potestate, & dominio voluntatis liberæ volentis per illum, quod absolute potuit non esse, nec existere sub formalitate, sub qua est libera volitio in actu secundo. unde est de essentia libertatis in actu secundo esse sub dominio, & potestate voluntatis cuius est libera volitio. Sed ex terminis, implicat quod volitio libera increata sit sub dominio, & potestate voluntatis creatæ, ergo repugnat quod voluntas creata animæ Xpti Dni constituatur liberè volens in actu secundo per liberam volitionem increatam.

Maior autem similiter est nota, etenim ideo intellectus creatus animæ Xpti posset constitui intelligens in actu secundo per intellectionem increatam, quia intellectio increata continet eminenter omnem perfectionem intellectionis creatæ, sed etiam volitio libera increata continet eminenter omnem perfectionem volitionis liberæ creatæ; ut per se patet, ergo si intellectus creatus animæ Xpti posset constitui intelligens in actu secundo per intellectionem increatam posset voluntas creata animæ Xpti Dni constitui liberè volens in actu secundo per volitionem liberam increatam.

Respondebis ad hanc rationem negando maiorem, & assignabis disparitatem negando causalem in maiori contentam quæ assumitur in probationem maioris negatæ, sed ideo, & quia intellectio ex conceptu, & natura intellectionis non petit esse ab intrinseco sicut petit volitio libera ex conceptu liberæ volitionis, seu determinatæ quia libera. Volitio enim præcise quia libera, debet contineri sub potestate & dominio voluntatis volentis per illam ut dicitur in nostra ratione, & pro inde exigit essentialiter esse ab intrinseco voluntatis volentis per illam, quod cum non possit convenire volitioni increatæ, relatæ ad voluntatem creatam, inde est quod voluntas creata animæ Xpti non potest constitui liberè volens per increatam volitionem liberam. De conceptu autem intellectionis non est contineri ab intrinsece in in intellectu cuius est intellectio, nec ab illo petit oriri ut a principio intrinseco. cum intellectio qua talis non exigat esse sub dominio, & potestate intellectus intelligentis per illam, unde licet intellectus creatus animæ Xpti possit de potentia absoluta intelligere per intellectionem increatam, non sequitur quod voluntas creata debeat posse constitui liberè volentem per volitionem increatam liberam

Sed contra disparitatem assignatam

Sic argumentor quia Volitio, non solum, quia Libera exigit essentialiter esse ab intrinseco voluntatis volentis per illam, sed & quia libera, & præcipue quia vitalis, vita enim de suo methafisico conceptu est ab intrinseco viventis, ut patet in vita radicali. & proxima. vita enim radicalis est intrinseca viventi radicaliter per identitatem, & vita proxima est intrinseca ipsi viventi, vel per identitatem vel per informationem, & emanationem, ut supra dicebamus; Sed in eo quod est esse vitam in actu secundo conveniunt omnino intellectio, & Volitio, ergo hoc non obstante posset intellectus creatus animæ Xpsti intelligere per intellectionem increatam, posset voluntas creata animæ Xpsti velle libere per volitionem liberam increatam. vel si hoc secundum repugnat. ut revera repugnat. repugnat etiam. & primum.

Idem argumentum ad nostram conclusionem suadendam potest fieri a paritate intellectionis notionalis Patris æterni, & Volitionis notionalis Patris, & Filij spirant Spiritum Sanctum. posset enim unaquæque uniri intellectui creato, & voluntati creatæ Xpsti Dni; unde animæ Xpsti intellectus posset generare Verbum divinum, & voluntas creata animæ Xpsti posset spirare Spiritum Sanctum; quorum utrumque est insignis chymera; & plusquam falsum, ergo nec intellectio increata uniri potest intellectui creato animæ Xpsti

Alias probationes omitto, quia lato calamo habentur in meo tractatu de Beatitudine 1.2. ad. q. 3. D. Thomæ. disputando in simili. an intellectus creatus posset constitui beatus per beatitudinem formalem increatam?.

§. VI

Solvuntur argumenta

Obiicies primo. Si intellectus creatus animæ Xpsti non posset intelligere per intellectionem increatam maxime quia de conceptu intellectionis est, oriri ab intrinseco intelligentis; sed hoc est falsum. ergo & conclusio. cætera patent. & probatur minor. ex Angelico Mag. 1. p. q. 34. ar. 1. ad 3. ubi ait: * Intelligere solum importat habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur. * Secundo probatur eadem minor ratione quia intelligere solum dicit de suo conceptu contemplationem actualissimam obiecti, sed in isto conceptu nulla ratio originis importatur, alias etiam intellectioni essentiali increatæ conveniret, unde generare. non esset solius Patris. ergo.

Respondeo. quod intellectio dupliciter potest considerari, nimirum vel in ordine ad obiectum intellectum, vel in ordine ad intellectum intelligentem per illam. Sub prima consideratione, nimirum considerata in ordine ad obiectum intellectum non importat habitudinem aliquam originis, vel processionis, quo circa intellectio essentialiter non dicit producere Verbum expresum, qua intellectio est, sed quatenus dictio est, ut dicitur in libris de Anima.; si vero intellectio consideratur in ordine ad intellectrctum intelligentem, sic dicit originem, vel virtualem ut in Deo, vel formalem, ut in creaturis. & hoc solum intendit D. Th. nec probatio in contrarium urget.

Replicabis ex Phylosofo. 3. de Anim. dicente ibi * quod intelligere est quoddam pati: *, ergo ut comparata ad intelligentem originem non dicit.

Respondeo explicando, & distinguendo axioma: est quoddam pati, presuppositive, concedo; formaliter nego. Solum enim voluit Aristoteles explicare ibi necessitatem specierum intelligibilium, contra Empedoclem illas negantem. unde dixit quod intelligere est quoddam pati ab spesiebus in intellectu illas recipiente. & cum illis se fecundante, ut intelligat. & intelligendo producat Verbum.

Obiicies secundo: Subsistentia increata Verbi divini potest supplere, & de facto supplet in humanitate Xpti Dni vices subsistentiæ creatæ, ergo etiam intellectio increata potest supplere vices intellectionis creatæ in intellectu animæ Xpti. antecedens est de fide, & consequentia probatur. ideo subsistentia Verbi potest uniri humanitati supplendo vices subsistentiæ creatæ, quia continet perfectionem subsistentiæ creatæ, seu personalitatis creatæ, sed etiam intellectio increata continet perfectionem intellectionis creatæ. ergo poterit de potentia absoluta uniri intellectui creato animæ Xpti, & illam intelligentem per illam constituere.

Respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam. & paritatem, quæ nulla est. unde ad probationem nego causalem maioris, ut adæquatam, sed ideo & quia in eo quod est supplere defectum personalitatis creatæ, nulla involvitur imperfectio causalitatis formalis, quia non est de conceptu subsistentiæ identificari cum natura quam terminat, nec illam informare. quarum formalitatum aliqua est de conceptu intellectionis. eo quia de conceptu intellectionis est oriri, seu egredi ab intellectu intelligente per ipsam, vel egresione virtuali, ut in Deo, vel formali, ut in creaturis. ac proinde cum intellectio increata nequeat vel identificari cum intellectu animæ Xpti, vel ab illo oriri formaliter. ideo intellectio increata non potest munus intellectionis creatæ supplere.

Replicabis: de conceptu essentiali subsistentiæ, prout abstrahit a creata, & increata non est dimanare, nec formaliter, nec virtualiter, nec eminenter, a natura quam terminat; ergo similiter de conceptu essentiali intellectionis, non est dimanare, vel formaliter, vel virtualiter, seu eminenter ab intellectu intelligente per ipsam. consequentia probatur, quia tam subsistentia, quam intellectio sunt actus, ergo, si non obstante quod subsistentia sit actus non exigit dimanare aliqua emanatione, non obstante quod intellectio sit actus, non est de suo conceptu formali dimanare.

Respondeo concesso antecedenti negando consequentiam eo quia non datur paritas, & proinde ad probationem respondeo distinguendo antecedens, subsistentia est actus, & intellectio est actus in eadem linea nego, in diversa concedo. Subsistentia enim est actus, ut terminus seu est actus per modum termini, intellectio vero est actus, ut operatio, seu ut actio, de cuius conceptu est dicere ab, seu egressionem a principio.

Replicabis, sed disparitas assignata non convincit, ergo utrobique par ratio. Subsumpta probatur, ideo esset de conceptu essentiali actus, qui est operatio, seu actio, ut intellectio est, dicere ab, seu egressum saltem virtualem, ab intellectu intelligente per ipsam, quia omnis intellectio sive creata, sive increata, essentialis, vel notionalis, egreditur a suo intellectu, vel formaliter, ut in creaturis, vel eminenter seu virtualiter ut in Deo, sed etiam omnis actus qui est talis per modum termini, ut subsistentia, vel existentia, emanat, & egreditur a natura, ~~[illegible]~~, ergo si hoc non obstante, subsistentia increata, potest terminare naturam a qua non dimanat, ergo & intellectio increata poterit constituere intelligentem intellectum a quo non dimanat.

Subtilis replica, sed adhuc non convincit intentum. respondeo ergo negando minorem subsumptam, & ad probationem concessis præmissis negatur consequentia, vel claritatis gratia distinguo præmissas, & primo distinguo maiorem, quia omnis actus, qui est operatio, vel actio dimanat, ut vita, & actio, de cuius conceptu est dicere ab, seu explicare conceptum ab, concedo, aliter nego maiorem, & deinde distinguo minorem, sed etiam omnis actus qui est terminus dimanat, ut vita in exercitio, & actio, & operatio, de cuius conceptu est ab, nego minorem, dimanat, non explicando ab, transeat, & nego consequentiam. Actus seu operatio, vel actio, quæ est vita in exercitio, & actu secundo est essentialiter ab intrinseco viventis, nimirum quam vita radicalis, & proxima dicunt esse intrinsecum quid, viventis, unde actus iste non potest denudari a conceptu ab, sicut relatio non potest denudari a conceptu ad, & insuper actus qui est vita in exercitio, non utcumque dicit ab, sed ab ab intrinseco viventis, se moventis, ab intrinseco, & ab se, unde intellectio, non potest non dicere egressionem

ab intellectu intelligentem per ipsam, cum illum constituat intrinsece viventem in exercitio. Et cum hoc modo dicere ab non sit de conceptu actus qui terminus est qui non terminat ut actio, et ut vita, ut patet in subsistentia, quae terminando naturam non constituit naturam viventem, sed terminat illam quae est vivens formaliter per suam animam, inde est quod subsistentia increata potest supplere defectum subsistentiae creatae; intellectio autem increata vices intellectionis creatae supplere non potest.

Obiicies tertio. Essentia divina unitur intellectui beato per modum speciei impressae, ergo et poterit uniri intellectio increata, saltem de potentia absoluta, ut intellectio actualis intellectui animae Xpsti, vel alicui alteri intellectui. ans supponitur ex tract. de visione. 1. p. q. 12. et consequentia probatur primo, quia in probabili sententia Thomistarum, munus speciei, et intellectionis, non distinguuntur, nec virtualiter, ergo si unitur sub uno munere, poterit uniri sub alio.

Secundo quia ideo potest uniri sub conceptu speciei, quia essentia divina est actualissima in repraesentando, et insuper continet omnem repraesentabilitatem specierum creatarum. Sed etiam intellectio increata est actualissima, et continet omnem perfectionem intellectionis creatae. ergo.

Respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam, et ad primam probationem respondeo quod etiam si illa duo munia non distinguantur virtualiter adaequate, negari nequit quod distinguuntur virtualiter inadaequate, unde adest locus ut uniatur sub uno munere essentia divina, et non sub alio. Ad secundam probationem nego causalem maioris, imo et supposito cum essentia divina non uniatur per modum speciei impressae, supplendo vices speciei creatae, cum species creata repraesentativa Dei repugnet, ut ibidem ostenditur, unitur ergo ut species, quia non est alia species propria essentiae divinae, nisi ipsa essentia, et quia in hoc quod est se repraesentare non dicit imperfectio, causalitatis formalis, cum non debeat informare intellectum cui repraesentat, nec identificari cum illo, eo quia identificatio, vel informatio, sunt formalitates de linea physica, repraesentare autem est formalitas de linea intellectiva, et istae lineae sunt primo diversa. intellectio autem dicit utramque lineam impraescindibiliter, et inseparabiliter, cum qua ratione sit actus debeat vel identificari cum intellectu, vel illum informare, ut dictum est.

Replicabis. in specie impressa etiam est impraescindibilis linea physica ab intentionali, cum, species impressa, etiam ut repraesentet debeat concursum physicum effectivum, quia ut dicitur in libris de Anima species concurrunt effective ad intellectionem.

Respondeo quod concursus effectivus quem species impressa praebet non est ex parte intellectus agendo ut comprincipium illius, sed se tenet ex parte obiecti, quo circa dicitur quod ab obiecto, et potentia pariter notitia. unde non explicat

nec debet explicare de suo conceptu informationem, vel identificationem respectu intellectus quem fecundat ut intelligat.

Obiicies quarto. Essentia divina, potest uniri, et defacto unitur intellectui animæ Xpti, et intellectibus Beatorum per modum speciei expressæ, seu Verbi ergo intellectio increata potest uniri intellectui animæ Xpti, per modum intellectionis ipsum intelligentem constituendo. antecedens supponitur, et consequentia probatur quia Verbum, seu species expressa, licet sit productum, et ortum ab intellectione tamen denudari potest ab isto conceptu, et uniri solum sub conceptu actualissimæ repræsentationis, et intellectio increata poterit denudari a conceptu ab. et uniri sub conceptu intellectionis et actualitatis perfectissimæ.

Respondeo. concesso antecedenti, negando consequentiam. et ratio est, quia Verbum potest sumi, proprie, et improprie, seu communiter. proprie sumptum est vitale terminative, unde in divinis solum dicitur notionaliter, et proinde sub isto munere explicat non solum esse actualissimam repræsentationem obiecti, sed etiam esse dictum, et productum, hoc est, genitum. improprie autem, et communiter acceptum solum dicit esse actualissimam repræsentationem obiecti, et non dicit vitalitatem, etiam terminative, nec originem passivam, seu ortum esse, et sub isto conceptu unitur essentia divina intellectui cuicumque illustrato lumine gloriæ; intellectio autem, sub quacumque expressione, quantumvis inadequata, dicit vitalitatem in actu secundo, et actualitatem vitalem non utcumque sed per modum actionis, et operationis, dicentis essentialiter ab. non minus quam relatio dicat ad. Replicabis. ideo Verbum expressum habet dici, proprie, et improprie, seu communiter, quia in Verbo, et est habitudo ad obiectum, et est habitudo ad potentiam. unde relate ad obiectum, dicit esse passivam representationem illius, et relate ad potentiam, dicit esse dictum, seu ortum ab ipsa; sed etiam in intellectione est aliud duplex munus, et ad potentiam, et ad obiectum, ad potentiam, ut exercitium illius, ad obiectum, cuius dicit habitudinem intelligentis ad rem intellectam, ergo poterit intellectio increata sub ista ultima, seu secunda formalitate uniri intellectui animæ Xpti, sicut Verbum unitur mentibus beatorum, ut improprie est tale.

Respondeo concessa ~~antecedenti~~ maiori et minori negando consequentiam, et ratio disparitatis est manifesta, quia Verbum improprie dictum, non dicit sub illa formalitate esse vitale, in exercitio, sed solum dicit vitalitatem, per modum dicti sub prima et propria acceptione. intellectio autem sub quacumque formalitate dicit vitalitatem actualem, est enim tendentia vitalis ad obiectum unde semper explicat ab. et proinde intellectio increata, non potest intellectui creato uniri illum intelligentem constituendo.

Quinto denique obiicies. Potest intellectus divinus intelligere per intellectionem creatam, ergo, & potest intellectus creatus animæ Xpti intelligere per intellectionem increatam. consequentia infertur a paritate rationis, & antecedens probatur, quia intellectio creata dependet ex natura rei a Deo, ut a causa prima, & effectiva, & aliunde potest intellectio creata assumi a subsistentia divina, sed in ista hypotesi possibili utique de potentia absoluta, intellectio creata conveniret Deo a se, ergo intellectio creata constitueret Deum intelligentem.

Respondent aliqui concedendo antecedenti, negando consequentiam, & assignant disparitatem insinuatam in eodem argumento, quia nimirum potest Deus assumere, & supponitare intellectionem creatam, & in ista hypotesi intellectio creata conveniret Deo a se, quia esset sua. 3º vero intellectio increata sub nulla hypotesi potest esse ab intrinseco intellectus creati.

Sed hæc solutio mihi displicet. tum quia est manifeste contra D. Th. qui absolute docet in hac q. ar. 1. quod actus unius naturæ non potest convenire alteri, ut in prima probatione conclusione conclusionis, usi sumus cum Caietano. Sed intellectio creata est actus alterius naturæ a divina, ergo sub nulla ratione, nec in aliqua hypotesi potest convenire naturæ divinæ. Quod & instatur quia implicat naturam divinam subsistere per subsistentiam creatam eo quia subsistentia creata limitatur ad suam naturam, & quia non potest facere quidquid facit subsistentia divina. ergo neque intellectio creata potest constituere intelligentem intellectum divinum. Secundo instatur, quia vita radicalis & proxima debet convenire ab intrinseco, non potest natura divina constitui vivens radicaliter per naturam creatam, nec intellectus divinus suppleri per intellectum creatum, unde Deus non potest constitui proxime intelligens per intellectum creatum, licet assumat intellectum creatum. ergo nec potest constitui intelligens per intellectionem creatam a se assumptam. Respondeo ergo ad argumentum negando antecedens. & ad probationem distinguo & explico primam illius partem, intellectio creata dependet a Deo ex natura rei, ut a causa effectiva, universali, concedo, ut a causa particulari vivente, vel potente vivere per intellectionem creatam nego. & deinde explico secundam partem antecedentis in tali hypotesi intellectio creata conveniret Deo, a se, idest illam sustentaret in se, concedo, viveret per illa ut elicitam a se, modo exacto, hoc est, concurrente natura divina ut principio radicali, & intellectu divino ut principio proximo, nego, & proinde non viveret in actu secundo per illam. Sicut si subsistentia divina assumeret albedinem v. g. in abstracto, non constitueretur Deus albus, unde si assumeret intellectionem creatam non constitueretur intelligens, quia isti effectus dantur ab accidentibus istis in genere causæ formalis informantis. & Deus ab illis non potest informari

DISPVTATIO DVODECIMA. DE SCIENTIA BEATA ANIMÆ CRISTI.

ad. q. 10. D. Th.

Articulus. I.

Vtrum Christus, dum erat Viator, habuisset scientiam Beatam, & an illam a primo conceptionis instante, habuerit.?

§. 1.

Prænotantur nonnulla.

Scientia beata prout communis est omni Beato, nil aliud est quam visio clara, & intuitiva Dei, ut est in se; unde & includit ex parte obiecti obiectum beatificum, quod utique est solus Deus ut est in se, & proinde dicit etiam speciem tum impressam, tum expressam, illam, ad fecundandum intellectum, & istam, ut in illa ut in Verbo expresso contempletur obiectum, unde supponimus ex tractatu de visione Dei. 1. p. q. 12. quod utraque species est increata, videlicet essentia divina. quæ unitur mentibus Beatorum, tam in linea speciei impressæ, quam expressæ. & ex parte potentiæ includit lumen gloriæ, quod actuat intellectum & illum elevat, ut elicere possit visionem, seu intellectionem qua percipiat obiectum quæ intellectio seu visio est ipsa formalis beatitudo, ut dicitur 1. 2. q. 1. & sequentibus, quod lumen gloriæ, etiam proportionat potentiæ ut actuari possit ab essentia divina, quatenus gerit munus speciei. & insuper est tota ratio agendi visionem, ut modo supponimus probatum, & explicatum. ex 1. p. q. 12.

Igitur hæc scientia beata, quæ utique est quid creatum, & est in omni Beato, est de qua [illegible] procedit præsens difficultas. an fuerit in intellectu creato animæ Christi, unde supponimus quod loquimur de Christo ut homine, & cum ut vidimus disputatione præcedenti intellectus creatus Christi, non possit intelligere per intellectionem increatam, sed necessario, debeat elicere a se intellectionem, creatam utique, quæ rimus proinde an fuisset in intellectu creato animæ Christi ista intellectio qua Deum vidisset clare & intuitive, et qua esset formaliter beatus, & ad quam eliciendam supponimus necessitatem luminis gloriæ, & unionis essentiæ divinæ per modum speciei, ut late probatur ad dictus tractatus de visione. quæ utique intellectio dicitur & est Scientia beata.

§. II.

Duplici conclusione solvitur dubium. Et 1.a proponit[ur]

Sit prima conclusio: Christus Dominus, dum erat viator, et in hac vita mortali degebat, habuit scientiam beatam, seu vidit clare, intuitive, et quidditative divinam essentiam. Hæc conclusio ita certa est apud theologos, ut alij dicant esse imm[ediate] de fide. Deum vidisse a primo conceptionis instante, ita Medina. in p[ræ]senti ar. 2. alij asserunt esse ita certam n[ost]ram conclusionem, ut oppositum, sit proximum hæresi. ita Suarez, disp. 25. sect. 2. alij ita certam ut oppositum sit temerarium. ita Lorca. disp. 93. n. 3. alij asserunt, q[uo]d n[ost]ra conclusio est imm[ediate] de fide, quod vero Deum vidisset a primo conceptionis instanti, ut dicemus in 2.a conclusione. non esse certum de fide et si oppositum sit ingens temeritas. ita Alvarez. disp. 52. conc. 2. et 3. = in quo autem gradu sit certitudinis. tam ista, quam secunda conclusio, non est facile proferre iudicium. at mihi videtur, esse de fide, vel adminus, ita certa, ut oppositum sit proximum hæresi. ut ex probat[ione] constabit.

Probatur ergo hæc nostra conclusio. ex mysterio transfigurationis Domini, quod fuit signum gloriæ, seu visionis beatificæ latentis in anima Christi, quæ gloria ex permissione Christi tunc resilivit in corpus. ut communiter docent Sancti P[at]res.

Secundo probatur ex illo Ioann. cap. 3. Nemo ascendit in Cælum, nisi qui descendit de Cælo Filius hominis qui est in Cælo. + in quibus verbis Christus adhuc viator, et in terris degens, testatur de se ipso, se esse in Cælo, et ut notat. S. Aug. Ep. 57. idem est esse in Cælo, ac videre Deum. Ulterius probatur. ex illo Ioann. etiam cap. 3. quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur. ubi ut notat Caietanus intentus Christi in præsenti erat persuadere Nicodemo, quod testimonium ipsius Christi debet præferri, et anteponi ad quodlibet aliud testimonium, quia Christus est testis oculatus. ergo Christus ante mortem, dum erat viator vidit divinam essentiam.

Triplici ratione probatur nostra conclusio. prima sumitur ex D. Th. q. 9. in præsenti. ar. 2. quæ sic proponitur decens est quod instrumentum excellens, et influens per modum capitis, prius habeat in se formaliter quae alijs communicat, s[e]d Christus ut homo causat ut instrumentum excellentiæ Beatitudinem supernaturalem, quæ utique consistit in clara D[e]i visione, ergo decens fuit quod haberet in se talem Beatitudinem seu visionem.

Secunda ratio sumitur ex eodem Angelico Mag. supra. q. 7. ar. 1 et sic formatur: quia quanto aliquod receptivum proximius est causæ influenti tanto magis, et perfectius illius causæ influxum participat. s[e]d influxus gratiæ est a D[e]o, ut a causa principali; cui propinquior est humanitas Christi præ omni creatura, cum sit humanitas D[e]o unita in unitatem personæ. ergo perfectissime gratiam participat; s[e]d gratia perfectissima, est gratia consummata per gloriam, seu visionem claram, intuitivam, et quidditativam divinæ essentiæ ergo anima Christi habuit visionem beatificam adhuc quando erat in hac vita

Tertio probatr conclusio, ratº qua utitr Durand in 3. dist. 14. q. 1. n. 5. & sic formatr. decens est ut natura assumpta ad Supremum esse, elevetr ad Supremam operationem sibi possibilem, sed natura humana Christi est assumpta ad Supremum esse videlicet ad esse divinum, ergo debuit elevari ad Supremam operationem, sed Suprema operatio est visio clara & quidditativa Dei ut est in se ergo ad istam operationem debuit elevari.

Dices qd operari non sequitr ad esse subsistentiæ, vel existentiæ, sed ad esse essentiæ, & proinde cum esse essentiæ humanitatis Christi, non sit esse supremum, esto subsistª & existª ad quam est assumpta sit omnium suprema. inde est quod non convincitr ex prædicta ratione quod debeat elevari ad Supremam operationem qualis est visio beata,

Sed contra & respondeo, quod illa in maiori propositº non dicitr necesse est ut ad Supremum esse sequatr Suprema operatio. sed dicitr qd decens est quod natura assumpta ad Supremum esse elevetr ad Supremam operationem, ad denotandum quod visio beatifica non debetr animæ Christi, debito physico, seu naturalis connexionis physicæ, sed debito morali, tantum illi est debita visio beata, hoc enim debitum morale denotat & significat illud verbum decens:

§. III
Statuitr. 2ª conclusio.

Sit secunda conclusio. ~~[illegible]~~ Christus Dominus habuit scientiam beatam, seu visionem claram, intuitivam, & quidditativam divinæ essentiæ. a primo instanti suæ conceptionis, inclusive. — hæc conclusio gaudet eodem gradu certitudinis ac prima, & eisdem auctoritatibus & rationibus probatur. ut consideranti patebit. & ulterius probatr. ex D. Th. infra. q. 34. ar. 4. ubi eamdem hanc nram conclusionem docet, & eam probat in argumento Sed Contra ex illo Psalmi. 64. Beatus, quem elegisti, & assumpsisti quod secundum glosam refertur ad humanam Christi naturam, quæ assumpta est a Verbo Dei in unitatem personæ; Sed in primo instanti conceptionis fuit assumpta humana natura a Verbo Dei in unitatem personæ, ergo in primo instanti suæ conceptionis Christus, secundum quod homo, fuit beatus, quod est esse comprehensorem * hucusque D. Th. ubi expresse nram conclusionem, docet & probat.

Secundo probatur eadem conclusio ex illo Joann. c. 1. Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ, & Veritatis. Sed si Christus a primo conceptionis instanti non haberet scientiam beatam, seu visionem beatificam, Verbum Caro factum, nº esset plenum, gratiæ, & veritatis. ergo. probatr minor. quia plenitudo gratiæ consistit in possessione gratiæ consummatæ, quæ unice habetr per gloriam, seu per visionem beatam, similitr. plenitudo veritatis. hoc est plenitudo in ordine ad cognoscendam veritatem, solum verificatr in scientia beata, seu visione beatifica, quandoquidem si scientiam beatam non haberet deesset illa veritas, quæ per talem scientiam cognoscitr. ergo non esset plenitudo.

Deinde suadetur conclusio, omnis perfectio possibilis, quae compatibilis est cum munere Redemptoris, concedenda est Christo, ut tenet communis scholasticorum sententia; sed habere a primo conceptionis instanti scientiam beatam est maxima perfectio, et alias cum munere Redemptoris compatibilis. ergo illam habuit a primo conceptionis instanti. Dices quod maior perfectio est habere visionem beatam per merita, quam sine illis, sed si illam haberet a primo conceptionis instanti non illam haberet per merita. ergo illam non habuit. consequentia patet cum, ut dicebamus quidquid maioris perfectionis est concedendum sit Christo, si alias illi non repugnat, quatenus Redemptor. Sed contra, et distinguo maiorem, quando alias carentia imperfectionem, et indecentiam non dicit, concedo, quando dicit imperfectionem seu indecentiam carentia visionis, nego maiorem. et concessa minori nego consequentiam. diximus ergo quod esset indecens quod natura assumpta ad hypostasim Verbi careret aliquo instanti visione beata, unde eadem ratione diximus, indecen[illegible] tia, quod Christus a primo conceptionis instanti illam habuit, et sine merito, ne daretur instans in quo Christus esset sine illa.

§. IV.

Solvuntur argumenta.

Mitto errorem quorumdam haereticorum qui tenuere Brentius, et Calvinus relati a Bellarmino lib. 4. de anima Christi c. 8. asserentes Christum ante mortem suam dubitasse de sua salute, et desperasse in cruce, et passum esse tormenta inferni [illegible]. Mitto in quem hunc errorem, et alios similes, ut dicit [illegible] quia [illegible] blasphemi dicti, et pronunciatur delirium tale. Similiter aliud argumentum desumptum ex quibusdam auctoritatibus sacrae paginae, ex quibus videtur colligi Christum ante mortem non habuisse scientiam beatam. facile solvitur. argumentum ergo fundatur in illo Luc. cap. 24. nonne oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? et Ioann. 7. Nondum Spiritus erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. et illud Ioann. 17. Clarifica me pater claritate, quam habui priusquam mundus fieret. et illud Apoc. 5. dignus est agnus qui occisus est accipere gloriam etc. Illud etiam argumentum facile solvitur, quia respondere debet quod initio loci [illegible] loquitur de gloria corporis, et de sui nominis exaltatione, quam corporis gloriam et exaltationem sui nominis habuit Christus per passionem, et mortem suam.

Arguitur ergo primo argumento aliquo difficili contra nostram conclusionem, et formatur sic: Summa tristitia cum summo gaudio, simul existere nequeunt. sed Christus tempore mortis summam tristitiam passus est de sua morte, iuxta illud, tristis est anima mea usque ad mortem. ergo in eodem tempore caruit summo gaudio beatifico. et consequenter et caruit beatitudine seu scientia beata, ad quam sequitur necessario summum gaudium. Tunc sic ultra, de ratione beatitudinis est inamissibilitas, ergo est quia a primo conceptionis instanti non habuit beatitudinem, neque per totum tempus suae vitae mortalis.

Varie occurrunt huic argum.to theologi. Magister Cano, & alij videlicet Valentia Salmeron & Maldonatus respondent, quod Christus tempore mortis caruit gaudio beatifico, quod utique separari potest de potentia absoluta, a beatifica visione, in qua consi stit essentialiter beatitudo, unde licet Christus habuerit semper scientiam beatam, non tamen debuit habere semper gaudium beatum, cum esset tunc summe tristitiae. S.d haec solutio displicet communiter non solum nostris thomistis, s.d & alijs theologis, cum non sit neganda in Christo perfectio aliqua quae reperitur in alijs beatis, si illa sit compossibilis cum munere redemptoris, & cum sua passione & morte. & esse compossibilem summum gaudium, cum summa tristitia postea dicemus cum communiori theologorum sententia. Secundo alij respondent quod & si de lege ordinaria gaudium in summo, & tristitia in summo contrariantur, tamen de potentia absoluta, componi possunt in eodem subiecto. S.d haec solutio nostris magis explicata doctrinis nequit, quia non minus opponuntur gaudium in summo & tristitia in summo, quam assensus, & dissensus, amor & odium, s.d ista etsi non sint formaliter contradictoria, sed tantum virtualiter, quia sunt stricte contraria, non possunt simul componi, ergo, nec gaudium & tristitia in summo. Respondeo ergo ad argumentum distinguendo maiorem. summa tristitia cum summo gaudio simul stare nequeunt, si sint circa idem obiectum formale, & sub eadem ratione formali, concedo maiorem si sint circa idem obiectum materiale, tamen formaliter diversum, & sub diversa ratione formali nego maiorem. & concessa minori nego consequentiam itaque dicimus, quod licet eadem mors Christi terminaret utrumque affectum materialiter sumpta, tamen eadem mors, ut considerata, ut disconveniens naturae, terminabat tristitiam in summo, unde & attingebatur sub ratione mali, at vero eadem mors considerata ut conveniens ad redemptionem generis humani, terminabat actum gaudij in summo, quia attingebatur prout sic sub ratione boni. Quae solutio est iuxta D. Tho. in hac 3 p. q. 46. ar. 8. ad 1. ubi sibi idem argumentum per haec verba. Impossibile est simul dolere, & gaudere, cum dolor & gaudium sint contraria, sed anima Christi tota patiebatur dolorem in tempore passionis, ergo non poterat esse ut tota frueretur. Cui argumento sic respondet D. Tho: Ad primum dicendum quod gaudium fruitionis non contrariatur directe dolori passionis, quia non sunt de eodem, nihil autem prohibet contraria eidem inesse non secundum idem. S.d replicabis, si haec solutio est vera, sequitur quod non sit necesse recurrere ad potentiam absolutam, s.d naturaliter loquendo poterant esse simul summa tristitia, & summum gaudium, circa diversa obiecta formalia, & sub diversa ratione formali, etsi esset idem obiectum materiale, ut patet in amore & odio, quae naturaliter possunt esse in eadem voluntate, circa idem obiectum materiale, dummodo sit diversum formaliter & sub diversa ratione formali; Deus enim, & quilibet iustus, amat peccatores, ut homines, & odio habet ipsos ut peccatores. ergo similiter summum gaudium & summa tristitia componi possunt circa idem obiectum materiale, dummodo sit diversum formaliter, & sub diversa ratione formali.

Respondeo negando sequellam, et ad probationem admisso antecedenti, nego consequentiam; et disparitas est, quia gaudium et tristitia in summo non solum opponuntur in ratione obiecti, sed ratione subiecti, quae oppositionem non habent aliae affectiones, unde si sint circa diversum obiectum formale possunt naturaliter eidem subiecto inesse, at gaudium et tristitia in summo, etiam circa diversum obiectum formale non possunt eidem subiecto inesse naturaliter, ut docet Arist. lib. 7. Ethic. cap. 19. non enim quis potest habere gaudium in summo, etiam circa aliud obiectum, et simul tristitiam in summo. unde ut in Christo componatur summa tristitia quam habuit tempore passionis cum summo gaudio quod habuit a primo conceptionis instanti ut ortum a visione beatifica, recurrendum est ad potentiam absolutam, iuxta datam solutionem.

Articulus II

Utrum Xptus Dnus per scientiam beatam cognoscat in divina ess.^a visa, oẽs creaturas possibiles?

§. I

Praemittuntur certa

Suppono primo, ut omnino certum animam Xpti Dni per visionem beatam cognovisse Deum ut est in se clare intuitive, et quidditative, unde omnia praedicata, quae sunt formaliter in Deo cognovit, quae suppositio est nostra [illegible] ad tract. de Visione 1. p. q. 12. et etiam de omnibus beatis. unde sine scandalo negaretur Xpto, imo ibidem et 12. q. 3 ostenditur a Thomistis, quod etiam de pot.^a absoluta, non potest Deus videri, et non videri ut est in se, [illegible] unum attingendo omnia praedicata, quae sunt formaliter in Deo.

Suppono 2.º quod licet anima Xpti per scientiam beatam cognoscat Deum ut est in se, non tamen Deum comprehendit comprehensione stricta, et [illegible] quae diffiniri solet ex D. Aug. Ep. 112. c. 9. illud comprehenditur quod ita cognoscitur, ut nihil eius lateat cognoscentem. seu ut dicit. lib. 3. de Civit. Dei. cap. 18. tunc aliquid comprehenditur quando totum totaliter attingitur, ut nihil eius lateat. in hoc sensu supponimus Xptum non comprehendere per istam scientiam beatam. imo communiter docetur a theologis cum Mag. in 3. dist. 14. et cum D. Tho. ibidem q. 1. ar. 2. quaestiunc. 1. et in 4. dist. 49. q. 2. ar. 3. et in praesenti q. ar. 1. et 2. et alibi. — Haec nostra suppositio est diffinita in Concilio Basiliensi Sess. 22. ubi ut erronea in fide, damnatur haec propositio: Anima Xpti videt Deum tam clare, et intense, sicut Deus videt se ipsum. et in sacra pagina passim dicitur Deus incomprehensibilis.

Suppono 3.º Animam Xpti cognoscere in div.^a ess.^a visa aliquas creaturas possibiles, sicut 1. p. q. 12. affirmatur de omni beato. et ratio [illegible] insinuatur, quia in causa continente efficacitur [illegible] effectus cognosci ex vi cognitionis causae, sed divina essentia, ut explicabilis per omnipotentiam est causa possibilium et causa illa perfecte continens, ergo in div.^a ess.^a visa potest cognoscere aliquas creaturas possibiles. et per consequens [illegible] aliquas cognoscit, cum caeteri beati aliquas videant. Quod ergo in praesenti inquiritur. an videat anima Xpti per istam scientiam in divina essentia visa, omnes creaturas possibiles, collective sumptas, ita ut nulla [illegible]

§. II

Referuntur sententiae

Prima sententia est affirmativa. ita Magister sententiarum. in 3. dist. 14. §. 2. Durand. ibidem q. 2. [illegible] de Ripa relatus a Capreolo. ibidem q. 1. ar. 1. et eamdem sententiam docent alij

Verum Mag. & alij cum ipso docent quod Xphus per scientiam beatam cognoscit etiam omnes creaturas præteritas, præsentes, & futuras, unde asserit iste modus dicendi quod anima Xpti per scientiam beatam cognoscit, quidquid Deus cognoscit per scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis. Durandus autem docet quod anima Xpti per istam scientiam beatam cognoscit omnes creaturas possibiles, nullam tamen ex futuris.

Secunda sententia docet quod Anima Xpti per scientiam beatam non cognoscit omnes creaturas possibiles. ita Angelicus Magister, & cum eo communiter Thomistæ, quos refert, & sequitur M. Godoi in præsenti disp. 34. §. 1. hanc eamdem sententiam docent communiter Authores Societatis, præsertim Molina 1. p. q. 12. ar. 8. disp. 2. Vazquez in præsenti disp. 50. cap. 3. Suarez disp. 26. sect. 2. Docet etiam hanc sententiam Subtilis Doctr. Scotus in 3. dist. 14. q. unic. ar. 1. & cum eo sui discipuli.

Differt tamen sententia Scoti a sententia D. Thomæ, quod Angelicus Magister, & cum eo Thomistæ docent Animam Xpti per scientiam beatam non potuisse cognoscere omnes creaturas possibiles collective sumptas, cognovisse tamen omnes creaturas præsentes præteritas, & futuras. Subtilis autem Doctr. docet non solum animam Xpti non cognovisse omnes creaturas possibiles, verum neque omnes futuras, sed aliquas.

Nos autem claritatis gratia, in præsenti articulo solum loquemur de cognitione Xpti per scientiam beatam, in ordine ad creaturas possibiles; de præteritis autem, præsentibus, & futuris loquemur articulo sequenti.

§. III

Statuitur conclusio

Sit nostra conclusio: **Anima Xpti Dni, licet cognosceret in Verbo per scientiam beatam, plura possibilia quam quilibet Beatus, imo plura quam omnes Beati simul, tamen non cognovit, nec cognoscere potuit, etiam de potentia absoluta, omnia possibilia collective sumpta.**

Ita Angelicus Doctr. in hac. q. 10. ar. 2. & 1. p. q. 12. ar. 8. & q. 20. de verit. ar. 5. & alibi.

Prima, & secunda pars nostræ conclusionis negari non potest, quia cum gratia Xpti sit intensior præ omnium Beatorum gratia, non solum divisive sumptorum, sed & collective, & lumen gloriæ detur iuxta mensuram gratiæ, visio beatifica, seu scientia beata Xpti Dni,

non potest non ad plures creaturas possibiles se extendere, quam se extendant visiones beatæ omnium beatorum, etenim cum visio mensuretur, iuxta quantitatem Luminis, si illud est intensius, visio non potest non esse intensior, & clarior, & cum aliunde intensio visionis arguatur ex maiori, vel minori penetratione, & cognitione possibilium in omni potentia, necessario infertur quod Xpus cognoscit plura possibilia, quam quilibet Beatus, & omnes collective sumpti.

Difficultas ergo devolvitur ad tertiam partem conclusionis, quæ sic probatur, & inprimis si de potentia absoluta posset Xpus per hanc scientiam in Verbo cognoscere omnia possibilia, illa defacto cognosceret. quia omnis perfectio possibilis, compatibilis cum munere Redemptoris concedenda est humanitati Xpti, si alias aliquod inconveniens non sequatr, solum ergo probandum restat quod de potentia absoluta illa non potuit cognoscere.

Sed notandum est, quod cum hoc discursu facto manet impugnata ratio. qua utitur P. Vazquez in præsenti, ad istam conclusionem suadendam, dicit enim hic. disp. 50. cap. 3. quod si anima Xpti cognosceret defacto omnia possibilia. vel illa cognosceret ex vi visionis essentiæ, vel ex revelatione, primum asserit quod non potest dici, & secundum docet esse voluntarie dictum. Manet inquam impugnata hæc ratio. quia si esset possibilis visio omnium possibilium, ex revelatione, vel alio modo, non esset voluntarie dictum quod illa cognosceret ex revelatione, quia est principium communiter a Patribus & a theologis admissum, quod omnis perfectio possibilis, non pugnans cum munere Redemptoris concedenda est de facto animæ Xpti. Sed ista visio si possibilis esset, non pugnaret cum munere Redemptoris, ergo ex illo principio convinceretr quod per revelationem illa cognosceret.

Secundo probant alij nostram conclusionem ex eo quia si Xpus per visionem beatificam videret in essentia divina omnia possibilia videret etiam suam visionem, quatenus possibilis, sed hoc repugnat, eo quia ipsa visio specificaretur a se.

Sed hæc ratio mihi displicet quia etiam, cognitio Xpti ut sic attingit se ipsam quatenus continetr in illa rat. communi quin sequatur quod specificatur a se.

Secundo quia si prædicta ratio convinceret, sequeretur quod nullus Angelus comprehenderet se ipsum, cuius contrarium communiter docetr. 1. p. q. 50, etenim Angelus ut se comprehendat debet cognoscere comprehensive suum intellectum, & proinde suam cognitionem & proinde ista cognitio comprehensiva se ipsam attingit ut obiectum comprehensum, quin sequatur quod specificatur a se. ergo. Similiter visio beatifica Xpti Dni potent se ipsam cognoscere subratione possibilis. quin sequatr quod specificatr a se. unde si solum ex hac ratione negatr Xpto cognitio omnium possibilium, inepte negatur

Ratio autem apriori huius est quia licet quælibet cognitio dependeat, & specificetur a suo obiecto primario, non

tamen dependet, nec specificatur ab obiecto secundario, et materiali. Sed visio beatifica quae ut possibilis continetur in essentia divina, non est obiectum primarium visionis illam videntis in essentia divina. Sed est sola divina essentia sicut obiectum primarium cognitionis, quae attingit ens ut sic, non est quidquid implicite continetur in illa ratione entis ut sic, sed solum ipsa ratio entis communiter, et universaliter accepta, ergo neutra specificatur a se ipsa quamvis contineatur in obiecto primarie attacto. Sicut etiam in cognitione Angelica sui ipsius comprehensiva obiectum primarium est essentia Angeli, ubi in causa continetur, et omne in essentia contentum est obiectum materiale, et secundarium.

Tertio alij probant nostram conclusionem ex eo quia est possibilis actus fidei divinae affirmans visionem beatificam Xpti v.g. esse in aeternum duraturam, sed visio beatifica Xpti Dni non potest videre in essentia divina visa hoc possibile, ergo neque omnia possibilia. Maior est nota, cum illa veritas sit revelabilis, imo sit revelata. Minor probatur quia actus fidei divinae, cum sit essentialiter verus, eius obiectum essentialiter exigeret existentiam, sed visio beatifica, cum sit creatura, non exigit essentialiter existentiam, nec exigit essentialiter esse in aeternum duraturam, alias nec de potentia absoluta non posset annihillari a Deo, ergo visio beata Xpti Dni non potest videre illum actum fidei ut possibilem.

Displicet mihi etiam ista ratio. quia negata minori ista ratio evanescit, et illam non convincit eius probatio, respondeo ergo distinguendo maiorem. obiectum eius essentialiter existeret, si fides ut existens obiectum illud affirmat, concedo, secundum se sumptum, et independenter a fide affirmante eius existentiam, essentialiter existeret nego maiorem, et distinguo minorem. Sed visio beata non exigit essentialiter existere, stante fide divina, et revelatione Dei, affirmante extituram esse per totam aeternitatem, nego, secundum se, et praecisive a fide, transeat minor, et nego consequentiam.

Replicabis: ergo non potest illud obiectum annihillari a Deo. Resp. distinguendo consequens, secundum se sumptum, et praecisive ab existentia actus fidei affirmantis eius existentiam, nego, si datur actus fidei divinae affirmantis existentiam illius obiecti, esse conservandam per totam aeternitatem, non potest annihillari a Deo impotentia consequenti, orta ex ipso Deo affirmante et revelante esse in aeternum duraturam, cui revelationi innititur fides divina, concedo, impotentia antecedenti, Deo non libera, nego consequentiam.

Relictis ergo, his et alijs similibus rationibus, probatur nostra conclusio ratione, quae sub hac forma ...

Cognitio omnium possibilium in divina essentia visa & ex vi cognitionis illius est divinæ essentiæ comprehensio. Sed nec de potentia absoluta potest divina essentia comprehendi ab intellectu creato. & pro inde & ab intellectu animæ Xpti, ergo implicat quod intellectus creatus animæ Xpti cognoscat omnia possibilia in divina essentia visa, & ex vi cognitionis divinæ essentiæ. consequentia infertur, & minor supponitur, tum ex statabilibus, tum ex 1. p. q. 12. probatur ergo maior

Primo quia tunc aliquid comprehenditur quando ita cognoscitur, quod nihil eius latcat cognoscentem, unde & quando, omnia videt illius obiecti, & tam quo ad formalia, quam quoad eminentialia videtur perfectissime obiectum, etenim sic eius fines circumscribuntur, sed si omnia possibilia collective in essentia divina cognoscerentur a Xpto Dno. videret essentiam. secundum omnia prædicata formalia. & eminentialia ergo comprehenderetur. Secundo quia eo modo cognoscitur aliquid in aliquo quo in ipso continetur, sed possibilia continentur in essentia divina ut in causa, ergo ut in causa cognoscerentur. quod magis late probatur ad tract. de scientia Dei, Sed cognitio omnium effectuum in causa. præsertim collective sumptorum, est causæ comprehensio ut patet., eo enim magis causa cognoscitur, quo in ipsa plures effectus cognoscuntur; ergo cognitio omnium collective erit causæ comprehensio.

Replicabis ex Subtili Doct.re Scoto in 3. dist. 14. primo. & dices quod creaturæ possibiles non cognoscuntur in essentia divina, ut effectus in causa. Sed ut in speculo. ergo licet in ipsa cognoscantur omnes creaturæ possibiles, non sequitur ipsam comprehendi ut causam. antecedens probat ex D. Aug. lib. de Videndo Deum

Respondeo quod Angelicus Doctor. q. 12. de Verit. ar. 6. docet quod creaturæ possibiles continentur in essentia divina ut in Speculo. metaphorice, & improprie, nec aliud docet D. Aug. loco citato. & insuper ibi docet quod continentur in divina essentia, proprie, ut in causa, & ratio est quia Deus solus metaphorice est causa creaturarum, & proprie, & rigorose illarum causa etenim speculum proprium accipit species ab obiecto in ipso repræsentato, & Deus similitudines, seu species non accipit a creaturis, sed ut ipsa essentia divina creaturas repræsentat perfectissime ergo si aliquid cognoscitur in aliquo ut in ipso continetur, creaturæ possibiles cognoscuntur in essentia ut in causa.

Replicabis secundo ex eodem Scoto. quod licet creaturæ possibiles contineantur in divina ess.a ut in Causa, non sequitur, quod visis omnibus comprehendatur essentia. assumptum probat, quia licet causa perfectius cognita, arguat plurium effectuum cognitionem nontamen econtra plurium effectuum cognitio arguit perfectiorem cognitionem causæ ergo cognitio omnium possibilium non arguit comprehensionem causæ antecedens probatur quia sicut causa in essendo non dependet ab effectu, ita neque in cognoscendo ergo maior cognitio effectuum non est maior cognitio causæ

Respondeo negando assumptum. et ad probationem nego ans. etenim plurium effectuum cognitio in causa, necessario arguit perfectiorem et intensiorem cognitionem causæ, unde omnium effectuum in causa cognitio nequit non arguere comprehensionem causæ.. nec probatio in contrarium urget, sed potius iuvat, quia sicut licet causa in essendo non dependeat ab effectu, ~~tamen~~ ~~[illegible]~~ plurium effectuum continentia est perfectio in essendo respectu causæ, et infinitorum effectuum continentia arguit infinitam perfectionem causæ in essendo, ita, maior cognitio effectuum maiorem arguit cognitionem causæ, unde omnium effectuum cognitio nequit non arguere causæ comprehensionem, quia sicut se habet magis ad magis ita se habet simpliciter ad simpliciter.

Tertio replicabis cum aliis recentioribus contra istam rationem qua nostram conclusionem probamus. et dices quod ad comprehensionem non solum ~~sufficit~~ requiritur quod cognoscatur aliquid secundum omnia formalia, et eminentialia ipsius, sed ulterius requiritur quod cognitio sit perfectissima, unde cum cognitio animæ Christi qua omnia possibilia in essentia divina dicitur cognoscere non sit perfectissima, etenim perfectior est cognitio qua Deus ipse suam essentiam comprehendit, inde est quod licet anima Christi videat omnia possibilia in essentia divina, non ex inde convincitur quod comprehendat essentiam divinam.

Sed hæc impugnatio nullius roboris est, quia ad comprehensionem alicuius rei non requiritur quod cognitio sit omnium maxima, nec ista particula in definitione comprehensionis ponitur ab Augustino ut ex notabilibus vidimus. sed solum requiritur quod obiectum cognoscatur quantum cognoscibile est passive, alias Angelus inferior non comprehenderet res naturales. imo nec unum lapidem, cum cognitio qua Angelus superior res naturales, et lapidem comprehendit sit perfectior active sumpta quam cognitione Angeli inferioris, imo sequeretur quod nullus Angelus quantumvis superior, neque aliqua creatura creata vel creabilis aliam creaturam quantumvis minimam comprehenderet, cum cognitio Angeli superioris non sit omnium maxima, nec adæquet perfectionem cognitionis divinæ, unde solus Deus comprehenderet creaturas. quod adversatur communi theologorum sententiæ.

Quarto alii replicant quod ad summum ex cognitione omnium possibilium in omnipotentia, seu in Verbo solum sequitur comprehensio omnipotentiæ. non vero essentiæ divinæ. et comprehensio solius omnipotentiæ, non implicat, dummodo non comprehendatur essentia.

Sed contra. quia non minus implicat comprehensio divinæ omnipotentiæ quam essentiæ divinæ. cum incomprehensibilitas sit prædicatum commune omni formalitati divinæ. tum. quia si omnipotentia posset comprehendi, posset etiam comprehendi essentia divina, assumptum probo quia non minus infinita est divina omnipotentia, quam essentia divina, sed non obstante infinitate divinæ omnipotentiæ, asserit iste modus dicendi, quod potest comprehendi divina omnipotentia, ergo non obstante infinitate divinæ essentiæ poterit comprehendi ipsa divina essentia.

Quinto alij replicant, quod etiam si omnia possibilia videantur ab intellectu creato in divina essentia, seu in omnipotentia, adhuc non comprehenderetur essentia vel omnipotentia divina. assumptum probant, quia visa connexione essentiae, et omnipotentiae in ordine ad possibilia, restat cognoscenda connexio essentiae divinae et omnipotentiae, cum aliis attributis divinis, et cum trinitate, sed ut comprehenderetur erat necesse quod etiam videretur. ergo.

Sed contra, quia connexio essentiae et omnipotentiae cum attributis et cum trinitate est de apparentibus manifestum omnia enim praedicata divina formaliter de convenientia videntur a quolibet beato ipso supponimus quod non potest videri unum praedicatum divinum sine alio. ergo si alias videntur omnia eminentialia, videlicet creaturae possibiles, inferitur quod essentia divina comprehenderetur.

Sexto alij replicant, et dicunt quod omnia possibilia possunt cognosci in divina essentia, et omnipotentia dupliciter, videlicet vel solum quidditative, vel etiam comprehensive, et quod licet ex cognitione comprehensiva omnium possibilium in Verbo, seu in essentia, et omnipotentia, sequatur comprehensio essentiae et omnipotentiae, tamen talis comprehensio essentiae divinae non sequitur ex cognitione solum quidditativa omnium possibilium.

Sed contra, quia implicat cognitio solum quidditativa, et non comprehensiva omnium possibilium. ergo distinctio data est inutilis. ans probo. quia tunc cognitio alicuius est cognitio comprehensiva, quando ita cognoscitur, quod cognoscitur omne quod continetur sive formaliter, sive eminenter, sive connexive, sive quocumque alio modo, sed quando omnia possibilia cognoscuntur, taliter quod noscitur hoc obiectum, videlicet omnia possibilia. quod nihil latet cognoscentem, sive formale sive eminentiale, sive connexive, vel quocumque modo pertinens ad illud obiectum, alias iam non esset omne possibile cognitum, cum lateret aliquod vel formale, vel eminentiale, vel connexive, vel alio modo ad illud obiectum pertinens, ergo implicat cognitio omnium possibilium, quae solum sit talis quidditative, et non sit talis comprehensive.

§. 111.

Alia argumenta contra rationem militantia solvuntur.

Si propter aliquam rationem ex cognitione omnium possibilium in Verbo, seu in essentia, et omnipotentia divina sequeretur comprehensio essentiae divinae, maxime, quia cognoscentur adaequatus terminus virtutis divinae, sed stare potest, quod cognoscatur adaequatus terminus alicuius virtutis quin sequatur comprehensio illius, ergo ex cognitione omnium possibilium in omnipotentia non sequitur comprehensio illius. maior continet nostrum fundamentum, consequentia infertur, unde solum restat probanda minor, quae sic suadetur. quia Angelus inferior in probabilissima sententia, non comprehendit superiorem. sed Angelus inferior non solum cognoscit praedicata formalia Angeli superioris, sed etiam quae in ipso Angeli superiori intra ordinem naturae continentur, sive virtualiter, sive eminenter, alias posset Angelus inferior illuminari a superiori, circa res naturales, quod est contra D. Thom. 1. p. q. 109. ar. 2.

ubi docet quod nullus Angelus quantumvis superior, potest alium Angelum illumina-
re de his quae pertinent ad ordinem naturae, sed tantum de his quae supra naturam sunt,
et aliunde omnes res naturales sunt terminus adaequatus virtutis Angelicae, ergo stare potest
quod cognoscatur terminus adaequatus alicuius virtutis, quin sequatur comprehensio.

Hoc argumentum facile
solvitur in sententia asserente quemlibet Angelum quantumvis inferiorem, superiorem
comprehendere, ut docent, per eleganter PP. Salmanticenses ad tract. de Angelis, quam
sententiam ego ut probabiliorem Salmanticae scripsi, et publice defensavi, etenim cog-
nito termino adaequato alicuius virtutis, sufficit non cognosci comprehensive virtus. =
Verum quia sententia contraria asserens quod Angelus inferior non comprehendit su-
periorem, est probabilissima, et argumentum procedat supposita hac sententia, ideo aliter res-
pondere debemus ad argumentum. Et in primis omitto solutionem aliquorum asserentium
rationem D. Th. solum tenere in illa materia, unde consequentia illata ab Angelico
Magistro, dicunt quod non est formalis, ita ut teneat in omni materia, sed materialis,
et quae solum tenet in divina virtute, quae debet comprehendi, si cognoscitur eius terminus
adaequatus. ac proinde ex eo quod Angelus inferior omnia quae formaliter, vel eminenter con-
tinentur in Angelo superiori cognoscat, non sequitur quod debeat superiorem comprehendere
bene vero cognito termino adaequato omnipotentiae, sequitur omnipotentiae comprehensio,
et rationem praestant, ex eo quia cum terminus adaequatus omnipotentiae, sit infinitum
nempe omnia possibilia, requirit non exigere iste terminus ad sui cognitionem infinitum
lumen, et cum infinitum lumen, non sit nisi divinum, inde est quod esset comprehen-
sivum omnipotentiae.

Omitto inquam hanc solutionem, et quia est expresse contra mentem
D. Th. et quia est insufficiens. est contra mentem D. Th. quia Sanctus Doctor 1 p. q. 12. ar. 8.
ad nostram conclusionem stabiliendam haec habet verba: * ille intellectus potest in cau-
sa cognoscere omnes causae effectus, et omnes rationes effectuum, qui causam
naturaliter comprehendit * in quibus verbis constat summe Angelicus Mag. principium
universale, comprehendens omnem causam, sive creatam, sive increatam. = est insu-
fficiens. quia argumentum manet in suo robore.

Illustrissimus Godoi respondet ad argumentum
concessa maiori negando minorem, et ad probationem admissa maiori distin-
guo minorem, Angelus inferior cognoscit omnia naturalia ad quae se extendit virtus
Angeli superioris, cognoscit illa in ipsa virtute Angeli superioris nego minorem, in
se ipsis concedo minorem. et nego consequentiam. ad comprehensionem enim erat necessari-
um quod cognosceret res naturales non solum in se ipsis sed et ut continentur in Angelo superiori
Christus autem cognosceret omnia possibilia in verbo, unde esset essentiae divinae com-
prehensio. Et sic salvatur quod Angelus superior non possit illuminare inferiorem
circa naturalia. cum naturalia cognoscat angelus inferior in se ipsis.

Sed contra hanc solu-
tionem poterit quis replicare ergo Christus Dominus per scientiam beatam
poterit cognoscere omnia possibilia in se ipsis, et si non in essentia divi-
na. consequentia probatur. quia ex comprehensione omnium possibilium in se
ipsis non sequitur comprehensio omnipotentiae, sed ex comprehensione termini

termini adæquati alicuius virtutis, potentiæ, vel causæ, non sequitur comprehensio causæ, vel virtutis, seu potentiæ, dummodo non cognoscatur ille terminus adæquatus in causa, ut dicitur in prædicta solutione, & instatur in comprehensione rerum naturalium, quam habet Angelus inferior, quin arguatur quod superiorem comprehendat. ergo intellectus animæ Christi poterit comprehendere omnia possibilia in se ipsis, per scientiam beatam: licet non possit cognoscere omnia possibilia in omnipotentia.

Noster R. P. Antonius della Parra, in simili replica dicit, quod etiam ex comprehensione omnium possibilium in se ipsis sequitur aposteriori comprehensio omnipotentiæ. at vero si in omnipotentia ut in causa cognoscerentur sequeretur apriori comprehensio omnipotentiæ, & cum nec apriori, nec aposteriori possit nec de potentia absoluta comprehendi omnipotentia ab aliquo intellectu creato, infert proinde quod intellectus creatus animæ Christi, nullo modo potest cognoscere omnia possibilia. = Verum ad replicam quæ potest fieri in examine istius propositionis, videlicet, ex comprehensione termini adæquati alicuius potentiæ sequitur comprehensio potentiæ, etiam si terminus non in causa vel in potentia, cognoscatur, sed in se ipso. ergo Angelus inferior, cognoscendo res omnes naturales comprehensive in se ipsis, comprehendit virtutem Angeli superioris. ad istam consequentiam nihil dicit. et si ex eius doctrina, videtur sequi, cum concedat, quod cognito termino adæquato alicuius virtutis in se ipso sequitur etiam aposteriori comprehensio virtutis continentis terminum.

Illustrissimus Godoi videtur, quod doceat quod cognito adæquato termino alicuius virtutis vel causæ in se ipso, dummodo non cognoscatur in causa, non sequitur comprehensio causæ, nec aposteriori, & hoc pacto Angelus inferior superiorem non comprehendit, in sententia huius Illustrissimi Episcopi Saguntini, quia Angelus inferior, non in Angelo superiori, sed in se ipsis cognoscit comprehensive res omnes naturales. Verum negat Ill.^mus Godoi quod Christus possit cognoscere extra Verbum, & in se ipsis, omnes creaturas possibiles, non quia sequeretur quod comprehenderet omnipotentiam, sed quia impossibilis est species repræsentans omnia possibilia.

Ocasione huius difficultatis, placet aliam conclusionem instituere, ad examinandam concordiam harum propositionum inter se videlicet. prima: Christus non cognoscit omnes creaturas possibiles, etiam extra Verbum, & in se ipsis. Secunda: ex comprehensione termini adæquati alicuius virtutis vel causæ, sequitur comprehensio causæ, cum hac differentia tamen, quod si terminus cognoscitur in causa, & ex vi cognitionis causæ, sequitur apriori comprehensio causæ; si tamen cognoscitur terminus adæquatus in se ipso, & non in causa sequitur aposteriori comprehensio causæ. & tertia. Angelus inferior superiorem non comprehendit. ut tenet aliquorum communis sententia,

§. IV.

Statuitur secunda conclusio

Sit 2a. conclusio: Intellectus creatus animæ Christi non cognoscit omnes creaturas possibiles etiam extra Verbum, & in se ipsis. duplici ratione probatur. & sit prima

Si intellectus creatus animæ Christi posset extra Verbum, et in se ipsis cognoscere et comprehendere omnia possibilia, ~~[illegible]~~, vel esset per aliquam speciem vel per plures, sed nec una, nec plures species, possunt repræsentare extra Verbum omnia possibilia in se ipsis, ergo non potuit illa cognoscere. probatur minor, nam cetera patent, et in primis non potest esse per plures, quia cum omnia possibilia sint infinita, esset necessario per infinitas species, sed infinitæ species non possunt dari in actu, ergo illa non potest cognoscere per plures species. minor supponitur ex libris phisicorum, ubi probatur repugnantia infiniti in actu, secundum multitudinem. maior est nota, ~~[illegible]~~ quia cum omnia possibilia collective sumpta sint infinita, necessario si deberent repræsentari per plures species essent in numero infinitæ, cum non possit assignari numerus specierum sufficiens ad omnia possibilia repræsentanda.

Quod autem non possit per unam speciem, probatur. quia species repræsentans omnia possibilia esset in actu infinita in repræsentando, sed nulla species creata potest esse infinita in actu in repræsentando, ergo per unam speciem non potest intellectus creatus animæ Christi omnia possibilia ~~[illegible]~~ cognoscere. maior videtur nota, obiectum enim infinitum, secundum multitudinem, est repræsentabile in infinitum secundum numerum, ita ut ~~[illegible]~~ quocumque repræsentabili assignato, sint ampliora, et amplius in infinitum repræsentabilia, ergo cum species debeat adæquari cum obiecto, species repræsentans omnia possibilia deberet esse in actu infinita in repræsentando. minor etiam est certa, cum species in actu infinita in repræsentando, solum possit esse essentia divina.

Secunda ratio probativa nostræ conclusionis sic procedit, cognitio omnium possibilium extra Verbum, et in se ipsis, est comprehensio, seu arguit aposteriori comprehensionem omnipotentiæ, et essentiæ divinæ, sed essentia divina, neque omnipotentia non possunt etiam aposteriori comprehendi ab intellectu creato ergo intellectus creatus animæ Christi non potest cognoscere extra Verbum, et in se ipsis omnia possibilia. minor supponitur, etenim et essentia incomprehensibilis est quod neque apriori, neque aposteriori comprehendatur. maiorem autem quam videtur negare Illustrissimus Godoy, sic probo. Cognitio adæquata termini adæquati alicuius causæ, potentiæ seu virtutis, nequit non esse comprehensio causæ, potentiæ seu virtutis, sed cognitio omnium possibilium extra Verbum esset cognitio adæquata termini adæquati extensivi ad quem extendit omnipotentia, ergo esset comprehensio omnipotentiæ.

Maiorem negat Illustrissimus Godoi, et illam probat instando in Angelo inferiori, qui superiorem non comprehendit, etiam si cognoscat comprehensive res omnes naturales, quæ utique sunt terminus adæquatus potentiæ naturalis cognoscitivæ Angeli superioris. unde asserit, in præsenti. disp. 39. §. 3. n. 53. quod ut Angelus inferior superiorem comprehenderet ex vi comprehensionis rerum omnium naturalium, quæ alias sunt terminus adæquatus potentiæ naturalis cognoscitivæ Angeli superioris, erat necessarium, quod cognosceret res naturales in potentia ipsa Angeli superioris, et ex vi cognitionis ipsius.

Sed quis non videat quod ista solutio non solum non solvit argumentum, sed quod potius auget difficultatem, nam in mea sententia, et aliorum tenentium quod Angelus ~~[illegible]~~ inferior comprehendit superiorem, non tenet instantia. ergo deficit solutio quatenus rationem apriori non præstat quando negat illam propositionem. videlicet quod cognitio termini adæquati alicuius potentiæ, arguit aposteriori comprehensio causæ, vel potentiæ, quæ proposi

tio est unum ex fundamentis, quibus probatur quod Angelus inferior Superiorem comprehendit.

Ceterum quia nos volumus in presenti comprimere nostram conclusionem, videlicet quod intellectus animae Christi non potest extra Verbum cognoscere omnia possibilia, et rationem qua illam probamus, precindendo ab eo quod Angelus inferior comprehendat, vel non comprehendat Angelum Superiorem, et admissa sententia probabilissima, quae negat quod Angelus inferior comprehendat Superiorem, dicimus, quod etiam si vera sit ista propositio comprehenso termino adaequato alicuius causae, comprehenditur causa, etiam si non in causa sed in se ipso cognoscatur terminus. Respondere debemus, quod potentia naturalis Angeli Superioris non comprehenditur ab Angelo inferiori, quia res naturales, ut naturales sunt non sunt terminus adaequatus illius potentiae, sed etiam ut intelligibiles, et intentionaliter sumpti, et quia virtus intentionalis Angeli Superioris, non cognoscitur adaequate ab Angelo inferiori, cum Angelus inferior non possit speciebus ita universalioribus, ac utitur Angelus Superior. Et cum ad comprehensionem alicuius, requiratur quod cognoscatur perfecte, sub omni formalitate, et eminentia tam naturali, et physica, quam eminentiali, et etiam quoad intentionalia inde est quod Angelus inferior Superiorem probabiliter non comprehendit, etsi cognoscat omnes res naturales, ad quas se extendit potentia Angeli Superioris, quia illas non cognoscit sub universalitate sub qua etiam intelligibiles sunt, sub qua universalitate cognoscuntur ab Angelo Superiori, unde et compertum quod non possit illuminari de naturalibus ab Angelo Superiori inferior Angelus, quia iste absolute omnia naturalia cognoscit, et cum ponitur quod Superiorem non comprehendat, et quod sit vera illa propositio quae negat Godoi, et de qua rationem non probat sed solum instantiam.

Probatur ergo maior. quae negat Godoi: stante cognitione adaequata alicuius termini adaequati alicuius causae, potentiae, vel virtutis, non potest intellectus non formare istum discursum: ego cognosco, omne id adaequate sub quacumque formalitate, virtualitate, vel eminentia potest extendi causa, potentia, vel virtus. ergo causa et eius finis circumscribitur, ita ut nihil lateat, ad quod extendi posset, ergo comprehendo causam. ergo vera est maior, sive predicta positio, ac proinde si intellectus creatus animae Christi cognosceret etiam extra Verbum et in se ipsis omnia possibilia comprehenderet omnipotentiam, et cum hoc sit impossibile, dicendum est quod intellectus creatus animae Christi non potest cognoscere omnia possibilia neque in essentia divina, ut in causa prius cognita, neque in se ipsis et extra Verbum.

§. V.

Prosequuntur argumenta contra rationem qua probamus nostram primam conclusionem.

Obiicies secundo. ex Scoto. quando aliqua duo conveniunt alicui ordinate ita ut unum sit ratio quare conveniat aliud, si ex cognitione primi, non sequitur comprehensio, similiter ex cognitione secundi non sequitur comprehensio. Sed Deo convenit infinitas in essendo, et in causando, et haec convenit Deo ratione illius, et deinde cognita infinitate in essendo, non sequitur comprehensio, ergo neque ex cognitione infinitatis in causando sequitur comprehensio, sed ex cognitione omnium possibilium in essentia solum arguitur cognitio essentiae in causando, ergo ex cognitione omnium possibilium in essentia non sequitur quod divina essentia comprehendatur

Respondeo 1° concessa maiori, & minori distinguo consequens, ergo neque ex cognit.e infinitatis in causando sequitur comprehensio, ex cognitione illius communiter, seu secundum rationem communem, concedo consequentiam ex cognitione illius secundum omnes eminentias in particulari nego consequentiam, & deinde distinguo minorem subsumptam, sed ex cognit.e omnium possibilium in essentia solum arguitur cognitio infinitatis in causando, infinitatis in causando secundum omnes eminentias in particulari concedo minorem, infinitatis in causando solum secundum rationem communem nego minorem, & consequentiam. Solutio ex ipsis terminis patet.

Replicabis infinitas in causando cognita secundum omnes eminentias in particulari, solum est cognitio infinitatis extensivae, sed infinitas extensiva sequitur ad infinitatem intensivam, ita ut ista sit ratio illius, & ex cognitione infinitatis intensivae, non sequitur comprehensio, ergo nec ex cognit.e infinitatis extensivae sequitur comprehensio. patet consequentia ex assumpto concesso in maiori argumenti facti.

Resp. concessa maiori, vel illam distinguo solum est cognitio infinitatis extensivae, cognitio comprehensiva, concedo maiorem, alia cognitio nego maiorem, & distinguo minorem sed infinitas intensiva sequitur ad infinitatem intensivam, ut cognitam quidditative nego minorem, ad infinitatem intensivam ut cognitam comprehensive concedo minorem. & similiter concedo aliam partem minoris, & nego consequentiam. Solutio patet.

Replicabis: ergo infinitas intensiva potest cognosci & quidditative solum, & etiam quidditative, & comprehensive. ergo etiam infinitas extensiva, potest cognosci eodem modo. probatur hanc ultimam consequentiam, ideo infinitas intensiva, potest cognosci solum quidditative, quia potest cognosci modo finito, sed etiam infinitas extensiva potest cognosci finito modo ergo potest cognosci solum quidditative, & non comprehensive.

Respondeo negando secundam consequentiam, & ad probationem, concessa maiori nego minorem, & ratio est, quia eo ipso quod infinitas extensiva cognoscatur, cognoscitur non solum secundum id quod formaliter, & manifeste habet, sed etiam secundum id quod eminenter, & sub omni consideratione habet, unde necessario est cognitio comprehensiva, & cum cognitio comprehensiva essentiae divinae, seu omnipotentiae sit infinita & divina, inde est quod infinitas extensiva essentiae & omnipotentiae non possit esse cognitio finita, nec cognosci finito modo.

Replicabis, cognitio infinitatis extensivae solum esset cognitio omnium possibilium, sed cognitio omnium possibilium non exigit esse infinitam, ergo cognitio infinitatis extensivae non est infinita. probatur minor, cognitio omnium possibilium, solum exigit adaequare intelligibilitatem possibilium, sed intelligibilitas possibilium non est infinita, ergo cognitio omnium possibilium non exigit esse infinitam. probatur minor, intelligibilitas possibilium sequitur immaterialitatem possibilium, sed immaterialitas possibilium non est infinita, ergo neque intelligibilitas possibilium est infinita. minor patet cum immaterialitas sequatur entitatem, & entitas possibilium est quid creabile, unde est finita.

Resp.o distinguo maiorem, solum est cognitio omnium possibilium in essentia div.a concedo, in se ipsis nego maiorem. & distinguo minorem, sed cognitio omnium possibilium non exigit esse infinitam, si sit cognitio omnium possibilium in se ipsis concedo minorem, si in essentia div.a nego minorem, & consequentiam.

Et ad probationem distinguo maiorem, cognitio omnium possibilium idem exigit adequare intelligibilitatem possibilium, si solum esset cognitio omnium possibilium in se ipsis concedo maiorem, si esset et est cognitio omnium possibilium in essentia divina nego maiorem, et sic enim exigit adequari cum intelligibilitate essentiae divinae, quae cognita secundum omnes suas eminentias, et debet cognosci et cognoscantur in ea possibilia, est intelligibilitas infinita et comprehensiva, et distinguo minorem scilicet intelligibilitas possibilium non est infinita, si est intelligibilitas et in se ipsis cognoscantur concedo minorem, et cognoscantur in essentia divina nego minorem, et sic enim est ipsa intelligibilitas essentiae, et comprehensibilitate attingibilis. unde et nego consequentiam. vel illam distinguo distinctione data. et sub eadem distinctione ponderetur ad aliam probationem.

Secundo ad argumentum factum ab Scoto, respondeo negando suam maximam, seu maiorem, etenim hoc principium, videlicet quando aliqua duo conveniunt alicui ordinate, et unum sit ratio quare conveniat aliud si ex cognitione primi non sequitur comprehensio, similiter ex cognitione secundi non sequitur comprehensio. hoc inquam principium, mihi videtur evidenter falsum, quod probo, quia ex cognitione primi ut primi, solum convincitur quod primum sit cognitum, et cum ad comprehensionem requiratur, quod obiectum totaliter cognoscatur, et supponat ista maxima, quod secundum non est cognitum inde est quod non sequitur comprehensio ex cognitione primi, at vero quando iam stat etiam cognitio secundi, et secundum sit omnis formalitas et omnis eminentia obiecti, et cognitio istius secundi habeatur ex cognitione primi, ex cognitione secundi necessario stat comprehensio. ergo ista maxima est falsa.

Quod amplius explicatur exemplo. stare potest quod essentia divina cognoscatur in essendo, seu ut est infinita intensive, quin cognitio sit comprehensiva, haec enim infinitas est prima quae convenit essentiae divinae, et est ratio quare conveniat secunda videlicet infinitas in causando, cum operari sequatur ad esse, verum stare nequit quod adequate cognoscatur infinitas in causando et secundum omnes suas eminentias, quae est utique infinitas extensiva, quin comprehendatur essentia quia quando ista infinitas secunda cognoscitur, cum cognoscatur ex ari cognitionis infinitatis primae. iam arguitur quod essentia divina sit cognita et secundum formalia, et eminentialia ergo comprehensa. ergo maxima est falsa, ergo stare poterit quod intellectus animae Christi cognoscat primam infinitatem et quod alias sit repugnans quod cognoscat omnes creaturas possibiles in essentia divina ne dicatur quod illam comprehendit, quia est impossibilis comprehensio.

Obiicies tertio reassumendo maiorem primi argumenti. si propter aliquam rationem intellectus creatus animae Christi non cognosceret omnia possibilia in essentia divina, maxime quia, sunt obiectum adequatum omnipotentiae, et viso obiecto adequato alicuius causae, potentiae, aut virtutis, comprehenditur causa, potentia, seu virtus; sed etiam si videatur obiectum adequatum alicuius causae, potentiae, aut virtutis, non sequitur comprehensio causae, potentiae, aut virtutis, ergo potest intellectus animae Christi per scientiam beatam cognoscere omnia possibilia in essentia divina.

probatur minor, quilibet Beatus per scientiam beatam videt terminum adequatum potentie generative Patris, et terminum adequatum potentie spirative Patris et Filij, cum quilibet Beatus videat omnes tres personas, et Verbum sit terminus adequatus potentie generative, et Spiritus Sanctus terminus adequatus potentie spirative. et tamen non comprehenditur a Beatis potentia generativa Patris, nec potentia spirativa Patris et Filij = ergo.

Noster P. Parra in presenti q. 2. ar. 2. ad. 1. docet quod quilibet Beatus comprehendit tales potentias, reduplicative secundum quod et sunt potentie notionales, et divine. et insuper docet quod si videret aliquis Beatus omnia decreta libera comprehenderet scientiam visionis prout liberam. sicut de facto illam comprehendit Christus, que comprehensio cum sit talis, secundum quid, non reputat inconveniens dicere quod de facto datur.

Verum mihi displicet ista solutio, nec intelligere possum, quod detur vera comprehensio alicuius predicati divini, cum omne sit divinum et incomprehensibile, imo de scientia libera predicatur precipue ab Apostolo incomprehensibilitas, quando dicit: O altitudo divitiarum Sapientie et Scientie Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius.

Respondeo ergo ad argumentum negando minorem, et ad probationem respondeo distinguendo maiorem quilibet Beatus videt terminum adequatum potentie generative, et spirative, videt, quoad predicata formalia, concedo maiorem, videt quoad eminentialia nego maiorem. et minorem, et negatur. et ad probationem inclusam in eadem maioris respondeo, quod Verbum, non ut cumque est terminus adequatus potentie generative, nec Spiritus Sanctus terminus potentie spirative, hoc est. Filius est terminus potentie generative, et Spiritus Sanctus terminus potentie spirative non solum secundum predicata formalia, que patent et ab omnibus Beatis videntur, sed etiam secundum predicata eminentialia que latent, et non manifestantur. unde numquam videntur ut sunt termini adequati suarum potentiarum. sed solum prout sic videntur a solo Deo, unde solus Deus comprehendit etiam predictas potentias.

Ad illud quod addit P. Parra de scientia visionis similiter dico quod etiam si Christus videat de facto omne quod Deus videt per scientiam visionis, ut dicemus ar. seq. tamen illam non comprehendit, quia ad comprehensionem non sufficit videre terminum adequatum ad quem de facto se extendit aliqua virtus, sed insuper requiritur videre terminum ad quem potest illa virtus se extendere, et cum Christus solum videat omnia presentia, preterita et futura, et non videat omnia infinita alia que possent de potentia absoluta esse presentia preterita et futura, que utique viderentur a Deo per eam scientiam visionis quam modo habet. inde est quod scientia visionis Dei non comprehenditur ab intellectu anime Christi.

Denique obiicies stat quod cognoscatur obiectum adequatum alicuius eminentie omnipotentie, quin omnipotentia comprehendatur, ergo, et quod comprehendatur obiectum adequatum extensivum omnipotentie, quin omnipotentia comprehendatur. ans videtur certum, nam viso homine non comprehenditur omnipotentia secundum illam eminentiam secundum quam producit hominem, cum ista eminentia non distinguatur nec virtualiter ab alijs eminentijs. consequentia ergo probatur quia licet omnes eminentie omnipotentie non distinguantur virtualiter adequate, distinguuntur tamen inadequate, et quoad nos, tunc sic: eminentia secundum quam omnipotentia est productiva hominis, non minus adequatur cum homine, ac omnipotentia adequate sumpta cum collectione omnium possibilium sed primum stat sine comprehensione, ergo et secundum.

Noster Parra negat ans. unde dicit quod viso homine. v.g. comprehenditur omnipotentia, reduplicative secundum illam eminentiam et si non comprehendatur specificative, et quoad entitatem. que comprehensio cum sit talis secundum quid non videtur ipsi repugnans.

Sed mihi displicet ista solutio, quia omnipotentia sub nulla inadequata eminentia potest comprehendi; quia licet videatur terminus illius, non tamen sequitur quod eminentia comprehendatur quoad rectum, cum rectum omnino indivisibiliter dicat omnes alias eminentias. ad summum potest dici quod comprehenditur quoad obliquum, quod utique est dicere quod ille terminus comprehenditur, seu respectus illius eminentiae ad illum terminum.

Respondeo ergo ad argumentum concesso antecedenti negando consequentiam et ad probationem distinguo, et explico maiorem illa eminentia adequatur cum illo termino, sumpta eminentia quoad rectum nego, sumpta quoad respectum rationis importatum in obliquo concedo maiorem, seu distinguo istam maiorem omnes eminentiae distinguuntur virtualiter inadequate et quoad nos, si eminentiae sumantur in recto nego, si sumantur in obliquo concedo, hoc enim est dicere quod respectus rationis importatus in obliquo distinguitur. — et sic in forma ad syllogismum subsumptum distinguo maiorem non minus eminentia secundum quam est productiva hominis adequatur cum homine, sumpta in recto nego, in obliquo sumpta concedo, et distinguo minorem eodem modo, et nego consequentiam. solutio patet.

§. VI.

Argumenta directe contra precipuam conclusionem militantia solvuntur.

Sapientissimus Petrus Lombardus Sententiarum Magister tenet intellectum creatum animae Christi per scientiam beatam cognovisse in divina essentia, omnia possibilia, sic ubi supra in 3. dist. 14. eam probat sic ex illo Ioann. 3: Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum Filio. ex quo textu infert. ergo dona Spiritus Sancti sunt in Christo sine mensura. tunc sic. sed inter dona Spiritus Sancti enumeratur donum scientiae, et sapientiae. ergo in Christo fuit sapientia sine mensura. tunc sic iterum. Sed qui aliqua scit, et aliqua non scit, non habet scientiam sine mensura, ergo Christus secundum humanitatem omnia scivit, ergo et omnia possibilia cognovit.

Secundo arguit Magister ex Fulgentio lib. ad Ferrandum Diaconum respons. 3. ubi haec habet verba * Ubi enim mensura non esse dicitur, plenitudo perfectionis, et perfectio plenitudinis invenitur; secundum illud Pauli ad Colossenses 2: In quo sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae absconditi. Si enim non ad mensuram accepit Spiritum sapientiae et scientiae, necesse est ut omnes thesauros sapientiae, et scientiae habeat. quod si ei aliquid eius plenitudinis demitur, consequens est ut ad mensuram accepisse Spiritum predicetur * habet similiter et alia huius modi unde concludit Magister ex D. Fulgentio quod nihil ex scitis a Deo intellectus animae Christi ignoravit.

Respondeo ad argumentum, quod ut notat idem S. Fulgentius, sine mensura datur, id quod plene datur. Plenitudo autem est duplex una quae talis est respective ad Deum. alia quae talis est respective ad creaturas, illa plenitudo quae attenditur respective ad Deum, etiam dupliciter sumi potest, una per convenientiam formae cum omni perfectione possibili de potentia absoluta, alia per convenientiam formae cum omni perfectione possibili iuxta presentem providentiam, et de lege ordinaria hac distinctione supposita dicimus quod Christus habuit Spiritum sapientiae, et scientiae sine mensura, hoc per convenientiam scientiae secundum legem stabilitam a Deo in hac providentia non autem de potentia absoluta. Sicut similiter dicitur ad tractatum de gratia Christi, fuisse in Christo gratiam sanctificantem cum omni plenitudine, et perfectione possibili de lege ordinaria, non attenta potentia absoluta, quia et sic poterat esse intensior, et intensior.

termino, et cum alias repugnet esse infinitus in actu, necesse est ut detur aliquis termi nus ultra quem non sit transitus. Cognovit ergo Christus per illas scientias plene, et sine mensura, attenta lege ordinaria, non attenta potentia absoluta, unde habuit maiorem scientias quam omnes Beati, tum divisive sumpti, tum collective, unde ut decimus articulo sexto cognovit quidquid Deus cognoscit per scientias visionis, non autem quidquid Deus cognoscit scientia simplicis intelligentiae. Et per hoc patet ad argu mentum in forma, concessa authoritate ut sonat, distinguo primum consequens: ergo dona Spiritus Sancti sunt in Christo sine mensura, idest cum omni pleni tudine possibili de lege ordinaria concedo. De lege absoluta nego. Et ad missa subsumpta distinguatur consequentia eodem modo. Et deinde ad secundus subsumptam, distinguo illa si sic aliqua sint de contentis, in illis quae de lege ordinaria possunt sciri concedo, si de contentis inter illa quae sciri possunt ~~de lege~~ potentia absoluta nego, et concessa minori interposita, sub data distinctione negatur consequentia, unde et constat solutio ad authoritatem Fulgentii.

Obiicies secundo argumento a priori, omnia possibilia sunt cognoscibilia ab intellectu creato, ergo de facto cognoscuntur ab intellectu animae Christi, consequentia patet, quia omnis perfectio possibilis compatibilis cum munere Redemptoris, concedenda est de facto Christo Domino, antecedens autem probatur, quia omnia possibilia continentur sub obiecto adaequato specificativo intellectus creati, ergo omnia possibilia sunt cognoscibilia ab intellectu creato. antecedens probatur, quia obiectum specificativum intellectus creati est ens, sed sub ratione entis continentur omnia possibilia. ergo. Confirmatur, Deus ut in se continetur sub obiecto specificativo intellectus creati, unde et videri potest in se ipso, ab intellectu creato, sed Deus est quid maius, quam omnia possibilia, ergo si Deus ut est in se continetur sub obiecto specificativo intellectus creati, etiam et omnia possibilia. Respondeo distinguendo antecedens omnia possibilia sunt cognoscibilia ab intellectu creato, collective, nego antecedens. Divisi ve ~~nego~~ concedo antecedens. Et nego consequentiam. Et ad probationem distinguatur antecedens eadem distinctione. Et ad ultimam probationem, quae videtur impugnare hanc nostram solutionem distinguo maiorem, obiectum specificativum intellectus creati est ens, ut offeribile intellectui concedo, ut non offeribile nego, et distinguo minorem. sed sub ratione entis continentur omnia possibilia etiam collective, et aliunde ut sic sunt offeribilia intellectui per aliquas vel aliquas determinatas species nego minorem. et ut sic non sunt offeribilia concedo. Et nego consequentiam. Ad probationem, concedo maiorem, et distinguo minorem, sed Deus est quid maius quam omnia possibilia, ut cognita in Deo nego, ut cognita in se ipsis concedo. verum, ut in se ipsis offeribilia intellectui non sunt, unde nego consequentiam. Deus enim secundum se maior est quam omnia possibilia prout extra Deum, verum si omnia possibilia explicantur ut in ipso Deo visa, sic quid maius est Deus ut repraesentans actu omnia possibilia, quam ipse Deus solus, quia prout in se solo non exigit Deus ut videatur visio nem infinitam, at vero ut Deus et in ipso possibilia videantur, requirit infinitus luminem et visionem infinitus, quia est videre Deum omnino penetrative, et comprehensive

Denique obiicies fundamentum Durandi. Intellectus creatus videns claré essentiam divinam, necessario videt in ea, quidquid ipsa necessario repraesentat, sed divina essentia naturaliter, et necessario repraesentat omnia possibilia, ergo intellectus animae Christi, videt in essentia divina omnia possibilia. minor est nota, cum essentia divina ratione omnipotentiae sit illarum causa, necessario et naturaliter in actu primo, etsi ut actu producat dependeat a libero decreto Dei. et maior etiam est nota, cum ex parte essentiae repraesentantis nullum sit impedimentum, nec ex parte cognoscentis, cum habeat lumen ad ipsam essentiam videndam, quae est quid maius.

Respondeo quod si hoc argumentum aliquid convinceret, probaret quod quilibet Beatus videt de facto omnia possibilia. ut consideranti patebit ac proinde cum hoc non probet, nec intentum probat. dicimus ergo quod etsi essentia divina omnia repraesentet, tamen, ex parte intelligentis adest impedimentum ut non omnia videat, cum nullus creatus intellectus possit habere lumen seu activitatem divinam. unde ad formam distinguo maiorem intellectus creatus videns essentiam divinam videt quidquid naturaliter ipsa repraesentat, iuxta capacitatem luminis intellectus videntis. concedo, supra capacitatem. nego. etc.

Articulus. III.
Vtrum Intellectus creatus animæ Christi, cognoscat per scientiam beatam in Divina Essentia visa, omnes creaturas presentes, præteritas, & futuras?

§ I.
Statuitur conclusio.

Ex dictis articulo precedenti constat sententiarum diversitas. unde sit nostra conclusio affirmativa: Intellectus creatus animę Christi per scientiam Beatam cognovit in Verbo, seu in divina essentia visa, omnia presentia, preterita, & futura, ut in mensura æternitatis contenta. est communis Thomistarum, & aliorum, quos vidimus ar. precedenti. ita certam docet Vazquez esse nram. Conclusionem, ut oppositam dicat esse hereticam. sed abstinendo ab hac censura. eam probo. primo ex Angelico Mag. in hac q. 10. ar. 2. ubi hęc habet * Anima Christi in Verbo cognoscit omnia existentia secundum quodcumque tempus * & in responsione ad 2. ait: * Anima Christi scit omnia, quę Deus in se ipso cognoscit per scientiam visionis; non tamen omnia, quę Deus in se ipso cognoscit per scientiam simplicis intelligentię, & ita plura scit Deus in se ipso, quam anima Christi. *

Ratione quę insinuat in hoc ar. Angelicus Mag. probatur conclusio. quia quilibet Beatus cognoscit in Verbo, & ex vi cognitionis divinę essentię quidquid pertinet ad suum statum. sed ad statum Christi ut hominis expectant omnia presentia, preterita & futura, ergo ea omnia cognoscit in Verbo. maior est expressa in Concilio Senonensi asserente, Beatos cognoscere in Verbo, quid quid illorum interest. & insuper supponitur ex tract. de visione. 1. p. q. 12. min. probatur. iuxta illud Mathei: * Data est mihi omnis potestas in cęlo, & in terra, & ex illo Ioann. Sciens Iesus quia omnia dedit ei Pater in manus. & ex illo Psal 13 omnia subiecisti sub pedibus eius. * & ex illo Ioann. 5. Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio * ergo ad Christi statum omnia pertinent tum rat. dominij, tum rat. excellentię & dignitatis, & insuper omnes actus cuius vis creaturę intellectualis, pertinent etiam ad Christum ratione iudiciarię potestatis. ergo omnia cognoscat in Verbo.

In decretis Tridti decreto. 13.

Sed dices quod ad Christum ratione iudiciarię potestatis solum videntur pertinere omnes cogitationes cuius vis creaturę intellectualis quę precedent finale iudicium, non autem illę quę fient post eternitatem.

Sed contra quia etiam illę pertinent ad Christum, quandoquidem, quę fient a Beatis, pertinent ad illorum premium & quę a Reprobis ad illorum penam, & Iudex debet cognoscere & premium, & penam quę ab ipso taxanda.

Sed iterum replicabis, & dices. quod hoc solum probat quod Christus debeat cognoscere, quando sint, successive, non autem, quod ea omnia debeat simul cognoscere, a primo instanti quo habuit scientiam beatam.

Sed contra, quia ut dicitur ad tractatus de visione. 1. p. q. 12. cum visio beatifica mensuretur eternitate participata ei repugnat successio, unde est tota simul, & eterna possessio, unde omnia simul videt, ut docet D. Augustinus lib. 5 de trinit. cap. 16 circa finem per hęc verba * Non erunt volubiles nostrę cogitationes ab alijs in alia euntes, atque redeuntes, sed omnem scientiam nostram, uno simul conspectu videbimus. ergo omnia videt simul licet non ut existentia in propria mensura, sed in mensura superiora eternitatis ubi omnia fisica presentia continentur, ut late suo loco, ambis est probatum.

§. II.
Solvuntur argumenta.

Contrariam sententiam, tenent Durandus, Scotus, Henricus, Gabriel, Ricardus, Marsilius, Paludanus, et alij plures. et P. Salas docet 1.2.q.3 tract. 2. disp. sect. 7. esse sibi probabiliorem, nisi autoritas D. Thomae in contrarium esset.

Opponunt ergo primo varia loca Sacrae paginae, in quibus dicit quod Christus aliqua ignoravit. ut diem iudicij, iuxta illud Marc. 13. de die autem illo vel hora, nemo scit, neque Angeli in caelo, neque Filius, nisi solus Pater. 2°. locum ubi positus erat Lazarus. iuxta illud Ioannis 11. ubi posuistis eum? quod explicans Cyrilus lib. 9 thesauri, cap. 9. ait: Christum secundum humanitatem ignorasse locum ubi positus erat Lazarus.

Sed haec et alia similia levia sunt, et in primis quantum ad diem iudicij universalis, dici nequit illum ignorasse Christum Dominum cum sit definitum in 6 sinodo Gen. act. 11. in Epistola Sophronij, Christum ut hominem diem iudicij cognovisse. unde non licet de hoc dubitare, imo colligitur ex ipsis ex sacris literis, quia quidem Christus admonens Ecclesiam suam Mathaei. cap. 24. quando interrogatus fuit a suis discipulis, de die iudicij Dic nobis quando haec erunt, et quod signum adventus tui, et consumationis saeculi. Christus noluisset clare tempus huius diei ultimi revelare, tamen dedit eis signa, quae praecedunt ad illum, et ait statim post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de caelo et virtutes caelorum commovebuntur, et tunc parebit signum Filij hominis in caelo etc. quae non possent affirmari a Christo si diem iudicij ignorasset. ad illud autem Evangelistae Marci resp. quod in phrasi scripturae illud dicitur sciri, quod scitur ad revelandum, seu ad illud alijs faciendum scire, et illud dicitur ignorari quod ad alios non revelatur. Sicut similiter Gen. 22. Angelus, qui nomine Dei loquebatur cum Abraham, vel ut alij volunt ipse Deus, dixit Abrahamo, quando extendit manum suam ad Isaac immolandum, Nunc cognovi, quod timeas Deum, idest, nunc facio quod alij cognoscant quod timeas Deum, cum, ignorantia huius timoris, et fidelitatis Abrahami, non possent habere locum in Angelo, qui loquebatur illi nomine Dei, et praesertim, si Angelus sit ipse Deus, ut alij sacri expositores volunt.

Ad illud de ignorantia loci, ubi erat Lazarus, resp. quod in ea occasione loquebatur Christus, iuxta scientiam, quam et alij homines habebant, idest, de scientia experimentali, secundum quam locum ignorabat unde vere poterat dicere quod ignorabat, quod non tollit quod per aliam scientiam, sciret locum, videlicet per scientiam beatam, vel supernaturalem infusam.

Opponunt 2. si intellectus creatus animae Christi videret in Verbo omnia praesentia, praeterita, et futura, videret tantum quantum Deus videt per scientiam visionis, sed hoc est falsum, ergo non videt in verbo omnia praesentia, praeterita, et futura. maior est certa, cum scientia visionis non se extendat ad possibilia. probatur min. quia si videret omnia quae Deus videt per scientiam visionis, talis visio esset comprehensio illius scientiae, saltim a posteriori, sed scientia visionis comprehendi nequit ab aliquo intellectu creato, ergo intellectus creatus animae Christi non potest videre omnia praesentia praeterita et futura.

Varie respondent ad hoc argumentum autores nostrae sententiae. P. Suarez tres adhibet solutiones. Primam asserendo non sequi comprehensionem scientiae visionis, quia Deus per scientiam

visionis non solum videt praesentia, praeterita, et futura, sed etiam se ipsum, unde cum intellectus animae Christi Deum non comprehendat, non sequitur comprehendere obiectum scientiae visionis, ac proinde nec scientiam visionis.

Sed haec solutio non potest defendi, quia ex illa sequitur quod comprehendatur ab intellectu animae Christi scientia visionis prout est libera, sub qua ratione Deus non est obiectum scientiae visionis, sed solum praesentia, praeterita et futura.

Secunda solutio tradita a Suarez est, quod non sequitur comprehensio scientiae visionis, ex tali cognitione, quia Christus non cognoscit omnia praesentia, praeterita et futura, ex vi cognitionis ipsius scientiae visionis.

Sed neque est vera haec solutio, imprimis, quia falsum supponit, cum iuxta veram doctrinam Thomistarum, creaturae videantur per scientiam beatam a quolibet beato in Deo, ergo videlicet possibilia quae videntur in essentia ut determinata per scientiam omnipotentiam, et existentia, in scientia libera, quae in essentia ut determinata per decretum. Secundo, quia ipse Suarez docet quod praesentia, praeterita, et futura videntur in decreto, sed non minus inconveniens est quod comprehendatur decretus quam scientia, ergo si illud comprehenditur, et scientia poterit comprehendi; vel si ex eo quod videantur in decreto, et ex vi illius cognitionis non sequitur quod comprehendatur decretum, etiam si videantur in scientia libera, et ex vi cognitionis illius non sequitur comprehensio scientiae. Tertio, quia ideo videntur in decreto, quia connectuntur cum illo, sed etiam connectuntur cum scientia, ergo et poterunt videri in scientia.

Tertia solutio quam praebet idem Suarez est quod non sequitur quod scientia visionis comprehendatur per scientiam beatam animae Christi; quia licet adaequet scientiam visionis quoad numerum scibilium, non tamen eam adaequat in modo attingendi, cum Deus ea intueatur infinita claritate et Christi intellectus cum finito lumine.

Haec solutio quae verior videtur, et continens veram doctrinam tamen non solvit argumentum, quia obiectum aliquod ut comprehendatur non requiritur quod cognoscatur maiori claritate possibili, alias nullus Angelus comprehenderet aliquam creaturam quantumvis minimam, cum illa creatura possit cognosci maiori perfectione, videlicet ab alio Angelo possibili perfectiori, et a Deo. Ad comprehensionem enim alicuius obiecti, solum requiritur quod cognoscatur, et quoad formalia, et quoad virtualia seu eminentialia quae continet, ut ex definitione comprehensionis videmus. Unde intellectus animae Christi non cognoscat obiectum scientiae visionis liberae Dei omni claritate possibili, sed claritate determinata et finita, obiectum tamen illius comprehendit, et cum alias ex comprehensione obiecti, sequatur comprehensio virtutis attingentis obiectum sequitur quod intellectus Christi comprehendat scientiam visionis, quod est idem inconveniens quod intenditur vitari.

Secundo respondent alii distinguendo scientiam liberam visionis, et sub conceptu actualitatis, et sub conceptu terminationis et dicunt, quod licet scientia visionis libera, comprehendi possit sub conceptu terminationis, non tamen potest comprehendi sub conceptu actualitatis. Hanc solutionem tenent aliqui Thomistae, emendicatam ex Capreolo, et Caietano, imo Noster Parrat docet quod absolute potest dici quod comprehendatur scientia visionis quia haec comprehensio non est talis simpliciter sed tantum secundum quid.

S. neque ista solutio placet. Et in primis, quantum ad modum dicendi Nvi Parra iam diximus art. praecedenti ad tertium arg. unde displicet iste dicendi modus. quantum verum ad modus dicendi aliorum, etiam displicet, et praecipue in sententia asserente constitutivum actus liberi Dei, et scientiae visionis, esse quid intrinsecum terminative, sive sit formalitas, sive terminatio, sive perfectio libera, ut tenet Caietanus, et probabiliter noster Parra, quam sententiam ego etiam probabilem defensavi Salmanticae, et Granatae ad tractus de voluntate. 1. p. q. 19. defendi nequit cum illa formalitas explicata his vel illis verbis, sit quid divinum, et Deo intrinsece conveniens, ut ipsi intrinsece convenit libertas actualis, quia nullum praedicatum divinum Deo intrinsecum, comprehendi potest, cum incomprehensibilitas conveniat Deo quia infinitum, et infinitas actualitas quae praedicata conveniunt constitutivo actus liberi Dei, sive sit de recto, sive solum in praedicta sententia. Si vero cum alijs teneat, quod actus liber de recto solum dicit entitatem actus necessarij, et de connotato creaturam, vel respectum rationis, in ista sententia non est inconveniens dicere quod comprehendit scientia visionis own [illegible] recto, sed pro obliquo, et connotato. verum quia haec sententia mihi non placet, ideo hac solut. uti non debeo.

Illustriss. Godoi duas solutiones profert quorum prima consistit in negare quod comprehensio scientiae visionis sequatur eo quia Christus cognoscat per scientiam beatam in Verbo omnia praesentia, praeterita, et futura. et praebet rationem eo quia obiectum scientiae visionis post liberum non sunt solum praesentia praeterita, et futura, sed etiam sunt negationes rerum quas Deus non producere decrevit. et cum has negationes non cognoscat intellectus animae Christi etsi cognoscat omnia positiva, videlicet praesentia praeterita, et futura ideo scientiae liberam non comprehendit, cum non attingat suum adaequatum obiectum.

Huic solutioni acquiescerem similiter non videretur esse expresse contra D. Th. quia D. Th. expresse in hac q. 10. ar. 2. ad 2. ait *anima Christi scit omnia quae Deus in se ipso cognoscit per scientiam visionis. et rursus ibidem ad. 3. ait.* Scientia animae Christi, quam habet in Verbo, parificatur scientiae visionis, quam Deus habet in se ipso quantum ad numerum scitorum* ergo si Deus per scientiam visionis in sententia Illustrissimi Godoy, cognoscit non solum entia positiva, quae aliquando sunt habitura existentiam, sed etiam negationes rerum quas non producere decrevit, Christus per scientiam beatam quae habet in Verbo, etiam tales negationes cognoscit, cum ex D. Th. omnia quae Deus scit per scientiae visionis cognoscat anima Christi.

Nec valet respondere pro tuendo isto modo dicendi, quod ly omnia quod est in verbis D. Th. non accipitur ut distributum complete, sed incomplete, ita ut solum distribuatur ad positiva entia.

Non inquam id potest responderi, quia inprimis in solut. ad 3. D. Th. aequat scientiam animae Christi scientiae visionis Dei, et illam illi parificat quantum ad numerum scitorum, et ad numerum scitorum pertinent negationes. Secundo, quia si ly omnia posset interpretari iuxta distributionem incompletam, posset limitari ad praesentia, et praeterita, solum, et non extendi ad futura cum eadem sit facultas ad unum quam ad aliud.

Relicta ergo in sua probilitate, hec, vel alia Solutio anobis impugnata, dico ad argumentum respondeo concedendo maiorem, sicut D. Th. talem maiorem concedit, locis nuper citatis. & nego minorem & ad probationem nego maiorem seu sequelam duplici ratione, prima est, quia tunc sequitur comprehensio alicuius causę, vel virtutis, quando in ipsa cognoscuntur effectus ex vi penetrationis causę, intellectus autem creatus animę Christi non cognoscit obiectum scientię visionis Dei, ex vi penetrationis illius, sed solum ex revelatione speciali, ad quam cognoscendam non requiritur quod effectus revelati cognoscantur ex vi penetrationis causę, etiam si alias effectus cognoscantur in causa.

Replicabis contra hanc rationem, Sed si intellectus animę Christi cognoscit in Verbo omne quod Deus cognoscit per scientiam visionis, intellectus animę Christi hoc obiectum cognoscit non solum ex revelatione, sed etiam ex vi penetrationis causę, ergo solutio ruit. probatur subsumpta. quia tunc cognoscuntur in causa aliqui effectus ex vi penetrationis causę, quando effectus cognoscuntur in causa non solum quoad an est, sed quoad quid est. sed intellectus animę Christi in scientia libera visionis Dei: cognoscit omnia, & quoad an est & quoad quid, ergo ea cognoscit ex vi penetrationis causę. maior est certa tum quia ideo in scientia simplicis intelligentię, non potest cognoscere anima Christi omnia possibilia, quia ea cognosceret ex vi penetrationis causę, unde illa scire non posset solum per revelationem. = tum, quia revelatio solum attingit obiectus quoad anest, & Christus cognoscit omnia quę Deus scit per scientiam visionis non solum quoad anest, sed comprehensive & quoad quid est. ergo est quia ea cognoscit in scientia visionis etiam quoad quid est. & proinde ex vi comprehensionis causę.

Difficilis. & ingeniosa replica, verum non nos cogit ut alia via discurramus. stando ergo in predicta solutione & ratione respondeo, quod Christus per scientiam beatam non cognoscit omne quod Deus cognoscit per scientiam liberam, ex vi penetrationis scientię liberę. sed solum per revelationem, quia omnia quę Deus videt per scientię visionis, continentur in scientia visionis prout visionis, & libera solum quoad an est, & in eadem scientia visionis, prout est idem, etiam virtualiter, cum scientia necessaria & simplicis intelligentię quoad quid est. unde si Deus comprehendit obiectum scientię visionis, est videndo in scientia libera, prout libera, solum anest obiecti; & in scientia necessaria quid est eiusdem obiecti: quidditas enim obiecti, cum sit de essentia rerum, etiam existentium, vel preteritorum, vel futurorum, est quid necessarium, & non contingens, unde solum contineri potest in scientia & causa necessaria qualis est scientia simplicis intelligentię non autem in scientia libera, & quę potest non esse. sub hac formalitate solum continentur, in ipsa scientia libera, existentia, in quacumque differentia temporis, quę existentia est predicatum accidentale, & contingens predicabile. unde in forma ad argumentum respondeo, negando subsumptam, & ad probationem concesso, utroque antecedenti, nego consequentiam.

Secunda ratio, seu solutio, ad argumentum principale, est. quia intellectus
animæ Christi, etsi cognoscat in scientia libera Dei, quidquid Deus defacto cog-
noscit per scientiam visionis, non sequitur quod illam comprehendat, quia ad com-
prehensionem requiritur quod taliter cognoscatur obiectum, quod etiam cogno-
scatur secundum omnem suam virtutem, et eminentiam, quam non cognoscit in-
tellectus animæ Christi, cum Deus per scientiam visionis possit videre omne quod
potest facere, et omne factibile cognosci nequit ab intellectu Christi; omne enim
factibile est omne possibile, et omne possibile non cognoscitur ab intellectu animæ
Christi, ut relinquimus iam probatum articulo præcedenti.

Obiicies tertio, quod ex nos-
tra doctrina sequitur quod intellectus creatus animæ Christi cognoscat per scientiam
beatam multitudinem actu infinitam. sed hoc est impossibile, ergo nec nostra
conclusio, nec doctrina data sustineri potest. maior seu sequella patet, cum asseramus
cognoscere defacto omne quod Deus cognoscit per scientiam visionis, et cum Deus
cognoscat cogitationes omnium creaturarum intellectualium, quæ per totam æterni-
tatem fient, quæ utique erunt infinitæ in actu, sequitur quod Christus cognoscat actu
infinitam multitudinem, cum ut diximus omnia simul cognoscat. minor autem
et constat ex libris physicorum ubi probatur repugnare infinitum in actu, in quocumque
genere, et insuper quod est præsens docetur expresse a D. Th. in hac q. 10. ar. 3. in corp.
ubi hæc habet verba: * Quantum igitur ad primum modum scientiæ, (id est visionis) ani-
ma Christi non scit infinita, quia non sunt infinita in actu, etiam si accipiantur
omnia quæcumque sunt actu, secundum quodcumque tempus, eo quod status genera-
tionis, et corruptionis non durat in infinitum * = ~~[illegible]~~

Respondeo concedendo maiorem seu
sequellam. et ad probationem, quatenus habetur in doctrina data in libris physicorum, res-
pondeo, quod ibi negatur infinita multitudo, ut in propria durat. non vero in mensura
superiora æternitatis, ubi Christus cognoscit illam multitudinem cogitationum
actu infinitarum. = quatenus vero probatur ex Angelico Magistro, respondeo, cum Caie-
tano, et aliis in præsenti, quod quando D. Th. negat in præcitato ar. 3. multitudinem
actu infinitam, loquitur de multitudine constante ex entibus substantialibus, quæ sunt
entia simpliciter, ut patet ex probatione. ait enim, non erit infinitus in actu, quia status
generationis, et corruptionis non durat infinitum, ergo multitudinem quam negat
est illa quæ constat ex entibus quæ fiunt per generationem, cum autem cogitationes
intellectualium creaturarum per generationem et corruptionem non fiant, erunt in infini-
tum, unde omnes simul poterunt cognosci, et defacto cognoscuntur in mensura æterni-
tatis. ubi actu physice continentur, ut nos late probatum relinquimus. disp. de existentia
futurorum in æternitate. ad 1. p.

Roboratur ista solutio ex eodem Angelico Magistro
in hac. q. 10. ar. 2. ad 2. et ad 3. verbis supra relatis, in quibus docet quod anima
Christi cognoscit quidquid Deus cognoscit per scientiam visionis. nunc sic, sed idem
D. Th. 1. p. q. 19. ar. 12. docet quod Deus per scientiam visionis, cognoscit infinita
ergo intellectus animæ Christi per scientiam beatam infinita cognoscit. ergo

ergo quando inpraesenti docet non cognoscere infinita, intelligendus est de infinitis entibus quae sunt simpliciter entia, non vero de infinitis entibus quae sunt accidentalia, et secundum quid entia, et max. cum probatio assumpta ad hoc solum probet de substantiis.

Replicabis ergo et poterit anima Christi cognoscere omnia possibilia. cuius contrarium docuimus ar. praecedenti. consequentia probatur, ideo omnia possibilia non possent cognosci, quia sunt infinita, et proinde non dati species illa repraesentans, sed haec ratio iam non tenet cum concedamus, cognoscere multitudinem actu infinita. ergo poterit anima Christi omnia possibilia cognoscere

Resp. neg. primam consequentiam. propter rationes datas. ad probationem, distinguo maiorem, ideo non possent omnia possibilia cognosci quia sunt infinita, in specie, concedo, solo numero, nego, et minorem, et consequentiam. Dicimus ergo quod omnia possibilia non possent cognosci, et quod non dati species illa repraesentans, quia cum possibilia sint diversa in specie, ad infinitas species atomas repraesentandas non est dabilis species illa repraesentans, nisi essentia divina, quae respectu intellectus creati quantumvis perfecti, exercere non potest hanc suam repraesentabilitatem, quia est infinita, et modo infinito, ad quae percipiendum non adest capacitas in intellectu finito, unde arguebamus sequi quod si daretur capacitas, esset talis conditionis quod Deum comprehenderet, quod repugnat alias esset Deus, et non esset non esset, quia esset quid creatum, esset, quia Deus est qui Deum comprehendit

ad cognoscendum autem multitudinem actu infinitam, constantem ex entibus solo numero diversis, non requiritur species repraesentativa, infinita cum eo ipso quod solo numero distinguantur non requiratur maior vis cognoscitiva ad unum cognoscendum, quam ad alia, et praesertim cum eo ipso quod detur species repraesentans intellectus creatos omnium creaturarum de facto existentium, quae utique sunt in numero determinato et finito, possint cognosci omnes cogitationes, quantumvis sint infinitae, quae actu contineret in illis determinatis intellectibus. et praesertim cum. ut praesens dicamus quod cognoscuntur in Verbo, unde essentia divina, ut una species repraesentativa haec omnia individua repraesentet.

Denique obiicies argumentum ex laesione libertatis, ad componendum utique ex una parte immutabilitas visionis beatificae, et ex alia contingentia ex actu ad actus liberos. quod argumentum etsi aeque militet in omni beato, quomodo videlicet exercere possint aliquos actus liberos cum immutabilitate scientiae beatae illorum. tamen in Christo habet specialem difficultatem, eo quia simul fuit viator, et comprehensor, unde exercuit actus meritorios. qui utique exigunt perfectissimam libertatem.

Argues ergo in hunc modum; Si intellectus creatus animae Christi cognovit per scientiam beatam omnia praesentia praeterita, et futura, cognovisset utique suos actus liberos futuros, sed hos actus liberos cognoscere non potuit, ergo non cognovit omnia futura. probatur minor. Si per scientiam beatam seu visionem beatificam. cognosceret

Christus suos actus liberos, non maneret Christus liber in eorum elicientia
S[e]d hoc non potest dici, alias Christus non meruisset, ergo, illos non cognovit
minor est certissima, & seq[uel]a infertur, probatur maior, Si Christus cognosceret su-
os actus liberos, esset in Christo aliquid, ex quo inferretur, & sequeretur, infalli-
biliter eorum existentia. ita s[e]d nec posset Christus impedire illud ex quo infallibiliter
& necess. inferrentur, & sequerentur sui actus liberi, nec posset impedire sequellam
videlicet existentiam illorum, S[e]d eo ipso actus non essent liberi, ergo si Christus
per visionem beatificam cognovit suos actus liberos, non mansit liber in eorum
elicientia. maior est evidens, esset enim in Christo visio beata circa suos actus
liberos, & cum visio sit immutabilis & invariabilis, esset in Christo aliquid connexum
infallibiliter cum suis actibus liberis, & aliunde non est in potestate Christi, visionem
tollere, cum sit necessaria, probatur ergo minor. quia antecedens ex quo infal-
libiliter sequitur conseq[uen]s si in nostra potestate non sit ponere vel auferre antece
dens. non potest esse in nostra potestate consequens, etenim tale antecedens, inducit
necesitatem antecedentem quae in omnium sententia tollit libertatem. S[e]d visio
beata qua videt Christus Dominus suos actus liberos futuros, est antecedens
tales actus liberos. inferens illos infallibiliter, & aliunde non est in potestate Christi
tolle visionem, ratione indefectibilitatis, & immutabilitatis ipsius visionis, ergo
non est in potestate etiam antecedenti Christi Domini non ponere actus liberos
ergo non ponet eos ut liberos. sed ut necessarios.

Confirmatur. iudicium requisitum ex
parte intellectus ad regulandam, constituendam libertatem antecedentem, est iudici
um indifferens, idest taliter proponens obiectum, quod ex vi illius obiectum possit
poni sub existentia, vel non poni sub eadem exist[enti]a S[e]d visio beata Christi Domi
ni terminata ad suos actus liberos, est iudicium infallibiliter inferens illos, ra
tione suae immutabilitatis, nullo quemodo indeferens, ut coniungatur cum illis, vel
cum illorum non existentia. ergo talis visio inducit necesitatem antecedentem
destructivam libertatis.

Confirmatur Si non existerent actus liberi ad quos termi
natur visio beata, falsificaretur visio, S[e]d visio est infalsificabilis, ergo est quia
actus non possunt non existere. ergo necessario existunt.

Confirmatur in bona con
sequentia qui non potest tollere antecedens, non potest tollere consequens, S[e]d haec est
optima, & infallibilis consequentia. Christus per visionem beatificam videt suos ac
tus futuros, ergo tales actus erunt, & aliunde visio non est libera Christo, sed
necessaria, ergo non potest impedire existentiam suorum actuum futurorum.

Hoc est argumentum quod
videtur convincens apud adversarios, molestum denique, clangoribus
ab ipsis vociferatum, nolentes solutionem thomisticam, luce clariorem Aquilae
Sed mirum non est, cum recedant a doctrina Angelica, tradita primum a Doctorum Aquila
qui primus fonte Doctoris gentium illam dulcis ebibit.
ast ut dixi mirum non est. quod ad conspectum Solis Angelici caecutiant, Sta
in luce, huius Solis luce, clariore, dum afiliatione legitima Aquilini Doctoris [illegible]
rant, Sola enim Aquila. eius legitima proles, irretortis oculis, immotis [illegible]
Solem facie adfaciem conspicere possunt. eius que radios et numero mensurare
& intensione metiri.

Ad argumentum ergo Respondeo concessa maiori negando minorem ad cuius probationem nego maiorem seu sequellam. et ad probationem sequelle respondeo, distinguendo et explicando maiorem, esset in Christo aliquid ex quo infallibiliter sequeretur existentia suorum actuum liberorum, ita ut inferatur non solum actus quoad substantiam, sed etiam reduplicative, ut liberi, concedo maiorem, ita ut solum inferantur actus quoad substantiam, et non ut liberi nego maiorem. et minorem, et consequentiam. Dicimus ergo, quod cum visio beata sit invariabilis, immutabilis, et infalsificabilis, et alioinde videat suos actus liberos, ut liberos futuros, infert infallibiliter quod erunt actus, et quod erunt liberi, et quod aliter non erunt nisi liberi, et libere facti; alias falsificaretur visio cum affirmet, quod erunt actus liberi, ergo erunt, et erunt liberi = et ad probationem quatenus huic solutioni obstare potest. distinguo et explico maiorem: antecedens ex quo infallibiliter sequitur consequens, si in nostra potestate non sit antecedens, non potest esse in nostra potestate consequens, si antecedens inferat consequens solum quoad substantiam, et non quoad modum libertatis concedo maiorem, si autem inferat consequens, et quoad substantiam et quoad modum, connotando libertatem, ex alio principio causatam in consequenti, nego maiorem, et distinguo minorem eodem modo, sed visio beata Christi est antecedens, et non in potestate Christi; et infert libertatem, illam quae connotat, causatam a principio libero, et indifferenti; concedo, hoc enim videt, et affirmat visio, et illam non connotat, nego minorem. et consequentiam tam primam, quam secundam.

Et instatur, in precepto Christi, et in predeterminatione physica, et in decreto efficaci. que omnia suo loco sunt a nobis stabilita, et pro nunc sufficit componere libertatem Christi cum eius visione beata, et eadem probabilitate, qua in 1. p. q. 19. stabilita est predeterminatio physica, et decretorum efficacia. et eadem probabilitate qua postea Deo dante stabiliemus libertatem Christi in morte subeunda cum rigoroso precepto illius.

Instatur secundo in sententia adversariorum, admittente predeffinitiones efficaces etsi regulatas per scientiam mediam abripi, chimerice excogitatam, quia predeffinitio efficax etiam regulata per scientiam mediam, est antecedens infallibiliter connexum, cum actu libero, quin eius libertatem ~~infer~~ destruat. Instatur tertio, in ipsa scientia media ab eterno, quae posita existente in Deo, affirmante, v.g. perseverantiam finalem, D. Petri, quia posita scientia media. et si requiret non dari perseverantia D. Petri alias falsificaretur scientia media. et posset voluntas, eam abripi; non reputatur inconveniens, quod scientia media mutetur, et posset voluntas creata facere quod non extiterit scientia media alicuius actus liberi, si voluntas creata poneret de facto alium, et non illum actum liberum, quod est ingeniosissima chymera, dubium non est quod Deus per aliquam scientiam, vidit ab eterno, Apostolum Petrum perseveraturum finaliter, et Iudam non, et tamen cum infallibilitate illius divine scientie debent componere, et quod D. Petrus libere perseveraret, et Iudas non. ergo quod ipsi dixerint erit solutio argumenti facti, quamvis revero doctrina a nobis data sit legitima. Et per hanc doctrinam patet ad confirmationes.

ad 1. respondeo concessa maiori, distinguo minorem, sed visio beata Christi terminata ad suos actus liberos est iudicium infallibile, et alias infert aliud iudicium indifferens quo regulet actus liberos quando hoc et nunc eliciat concedo minorem, et aliunde ipsa visio regulat eliciendos actuum liberorum nego minorem et consequentiam.

Ad 2m respondeo concessa maiori, et minori distinguo consequens ergo est quia actus non possunt non existere, libere, et ut connotantur, et videntur, concedo consequentiam. aliomodo nego consequentiam. et similiter secundam.

Ad tertiam resp. distinguendo maiorem in bona consequentia qui non potest tollere antecedens non potest tollere consequens. ut illatum, id est tam quoad substantiam quam quoad modum, si utrumque infert. concedo, ut non illatum, nego maiorem, vel potius suppositum. cum iam non sit consequens, quippe solum est consequens ut illatum. et distinguo primam partem minoris. si haec est bona consequentia Christus per visionem beatam videt suos actus liberos futuros. ergo erunt. et ergo erunt, intellecte ergo erunt libere, concedo minorem, ~~[illegible]~~ si ergo erunt, non ~~[illegible]~~ intellecto ergo erunt libere nego minorem. et concessa alia parte minoris. distinguo consequens ergo Christus non potest impedire existentiam suorum actuum futurorum ut libere ponendam concedo consequentiam, ut sine libertate ponendam nego consequentiam.

Quis plura desiderat videat, ad tractatum de scientia Dei 1. p. q. 14. ar. 13. et 1. p. q. 19. ar. 8. de voluntate Dei. et ad materiam de auxilijs. de quibus tractatibus iam nos aliquid pro nostra tenuitate diximus Salmanticae.

✠

DISPUTATIO DECIMATERTIA
DE
SCIENTIA SUPERNATURALI ANIMAE
CHRISTI.

ad. Q. 11. D. Th.

Articulus I.

Utrum præter Scientiam Beatam, fuerit in intellectu Animæ Christi Scientia Supernaturalis. et an sit per se infusa?

§ I.

Præmittuntur aliqua. et referuntur sententiæ.

Ordine dignitatis, & Universalitatis inspecto sequitur post scientiam beatam Scientia Supernaturalis, quæ ut videbimus est per se infusa. unde merito de illa, ante alias scientias, agimus in præsenti Angelicum Magistrum imitantes. Pro præsentis ergo difficultatis intelligentia, imo & pro cognitione aliarum scientiarum in Christo existentium, advertendum est quod scientia aliquando accipitur pro speciebus, sic quod illam accepit D. Th. 1. 2. q. 50. ar. 6. quæ acceptio utique impropria est. & aliquando sumitur pro habitu se tenente ex parte potentiæ, quæ acceptio utique propriissima est. quandoquidem habitus deservit potentiæ ad operationem eliciendam. estque comprincipium illius, ex- actum vel simpliciter, si sine illo impotens est intellectus ad substantiam actus eliciendam, vel secundum quid, si habitus solum requiritur ad facilius, & delectabilius operandum. de scientia ergo Supernaturali infusa, sumpta pro habitu procedit quæstio. in qua acceptione sumitur etiam in præsenti ab Angelico Magistro.

Secundo supponendum est quod ille habitus dicitur, & est per se infusus, qui nostris actibus acquiri non potest. unde a Deo debet infundi. causari, & produci; econtra autem, ille habitus est per se acquisibilis, qui nostris actibus acquiri potest, unde si aliquando infunditur, est talis infusus per accidens,

Circa præsentem ergo difficultatem, etsi omnes theologi conveniant in admittendo in intellectu creato animæ Christi, præter scientiam Beatam, qua res in Verbo cognoscit. & cognovit. Scientiam Supernaturalem infusam, qua res omnes extra Verbum, in se ipsis scilicet, cognoscat, tamen

non omnes docent, esse habitum per se infusum. Igitur prima sententia docet, scientiam supernaturalem, non esse habitum per se infusum, sed solum esse habitum per accidens infusum, ita Scotus in 3. Sent. dist. 19. q. 3. Durandus ibidem q. 4. & Gabriel ibidem q. unic. ar. 1. concl. 4. Secunda sententia contrarium docet, unde affirmat esse habitum perse infusum, & est hæc sent.a communior inter ceteros theologos cum Mag. in 3. dist. 19. citata. & cum D. Th. ibidem, q. 1. & alibi, præsertim in hac 3. p. q. 9. ar. 3. quem sequuntur omnes thomistæ tam antiqui quam moderni cum quibus sit.

§. II

Statuitur conclusio.

Sit nostra conclusio: In intellectu creato animæ Christi præter scientiam beatam, qua res in Verbo cognoscebat, fuit scientia supernaturalis infusa, & infusa perse, qua res extra Verbum, & in se ipsis immediate, cognoscebat.

Probant aliqui nostram conclusionem, primo ex eo quia Christus Dnus, ut viator, actus supernaturales, & meritorios elicuit. ergo in eo fuit scientia supernaturalis perse infusa, ut esset regulatrix illorum. Secundo ex eo quia Christo debebatur cognitio omnium entium supernaturalium, quæ utique habetur per istam scientiam.

Verum istæ rationes sunt inefficaces, quia in probabilissima sent.a actus charitatis Christi Dni. qui, prout terminatus ad divinam bonitatem, prout est ratio diligendi Deum, est necessarius, prout terminatus autem ad ipsam bonitatem divinam prout est ratio diligendi creaturas, est liber & meritorius, ergo scientia regulatrix actuum liberorum supernaturalium in Christo, non necessario est scientia supernaturalis infusa, s. scientia beata potest hoc munus exercere. = Deinde impugnatur secunda ratio, quia entia omnia supernaturalia cognoscuntur sufficientissime, & comprehensive per scientiam beatam. ergo ad illa cognoscenda non est necess.a scientia supernaturalis infusa.

Unde his rationibus omissis, probatur primo nra conclusio, variis testimoniis ex sacris literis. 1.o ex illo Isaiæ 11. & requiescet super eum spiritus sapientiæ &c.a 2.o ex illo. Ioann. 1. & vidimus gloriæ eius gloriam quasi Unigeniti a Patre plenum gratiæ, & veritatis. — & ex illo Ioannis 7. quando mirantibus Iudæis, & dicentibus: quomodo hic litteras scit cum non didicerit? respondit Iesus: mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. quod est idem ac dicere: habeo scientiam mihi infusam a Patre meo. — & ex illo Pauli ad Coloss. in Christo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei. Ex quibus, & ex aliis similibus textibus sic formatur ratio. 3.o Si Christo deficeret scientia supernaturalis perse infusa non esset in Christo plenitudo sapientiæ, nec fuissent in illo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. ut patet. ergo fuit in Christo præter scientiam beatam, scientia supernaturalis infusa

Secundo probatur conclusio ratione desumpta ex Angelico Doctore in hac 3 p. q. 9. ar. 3. quia congruum, et decens fuit ut Verbum assumeret humanitatem perfectam sed si in humanitate hac scientia caruisset humanitatem perfectam non assumpsisset ergo in Christo fuit scientia supernaturalis infusa. Maior est vera, et communiter et certa ab omnibus admittitur, imo consonat Symbolo Athanasij, ubi dicitur, perfectus Deus, perfectus homo. quae verba propter abundantiam in sensu verborum sacrae paginae etiam ad litteram, non solum denotant perfectionem entitativam humanitatis, sed et perfectionem accidentalem quo pacto, communiter habetur quod omnis perfectio possibilis compatibilis cum munere Redemptoris concedenda est defacto humanitati. probatur ergo minor. quia quod est in potentia ad aliquam perfectionem, imperfectum est dum illam non habet, sed intellectus creatus animae Christi est in potentia ad cognoscendas res supernaturales in proprio genere, et per species proprias, ergo imperfectus esset intellectus animae Christi sine huius modi cognitione

Confirmatur. in omnibus Beatis iuxta Parentem Aug. lib. de Genesi ad litteram cap. 2. datur duplex cognitio terminata ad res supernaturales, et naturales supernaturaliter attactas, cognoscendo nimirum, talia entia et in Verbo, et extra Verbum, in se ipsis immediate, quarum una dicitur matutina, quia clarior et in Verbo. per essentiam divinam gerentem munus speciei impressae, et alia vespertina, et non ita clara, attingendo entia in se ipsis extra Verbum per species infusas creatas, ergo et in Christo utraque cognitio debet dari. alias deficeret Christo cognitio aliqua.

Quod autem illa scientia seu habitus sit per se infusus probatur. quia ille habitus qui sequitur ad gratiam ut illius proprietas, et qui pro inde est intrinsece et substantialiter supernaturalis, est per se infusus, sed huius modi est iste habitus, ergo et per se infusus. maior potest exterminis, et probatur paritate habituum supernaturalium qui tales sunt simpliciter, et entitative, videlicet probatur paritate luminis gloriae, quod sequitur ad gratiam consummatam, et in habitu Charitatis, et Fidei formatae, et spei etiam formatae. quibus habitus non solum sunt per se infusi, sed etiam sunt totales rationes agendi: ut latte probatum ad tract. de Visione, et de Charit.

Dices quod in probabilissima sententia habitus nostrae theologiae est entitative supernaturalis, et tamen acquiritur nostris actibus.

Sed contra. quia, in illa sententia habitus nostrae theologiae etiam est per se infusus, et nostri actus solum requiruntur ut dispositiones. ut a Deo infundatur. quae solutio est legitima, verum si non desunt theologi asserentes quod talis habitus est etsi supernaturalis, acquisitus, et non infusus, excipiunt illum habitum, et asserunt, quod omnis alius habitus intrinsece supernaturalis est per se infusus, quae doctrina, an sit legitima, non est huius loci examinare, licet absolute mihi displiceat.

§ III

Soluuntur argumenta.

Obiices primo cognitio entium Supernaturalium, & aliorum quæ cognosci possunt per scientiam Supernaturalem infusam, sufficienter habetur in Christo Domino per scientiam beatam, ergo est superflua ista scientia. antecedens probatur quia si ad aliquid deserviret scientia ista, maxime ad cognoscenda obiecta supernaturalia creata in se ipsis immediate, sed ad hoc sufficit scientia beata, ergo probatur min. quia scientia beata licet terminetur primario ad essentiam divinam, & in ipsa videat obiecta creata, tamen secundario attingit in se ipsis immediate obiecta creata.

Respondeo quod obiecta supernaturalia creata, & possunt cognosci per speciem increatam, qualis est divina essentia, & possunt cognosci per species creatas & proprias. & proinde licet per speciem increatam, etiam attingantur in se ipsis, adest locus ad cognitionem per scientiam supernaturalem infusam. & per hoc patet ad argumentum in forma.

Obiicies secundo intellectus creatus animæ Christi non potest simul duas cognitiones habere, sicut idem motus non potest ad terminos adæquatos terminari. sed intellectus creatus animæ Christi semper est in actu visionis beatificæ, ergo non potest aliam cognitionem, & per aliam speciem elicere.

Respondeo quod quando intellectiones se habent ordinate, potest idem intellectus plures intellectiones elicere, ut patet etiam in nobis, qui simul veritatem præmissarum, & conclusionis cognoscimus.

Articulus II

Vtrum Christus Dominus per scientiam infusam supernaturalem cognoscat quidditative, ~~vel comprehensive~~ omnia entia naturalia creata..?

§ I

Aperitur sensus dubii.

Vt quidditas huius scientiæ supernaturalis & per se infusæ, cognoscatur operæ pretium duxi obiecta circa quæ versatur examinare, cum enim habitus ab obiectis specificentur. non potest melius alicuius habitus scientifici quidditas explicari, quam dignoscendo & obiecta ad quæ se extendit, & modum quo illa attingit indagando, obiecta ergo ad quæ extendi potest ista scientia, & possunt esse naturalia, & supernaturalia, sed ut cum claritate procedamus præsens articulus ad obiecta naturalia creata limitatur. Igitur obiecta naturalia alia sunt pure materialia, & corporea, ut sublunaria, & cælestia, alia pure spiritualia, ut Angeli, alia mixta, ut homo, cuius una pars est corporea, spiritualis alia, de omnibus ergo procedit dubium.

Supponimus autem quod cognitio alicuius obiecti, alia est quidditativa, comprehensiva alia, illa

Solum attingit obiectum secundum prædicata formalia in ipso manifesta, & patentia; ita vero illud attingit sub omni formalitate, virtualitate, & eminentia, quam habent occulta. quo pacto communiter diffinitur a Theologis comprehensio, quod sit cognitio circumscribere obiectum totum, & totaliter. ita ut nihil eius lateat. quæ diffinitio sumitur ex Augustino loco supra citato in disp. 12. ar. 2. § 1. videlicet, ex Augustino. Ep. 112. cap. 9. ubi ait. illud comprehenditur, quod ita cognoscitur, ut nihil eius lateat cognoscentem, & cuius fines circumspici & circumscribi possunt a cognoscente. seu ut habetur ex eodem Aug. lib. 3. de civit. Dei. cap. 12. tunc aliquid comprehenditur, quando totum, & totaliter attingitur ut nihil eius lateat.

Circa sententiarum diversitatem Scotus & Nominales docuit Xpum Dominum solum cognovisse entia naturalia secundum rationem communem, non vero, in singulari, & in individuo. eo quia singularia directe nequeunt cognosci. = Vazquez autem. docet quod per istam scientiam supernaturalem infusam. non cognovit Christus entia naturalia, sed per aliam scientiam. nimirum per scientiam naturalem infusam. = Thomistæ vero cum Angelico Magistro. tenent Christum Dominum cognovisse non solum per scientiam naturalem infusam, entia naturalia. sed etiam per scientiam supernaturalem infusam.

Circa modum vero quo cognoscantur. non se explicant ita claro, at vero videtur, quod dum aliqui docent cognosci quidditative, & non asserunt comprehensive cognosci, teneant quod comprehensive non cognoscantur, loquendo autem de entibus creatis supernaturalibus affirmant comprehensive cognosci, verum attenta ratione probativa huius secundæ sententiæ, probat efficaciter etiam de entibus ~~sup~~ naturaturalibus, vel de supernaturalibus non convincit. unde pro veritatis cognitione duas conclusiones stabiliemus. sit ergo.

§. II.

~~[illegible]~~

Statuitur conclusio

Sit ~~prima~~ conclusio. Christus Dominus per scientiam supernaturalem infusam cognovit omnia obiecta naturalia quidditative. non solum in communi. & secundum rationes genericas. vel specificas. sed etiam clare, & distincte & secundum propriam singularitatem. & individuationem.

Hanc nostram conclusionem docet expresse Angelicus Mag. in præcitati quæst. 11. ar. 1. ubi & rationem ad illam stabiliendam assignat. titulus articuli est Utrum secundum scientiam inditam vel infusam Christus omnia sciat? & postquam arguit de ~~[illegible]~~ negativa progressus per illa verba videtur quod non. tandem in corpore articuli suam sententiam docet & probat per hæc verba:

* Resp. D. Th. quod sicut prius dictum est conveniens fuit ut anima Christi omnino esset perfecta per hoc, quod omnis eius potentialitas sit reducta ad actum. Est autem considerandum quod in Anima humana, sicut in qualibet creatura, consideratur duplex potentia passiva: una quidem per comparationem ad agens naturale: alia vero per comparationem ad agens primum, quod potest quamlibet creaturam reducere in actum aliquem altiorem actu in quem reducitur per agens naturale: & haec consuevit vocari potentia obedientiae in creatura. Utraque autem potentia animae Christi fuit reducta in actum secundum hanc scientiam divinitus inditam. Et ideo secundum eam anima Christi primo quidem cognovit quaecumque ab homine cognosci possunt, per virtutem luminis intellectus agentis, secundo vero per hanc scientiam cognovit Christus omnia illa, quae per revelationem divinam hominibus innotescunt, sive pertineant ad donum sapientiae, sive ad donum prophetiae, sive ad quodcumque donum Spiritus Sancti. Omnia enim ista abundantius, & plenius ceteris cognovit anima Christi. ipsam tamen Dei essentiam per hanc scientiam non cognovit sed solum per primam de qua supra dictum est. *

Ex qua authoritate sic subsumo. sed per donum Prophetiae cognoscuntur entia naturalia. ut patet in Moise qui dixit, In principio creavit Deus Coelum & terram. & ~~…~~ quae utique entia naturalia sunt: ergo vera est nra Cl.°

Probatur ratione desumpta ex hac authoritate; quia decens fuit quod omnis potentia obedientialis Animae Christi fuisset reducta ad actum. Sed in Christi intellectu erat capacitas ad omnia naturalia modo supernaturali & in ordine naturae cognoscenda, ergo & illa cognovit. minor probatur. quia omnia entia naturalia sunt manifestabilia a Deo. ergo alicui intellectui creato. Sed eo ipso, potiori titulo sunt manifestabilia Christo, ergo erat in Christo Capacitas ad illa cognoscenda modo supernaturali. & per consequens per hanc scientiam illa cognovit.

§. III.

Solvuntur argumenta.

Obiicies primo fundam.

(Disp. 52. cap. 1. n. 5) Vazquez, Nulla scientia potest se extendere extra limites sui obiecti; sed entia naturalia non continentur intra limites obiecti scientiae supernaturalis. ergo per scientiam supernaturalem infusam Christus non potuit cognoscere entia naturalia. probatur minor. quia cum scientia specificetur ab obiecto, obiectum debet esse eiusdem rationis cum scientia. Sed entia naturalia sunt inferioris rationis ad scientiae supernaturalem infusam. ergo non continentur intra limites obiecti talis scientiae.

Resp. facile respondeo quod entia naturalia, et possunt considerari materialiter &, in esse entis, & possunt considerari formaliter in esse obiecti. quatenus videlicet formalizantur a ratione formali sub qua attinguntur

cum autem ratio formalis sub qua sit supernaturalis scilicet est divina manifestatio. per species videlicet a Deo modo supernaturali creatas, & inditas intellectui animæ Christi, inde est quod subibit formalitate continendi sub obiecto scientiæ infusæ — —

Sicut similiter entia naturalia licet naturaliter inspecta solum sint producibilia naturaliter. tamen hoc non tollit, quod sint etiam producibilia supernaturaliter, ut patet. ut patet in visione, miraculosè communicata cæcis, in salute, infirmorum restaurata, & in vita defunctis, iterum communicata. quæ omnia etsi entitative sint entia naturalia tamen modus productionis est supernaturalis, & naturæ indebitus.

Argumenta. in favorem secundi, & Nominalium militantia, omitto, quia ex Metaphysica, & ex libris de Anima manent soluta. ubi ostenditur quod singularia sunt cognoscibilia. — & subiter addo in favorem nostræ assertionis, quod Angeli cognoscunt singularia, & individua ergo & Xpus per hanc scientiam. consequentia probatur. quia ideo Angeli illa cognoscunt quia habent species a Deo Authore naturali productas, & ipsis communicatas. sed Christus etiam species singularium, a Deo Authori supernaturali causatas ipsique infusas ergo non est cur negetur Christo illorum cognitio.

Artic. III

Vtrum Xptus Dnus per scientiam supernaturalem infusam cognoscat etiam comprehensive omnia entia naturalia creata?

Articulus. III

~~Vtrum cognoscat etiam comprehensive~~ per scientiam supernaturalem infusam omnia ~~entitia naturalia~~ creata?

§ 1

Statuitur conclusio.

Sit ~~[illegible]~~ Conclusio. Christus Dominus per hanc scientiam supernaturalem infusam cognovit etiam comprehensive omnia entia naturalia creata. sive entia naturalia sint corporea. sive spiritualia, ut Angeli.

Probatur primo conclusio retorquendo Argumentum quo ut solent thomistæ ad præcedentem conclusionem stabiliendam & aliunde negare videntur hanc secundam. quia congruum est ut Anima Christi Domini cognosceret obiecta omnia naturalia, in se ipsis perfectiori modo quam cognoscuntur ab Angelis. ex qua maiori sic sumunt, sed si non cognosceret obiecta omnia naturalia supernaturali modo, sed tantum naturali cognitione non cognosceret ea perfectiori, sed imperfectiori modo quam Angeli; ergo illa cognovit per scientiam supernaturalem infusam. Ex eadem ergo maiori a thomistis assumpta sic sub sumo, sed Angeli omnes præter infimum, in communi sententia, infimum seu inferiorem Angelum comprehendunt, ergo si Christus Angelum inferiorem non comprehendit, Christus imperfectiori modo quam Angeli omnes inferiorem Angelum cognosceret. Hunc sic ulterius, sed si Christus unum Angelum

comprehendit. non est ratio suadens quod caeteros non comprehendat, ergo illos omnes comprehendit. Maior autem in qua totus hic discursus fundatur, et admittitur a Thomistis contra quos est hic discursus, et ratio a priori pro ea stabilienda format illam suadet, quia licet anima Christi secundum se sit inferior natura quam Angeli, ratione unionis hypostaticae est evecta ad superiorem modum essendi. ergo et ad superiorem modum operandi, et intelligendi, ergo ratione unionis debita est Christo cognitio entium naturalium perfectior prae Angelis.

Secundo probatur conclusio ratione, quia si propter aliquam rationem intellectus creatus animae Christi non posset per hanc scientiam Angelos comprehendere, maxime quia, est inferior Angelis, sed licet sit inferior, in natura, tamen, non repugnat, quod detur aliquod lumen ita elevatum, ut excedat virtutem naturalem qua Angelus omnium superior omnes alios comprehendit, ergo non repugnat intellectum Christi Domini per lumen supernaturalem infusum Angelos comprehendere, maior continet fundamentum sententiae contrariae probatur minor.

Primo quia virtus naturalis cuius intellectus Angelici est limitata, ergo dabile est lumen supernaturale creatum quod in claritate excedat virtutem naturalem cognoscitivam Angelorum. sed eo ipso, non est ratio suadens quod tale lumen non sit in anima Christi infusum. ergo per scientiam supernaturalem infusam cognovit Christus Dominus comprehensive angelos, et per consequens omnia entia naturalia.

Secundo probatur eadem minor licet quilibet intellectus creatus, et creabilis sit inferior natura divina, et proinde repugnet intellectui creato qui naturaliter Deum ut est in se possit quidditative cognoscere, non repugnat lumen quod ita excedat omnem virtutem creatam, et creabilem cuiuslibet intellectus, ut possit cum illo intellectus Deum ut est in se clare videre. ergo similiter licet intellectus animae Christi sit secundum se inferior Angelis, et proinde naturaliter non possit Angelos comprehendere, non repugnat lumen supernaturale, quo possit intellectus animae Christi Angelos comprehendere.

Tertio probatur nostra conclusio. Christus Dominus per scientiam supernaturalem infusam, cognovit de facto, quidquid per donum prophetiae, et quid potest a Deo manifestari sed non repugnat quod Deus revelet omnem cognoscibilitatem passivam Angelorum, ita ut illam manifestet et quoad essentialia, et accidentalia, quae continet, ergo de facto sic attingit Christus Dominus per hanc scientiam cognoscibilitatem passivam Angelorum, ergo et comprehensive. maior est D. Th. 3. p. q. 11. ar. 1. in corp.

Quarto probatur conclusio, quia intellectus Christi Domini per hanc scientiam supernaturalem infusam cognoscit omnes Angelos, ad minus eodem modo, ex parte obiecti cogniti ac illos omnes cognoscit Angelus omnium superior, sed iste, ceteros quoad [illegible] comprehendit. ergo & Christus per hanc scientiam. ceteraque patent & probatur maior. quia ex parte obiecti cogniti vel aliquid cognoscit ~~[illegible]~~ Angelus omnium superior, quod non cognoscitur a Christo, vel non, si dicatur hoc secundum, ergo ex parte obiecti cogniti eodem modo cognoscit Christus per hanc scientiam omnes Angelos ac illos cognoscit Angelus omnium superior.

Si vero dicatur primum, est manifeste falsum, cum Christus Dominus per hanc scientiam omnia cognoscat. quia vel illud aliquid, est naturale, vel non, si naturale cognoscitur, si non est naturale, quid est? supernaturale non potest esse, cum sermo sit de entibus naturalibus, quae in se non includunt aliquid supernaturale restat ergo quod illud aliquid, sive sit virtuale, sive eminentiale sit quid naturale, unde cognoscibile a Christo

§ II

Soluuntur argumenta.

Obicies primo. ut aliqua cognitio sit comprehensiva, debet adequare cognoscibilitatem passivam obiecti, sed cognitio qua per scientiam supernaturalem infusam atingit Angelos non adequat cognoscibilitatem passivam Angelorum ergo non est comprehensiva. maior est nota. & probatur minor, cognoscibilitas passiva Angelorum, est ita actualis, & eiusdem immaterialitatis ac entitas ipsa naturalis Angelorum, sed cognitio qua per scientiam ~~[illegible]~~ supernaturalem infusam attingit Angelos non est eiusdem immaterialitatis ac entitas naturalis Angelorum, ergo talis cognitio Christi non adequat cognoscibilitatem passivam Angelorum. probatur minor. ita cognitio Christi est incadem linea ac suus intellectus. unde non est immaterialior quam intellectus animae Christi, sed Anima Christi non est ita immaterialis ac est natura Angelica ut patet. ergo. non adequat talis cognitio entitatem naturalem ~~[illegible]~~ ~~[illegible]~~ Angelorum. seu non est eiusdem immaterialitatis cum entitate naturali Angelorum.

Resp.º quod hoc argumentum solum convincit quod intellectus creatus animae Christi secundum suam entitatem consideratus non sit eiusdem immaterialitatis ac entitas naturalis Angelorum. unde attenta activitate naturali ipsius Angelos non potest comprehendere, at vero non evadit quod eidem intellectui non superaddatur aliquod lumen actualius [illegible] connaturalis Angelis, & quod mediante [illegible] Angelus non possit comprehendere

Unde ad formam argumenti respondeo negando minorem. Et ad probationem distinguo minorem, si cognitio Christi non est eiusdem immaterialitatis ac entitas naturalis Angelorum, sumpta immaterialitate in esse entis concedo, in esse intelligibili subdistinguo, in esse intelligibili naturali concedo, supernaturali nego minorem et consequentiam. Solutio patet ex dictis.

Replicabis, et est secundum argumentum tunc esset eiusdem immaterialitatis et linea intentionali, et intelligibili, quando modus obiecti est modus cognoscentis, sed modus obiecti non est modus cognoscentis, ergo nec est eiusdem immaterialitatis in esse intelligibili, ad comprehensionem enim ut supra docet Angelicus Magister requiritur quod modus obiecti sit modus cognoscentis.

Respondeo quod modus obiecti est in praesenti modus cognoscentis non ut cumque, et secundum naturalia inspectus sed ut illustratus est intellectus lumine scientiae infusae per hoc lumen enim elevatur intellectus ad altiorem modum cognoscendi, sicut per lumen gloriae elevatur ad cognitionem divinam terminative.

Obicies 3. Angelus inferior superiorem non comprehendit, ergo nec Christus Dominus Angelos comprehendere potest.

Respondeo esse debile argumentum quia in antecedenti sumitur Angelus inferior attenta naturali activitate sui intellectus iuxta quam docet ille sententia quod non adaequat cognoscibilitatem passivam Angeli superioris. In consequenti autem sumitur intellectus Christi Domini ut illustratus medio lumine superiorissimo creabili de potentia ordinaria, qualis est habitus scientiae supernaturalis infusae. Unde cum hoc lumine non est cur Angelos non comprehendat.

Praeterquamquod in mea et plurium Thomistarum sententia Angelus inferior superiorem comprehendit, quia licet excedatur a superiori in immaterialitate materiali non exceditur in gradu, sed potius conveniunt, ut late ad q. 55. et 56. ex 1. p.

Articulus. IV.

Vtrum Anima Christi Domini per scientiam supernaturalem infusam cognoscat quidditatiue, et comprehensiue omnia entia, seu dona supernaturalia, et mysteria gratiæ?

§. I.

Præmittuntur aliqua, & referuntur sententiæ.

Entia supernaturalia, alia sunt propria Viatorum, alia pertinent ad statum patriæ, & alia sunt ordinis hypostatici. ~~quæ pertinent ad statum viæ, & sunt gratia sanctificans, & Virtutes, tum theologicæ, tum morales, & earum operationes, & auxilia, tum prævenientia, tum commitantia, tum subsequentia, & ex auxilijs alia sufficientia, alia efficacia, & insuper Spiritus Sancti dona, & gratiæ gratis datæ. quæ pertinent ad statum patriæ, sunt gratia consumata, lumen gloriæ, visio beatifica, & quæ sequuntur ad visionem, ut amor beatificus, & dotes beatorum, & proinde Charitas patriæ, & si qui alij sunt habitus vel actus supernaturales. quæ pertinent ad ordinem hypostaticum, ut unio hypostatica, distincta, vel indistincta ab extremis, & alia dona propria Christi Domini.~~ de omnibus procedit dubium præsens, an cognoscantur a Christo Domino quidditatiue, & comprehensiue.

Circa sententiarum diversitatem licet omnes fateantur fuisse cognita a Christo Domino, tamen disident in stabiliendo modum cognitionis. Prima sententia docet non fuisse cognita a Christo Domino per scientiam supernaturalem infusam cognitione quidditativa, & proinde nec cognitione comprehensiva, unde gratiam fidem, spem, & caritatem non cognovit cognitione evidenti rei in se, sed solum cognitione evidentiæ testimonij divini, quæ dicitur ~~cognitione~~ evidentia in attestante. ita M. Bañez 2.2.q.5.ar.1. & Alvarez. disp. 118. ~~ap.~~ & 119. Secunda sententia docet quod dona quæ dicunt intrinsecam habitudinem ad Deum prout est in se, non cognoscuntur comprehensive sed tantum quidditative a Christo Domino per hanc scientiam. Tertia & communis sent.a tum thomistarum, tum aliorum, docet quod Christi Domini intellectus cognovit per scientiam supernaturalem infusam non solum quidditatiue, sed etiam comprehensive omnia dona supernaturalia, viæ, & patriæ, & ordinis hypostatici. videatur inter alios Illustrissimus Godoy in præsenti disp. 35. § 3. & 5. ubi docet more suo eleganti hanc tertiam sententiam. & cum præcipua difficultas sit in visione beatifica, & unione hypostatica, ideo præcipue ad ista entia supernaturalia arctabitur conclusio. Sit ergo.

ita Durand. in 3. dist. 14. Gabriel ibi q. unic.

§. II.

Statuitur prima conclusio. de cognitione quidditativa entium supernaturalium.

Sit prima conclusio. Christi Domini intellectus ~~cognovit~~ per scientiam infusam supernaturalem cognovit quidditative omnia dona supernaturalia creata, & creanda in futurum. ita Durandus. Gabriel, & D. Th. cum ceteris thomistis, præter M. Bannez, & Alvarez, & probatur ex D. Th. in hac q. 11. ar. 1. verbis supra relatis in quibus solam essentiam divinam excludit ab obiecto huius scientiæ.

Probatur conclusio duplici ratione desumpta ex eodem Angelico Magistro præcitatis verbis. quia Christus Dominus defacto cognovit per scientiam supernaturalem infusam omnia quæ per revelationem possunt cognosci ab hominibus, S^d^. omnia dona supernaturalia innotescere possunt hominibus per revelationem. ergo defacto fuerunt cognita a Christo Domino per istam sientiam

Secunda ratio sic formatur quia omnis potentia obedientialis quæ erat in intellectu animæ Christi fuit reducta ad actum per scientiam supernaturalem infusam. S^d^. in Christi Dni intellectu erat potentia obedientialis ad omnia dona supernaturalia, præsentia, præterita, & futura, cognoscenda, ergo defacto illa cognovit per hanc scientiam. maior suponitur ex dictis ar. præcedenti & probatur minor, quia omnia dona supernaturalia sunt cognoscibilia in se & per species proprias creatas, S^d^. si respectu alicuius intellectus sunt cognoscibilia & intelligibilia maxime respectu intellectus Christi Dni, scientia supernaturali infusa illustrati, ergo est quia in Christi Dni intellectu erat capacitas obedientialis ad omnia dona supernaturalia præsentia, præterita, & futura cognoscenda. maior patet. quia omnia entia supernaturalia præsentia præterita, & futura sunt quid creatus, & finitæ entitatis. ergo omnia sunt repræsentabilia per proprias species, & proinde & cognoscibilia.

Confirmatur. Si propter aliquam rationem prædicta omnia non possent cognosci quidditative, ~~per~~ species proprias creatas, maxime, quia dicunt ordinem ad Deum, ut unum, vel ut trinum unde non cognito Deo cognosci non poterunt, S^d^. hoc non obstat ut cognoscantur quidditative. ergo. probatur minor quia omnis entitas creata dicit relationem dependentiæ ad Deum, ut ad causam. & tamen, & creaturæ, & relationes dependentiæ cognoscuntur, eo præcise quod Deus cognoscatur, solum quoad an est. ergo similiter ~~&c~~.

Confirmatur. Unio hypostatica, & visio beatifica, possunt quidditative cognosci, ab intellectu Christi Dni, per scientiam supernaturalem infusam ergo, & omnia alia, antecedens probatur unio hypostatica, & visio beatifica. sunt finitæ entitatis. unde sufficit ad hoc ut cognoscantur lumen inferius ad lumen gloriæ, assumptum probo, quia lumen gloriæ solum requiritur ad Deum cognos

cendum, unde ad aliquid creatum cognoscendum illud non requiritur. ergo, unio hypostatica, visio beatifica, & lumen gloriae, obiective inspectum poterunt cognosci, per aliud lumen inferius ad lumen gloriae, & superius ad omne aliud lumen, sed hoc lumen est scientia supernaturalis infusa. ergo, per illam scientiam poterunt cognosci.

§ III

Soluuntur argumenta.

Obicies fundamentum M. Bañez. Gratia habitualis, & lumen gloriae, & visio beatifica, & unio hypostatica, non possunt quidditative cognosci, & evidentia rei, Deo non cognito, sed per scientiam supernaturalem infusam non potest Deus cognosci, solum enim cognoscitur, per lumen gloriae, ergo, nec praedicta dona. probatur minor quoad singulas partes, & 1o. de gratia habituali, quia gratia est semen gloriae, sed virtus seminis, cognosci nequit fructu non cognito, ergo non cognita gloria non potest cognosci gratia, sed gloria cognosci non potest, Deo non cognito, ergo nec gratia.

Probatur de lumine gloriae. quia lumen gloriae, est excellentius, & spiritualius, quam omne aliud ergo non potest cognosci per lumen inferius, qualis est scientia supernaturalis infusa, probatur consequentia. quia inter obiectum cognitum, & lumen cognoscitivum debet dari proportio & aequalitas.

De visione beatifica probatur qui visio non potest cognosci non cognito Deo ut uno, & ut trino, sed Deus ut unus & trinus solum potest cognosci mediante lumine gloriae. per ipsam visionem beatificam, ergo non potest cognosci per scientiam supernaturalem infusam

De Unione hypostatica probatur, quia unio hypostatica pertinet ad ordinem hypostaticum, sed ordo hypostaticus excedit ordinem supernaturalem, sicut ordo supernaturalis ordinem naturae, ergo, per cognitionem supernaturalem habitam per scientiam supernaturalem non potest cognosci unio hypostatica. tum quia unio hypostatica est connexa cum persona Verbi, ergo illa non cognita cognosci non potest.

Respondeo distinguendo maiorem non cognito Deo, quoad an est, concedo, quoad quid est, nego, maiorem, & distinguo minorem eodem modo & nego consequentiam. ad probationem in contrarium quae tenus huic solutioni obstare potest, respondeo, ad illud de gratia concesa maiori, distinguo min distincte data. et nego consequentia, vel distinguo ut supra.

Ad illud de lumine gloriae resp. distinguo maiorem, est lumen gloriae, excellentius, & spiritualius prae omni alio, excellentia entitativa, transeat, excellentia ordinis, & habitudinis, nego antecedens. & consequentiam. & ad probationem distinguo antecedens, debet dari aequalitas ordinis, & habitudinis. concedo, entitativa, nego. & inde in sententia Suarez, asserentis Angelum inferiorem superiorem comprehendere eo quia etsi ille excedat in entitate entitativa, datur aequalitas ordinis, & proportionis.

Ad illud de visione beatifica Resp. distinguendo maiorem, non cognito Deo, ut uno, & ut divino, quoad anest concedo, quidditative, nego. & distinguo minorem, s. Deus solum potest cognosci per lumen gloriae quidditative, concedo minorem, quoad anest nego minorem, & consequentiam.

Ad illud de unione hypostatica Resp. quod inter ordinem hypostaticum, & ordinem supernaturalem solum datur distantia entitativa, non vero datur distantia ordinis, & habitudinis, at vero inter ordinem naturae, & gratiae, datur, & distantia entitativa, & distantia ordinis & habitudinis cum natura non dicat ordinem ad gratiam.

§. IV.

Statuitur secunda conclusio de cognitione comprehensiva entium supernaturalium.

Sit Secunda Conclusio. Intellectus animae Christi Domini per scientiam supernaturalem infusam cognovit comprehensive unionem hypostaticam, lumen gloriae, visionem beatificam, & omnia alia quaecumque dona supernaturalia praesentia praeterita, & futura. Ita docent fere omnes Thomistae, praeter M. Ibañez, & Alvarez. ceterum haec nostra conclusio est D. Th. in hac q. 11. ar. 1. & in 3. dist. 14. & alibi. Sunt etiam pro nostra conclusione Durandus in 3. dist. 14. q. 3. & Gabriel ibidem. & plures ex Societate. contra Suarez.

Probatur ratione qua utitur Angelicus Mag. in praesenti. quia omnis potentia obedientialis, quae erat in intellectu Animae Xpti Dni, fuit reducta ad actum perfectum. ergo debuit per scientiam supernaturalem infusam cognoscere, non solum quidditative, sed etiam comprehensive omne cognoscibile comprehensive extra Verbum. s. Unio hypostatica, lumen gloriae, visio beata, & proinde omne quodcumque donum supernaturale sunt cognoscibilia, non solum quidditative, extra Verbum, & in se ipsis, sed etiam comprehensive, ergo intellectus animae Christi Dni per illam scientiam omnia enumerata comprehensive cognovit. primum antecedens cum prima consequentia est expressa doctrina D. Th. loco citato. ubi docet quod omnia cognovit Xpus Dnus per hanc scientiam, praeter essentiam divinam, quae solum potest cognosci, & quam cognovit per scientiam beatam. & ultima consequentia infertur unde solum restat probanda minor & sic suadetur. omne id, quod per speciem propriam creatam extra Verbum repraesentari potest non solum quidditative, sed & comprehensive potest extra Verbum comprehensive cognosci, Sed omnia enumerata sunt repraesentabilia extra Verbum per propriam speciem, & repraesentabilia utique comprehensive, ergo vera est minor probatur maior, quia omnia enumerata, sunt entia creata, & limitatae quidditatis & essentiae. s. omnis quidditas limitata potest per propriam speciem repraesentari comprehensive ergo vera est maior. consequentia est in Barbara, & praemissae sunt vistae.

Confirmatur. Si propter aliquam rationem omnia enumerata non possent cognosci comprehensive a Christo Domino, mediante hac scientia, maxime, vel quia dicunt ordinem ad Deum, ut unum. & trinum, vel quia sunt entia spiritualia. & altiora quam intellectus Christi, sed nulla ex his rationibus obicem facit. ergo de facto cognoscuntur quidditative. & comprehensive. maior continet fundamentum contrariae sententiae, & minor pro prima parte. probatur, probanda postea quo ad secundam. quia omnia enumerata. & si dicant ordinem ad Deum ut Unum. & Trinum cognosci possunt quidditative. & si Deus. ut Unus & trinus non possit cognosci per istam scientiam quidditative, sed solum abstractive, & quo ad an est. ergo & comprehensive, consequentia probatur. tum paritate, tum ratione, quia ideo sufficit ut cognoscatur Deus abstractive, & quoad an est ad ut predicta per hanc scientiam quidditative cognoscantur. quia prout sic Deus sufficienter attingitur, ut predicta cognoscantur, cum sit quid solum extrinsece specificans predicta, sed etiam ad comprehensionem rei relative sufficit quod terminus inspectus quoad an est attingatur, ut patet in relatione dependentiae quam dicit omnis creatura ad Deum, quae relatio comprehenditur, Deo solum attacto abstractive, & quoad an est. ergo similiter in presenti.

Pro secunda parte quam probandam reliqui probatur minor omnia enumerata, & si sint altiora quam intellectus animae Christi. secundum se inspectus, tam non sunt immarialiora, & altiora ipso illustrato cum hac scientia. & cum lumine. immo sunt aequalia, cum principio radicaliter concurrente ad intellectionem, videlicet sunt aequalia cum gratia sanctificante. a qua dimanat haec scientia supernaturalis infusa, seu hoc lumen quod est comprincipium cum intellectu Christi. in ratio agendi, intellectu concurrente immediate. immediatione potentiae, & hoc lumine concurrente immediate immediatione virtutis. ergo omnia enumerata comprehendi possunt ab intellectu animae Christi Domini per istam scientiam supernaturalem infusam.

§ V

Solvuntur argumenta.

Obicies primo fundamentum M. Banez. Non potest cognosci comprehensive lumen non cognito comprehensive fructu. sed gratia. est lumen gloriae, quae non est cognoscibilis extra Verbum non solum comprehensive. verum nec quidditative, ergo nec gratia.

Sed adhoc patet iam solutio ex dictis supra. ~~[illegible]~~ Unde obicies 2° lumen scientiae infusae. est inferius lumine gloriae. ergo lumen gloriae non potest comprehendi, per lumen scientiae supernaturalis infusae. — Respondeo dist. antecedens. est inferius in extensiva, in esse ~~[illegible]~~ virtutis cognoscitivae & intentionaliter, nego. ut sic sunt in eodem gradu immaterialitatis, cum radicentur in eadem gratia. & inde in sententia ipsius Banez asserentis Angelum inferiorem superiorem comprehendere eo quia etsi datur excessus entitativus datur tamen convenientia, in gradu. — Secundo inde in eodem lumine gloriae quod etsi sit inferius ad Deum ~~[illegible]~~ infinitae videndum tamen, Deum quidditate attingit.

Obiicies 3°. Lumen gloriae, & visio beata cognoscuntur comprehensive per ipsam beatificam. cum qua adaequantur, ergo non per scientiam supernaturalem infusam.

Respondeo. quod lumen gloriae, & visio beata, non solum sunt cognoscibilia, per visionem, beatam, sed praeterea lumen, quod utique est scientia ista supernaturalis infusa, imo, visio beata, non est directe obiectum sui ipsius, sed solum in essentia divina cognoscitur a se ipsa quasi reflexe. & cum, eo quia creata, nequeat non esse cognoscibile directe, & per speciem propriam, pro inde dicimus quod lumen gloriae. & visio beata, sunt defacto obiectum lstius scientiae, cognitae comprehensive, media specie propria & creata, quae infusa est in intellectu Animae Christi.

Obiicies. 4° Unio hypostatica est superioris ordinis ad scientiam supernaturalem infusam, ergo non potest comprehendi per ipsam.

Resp°. ut supra. est superioris ordinis, ex cessu entitativo transeat excessu ordinis, habitudinis, & proportionis nego.

Denique Obiicies. ipsa potentia obedientialis non comprehenditur a Christo Dno, per istam scientiam s. potentia obedientialis est supernaturalis terminative, ergo non omnino supernaturale comprehenditur. probatur maior, tunc aliqua potentia seu virtus comprehenditur quando cognoscitur omne ad quod se potest extendere, & omne quod in ipsa continetur ut docet D. Th. supra q. 10. ar. 2. s. Christus per scientiam supernaturalem infusam non cognovit omnia ad quae extenditur potentia obedientialis, cum extendatur, ad omnia dona possibilia gratiae. ergo.

Respondeo negando maiorem, & ad probationem distinguo, & explico maiorem. tunc comprehenditur aliqua potentia vel virtus quando cognoscitur omne ad quod extendi potest, & omne quod in ipsa continetur, si se extendit ex se. & ratione sui; & si in ipsa continetur adaequate concedo, si solum inadaequate nego maiorem. & distinguo minorem s. extenditur ad omnia dona possibilia gratiae. ratione sui nego, ratione alterius concedo, & continet omnia dona gratiae, continentia adaequata nego, inadaequata, omitto, & nego consequentiam.

Articulus V.

Vtrum Intellectus animæ Christi per scientiam supernaturalem infusam cognoscat occultas, liberas cogitationes cordium?

§. I.

Statuitur conclusio affirmativa.

Sit nostra conclusio: Intellectus creatus animę Christi Domini per scientiam supernaturalem infusam cognovit occultas liberas cogitationes cordium, & omnia futura contingentia libera. est expressa Angelici Magistri, loco citato, videlicet in hac. q. 11. art. 1. Ubi notat Eminentiss. Caiet. Angelicum Doctorem in præsenti retractasse sententiam contrariam, quam tenuit in 3. dist. 14. q. 1. ar. 3. & q. 20. de verit. ar. 6. est etiam communis Thomistarum, inter quos Illustriss. Godoy. & Noster Parra in præsenti. cam defendit Noster SS. & RR. Aversa in præsenti. q. 11. sect. 1. & docet esse communem contra Scotum. Gabrielem. Almainum locis citatis ex 3 dist. 14. & contra Lorca in præsenti.

Aliqui suadent hanc nostram conclusionem ex varijs locis Sacrę Paginę, ut ex illo Math. 9. Cum vidisset Iesus cogitationes eorum dixit: ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? & cap. 12. Iesus autem sciens cogitationes eorum. & ex illo Ioann. 21. ubi cum Petrum interrogasset de amore, respondit Petrus: Domine tu nosti omnia: tu scis quia amo te. quę verba exponens Theodoretus Serm. de Charit. ait: Iesus autem ipsum citavit, ad suum in eum amorem testificandum: Domine, enim inquit, tu scis quia amo te. in animis enim hominum insides. et aperte scis motus cogitationis, nec te aliquid latet ex rebus humanis, nosti enim omnia, & antiqua, et extrema.

Verum ad hęc, & similia respondent Authores sententię contrarię, quod ut prędicta testimonia verificentur ad litteram sufficit, quod Iesus sciat cogitationes cordium per scientiam beatam. Unde aliter est probanda nostra conclusio, & simul impugnatur ista solutio.

Probatur ergo eis rationibus quibus supra, alias conclusiones probatas relinquimus. quę rationes desumuntur ex Angelico Magistro. in hac. q. 11. ar. 1. quia cogitationes liberę, & occultę, sunt scibiles extra Verbum & in se ipsis imo, per species videlicet proprias. & creatas. ergo de facto cognoscuntur per scientiam supernaturalem infusam.

Rursus, quia Christus Dominus per istam scientiam cognovit quidquid potest a Deo revelari, sed non est assignabilis ratio suadens Deum non posse revelare occultas cordium cogitationes. ergo.

Nec valet dicere quod Deus sine præiudicio voluntatis creatę, & eius libertatis, non potest illas manifestare, habet

enim Voluntas creata dominium privativum in suos actus liberos. — Non inquam ista responsio iuvat sententiae contrariae, quia dominium speciale, & privativum voluntatis creatae non tollit dominium supremum quod Deus habet in nostros actus liberos, quo-pacto illos aliquando Deus revelat, sed quidquid Deus per revelationem privatam alicui creaturae factam revelare potest, cognovit de facto Christus Dominus per scientiam supernaturalem infusam. ergo de facto omnia libera cognovit Christus Dominus per hanc scientiam.

Ulterius quia Christus Dominus dum ratione suae propriae excellentiae, & dominii, & dum quia constitutus est Iudex cogitationum liberarum omnis creaturae ea omnia debet in propriis naturis scire. Unde infertur quod ea omnia nimirum futura non cognovit in causis proximis, quia nec causae, nec futura ibi tempore Christi habebant esse, Nec illa cognovit in decreto divino libero, seu in essentia divina determinata per decretum, quia huius modi cognitio est in Verbo, propria proinde scientiae beatae. cognovit ergo praeterita, & futura, in se ipsis immediate, per species proprias non a rebus acceptas, sed a Deo supernaturaliter operante, causatas, & infusas intellectui animae Christi.

§. II.

Solvuntur argumenta.

Argumenta contra istam conclusionem iam manent insinuata, & soluta, vel ex dictis facile dilui possunt. Solum ergo videtur restare solvendum argumentum intendens probare Cognitionem hanc, per quam Christus Dominus cognovit cogitationes cordium, & futura contingentia libera, pertinere ad lumen propheticum, sed illud lumen propheticum distinguitur a scientia supernaturali per se infusa, ergo per scientiam supernaturalem infusam non cognovit Christus dominus cogitationes cordium.

Sed facile respondeo quod cogitationes cordium, & omnia futura contingentia libera, possunt cognosci, & in se ipsis immediate, per species proprias, & creatas, productas supernaturaliter a Deo, & infusas intellectui Christi Domini. & possunt cognosci ex testimonio dicentis, & revelantis, sive tale testimonium, seu revelatio, sit clare cognita, quod dicitur evidentia in attestante, sive sit obscura. Utramque cognitionem habuit Christus videlicet & cognitionem innixam evidentiae rei in se ipsa, media specie propria a Deo causata, & intellectui Christi infusa, & cognitionem innixam testimonio Dei dicentis, & revelantis manifeste. prima cognitio pertinet ad scientiam supernaturalem infusam, secunda ad Prophetiam, & una alteram non excludit. cum utroque modo sint cognoscibiles cogitationes cordium. & Christo concedenda est cognitio cuiuslibet obiecti, omni modo, & per omne medium, ut sic omnis potentialitas intellectus Christi reducatur in actum. quo pacto coherent scientia beata, supernaturalis infusa, naturalis infusa, naturalis acquisita, & prophetia,

Articulus. VI

Vtrum cognitio, qua Christus Dominus per scientiam supernaturalem infusam cognovit futura, sive libera, sive necessaria, sit intuitiva, vel abstractiva.?

§. Vnicus

Dubium præsens, potius ad Sumulistas, quam ad Theologos expectat, verum quia in præsenti communiter a theologis movetur, illud proponto, ast brevissime ab illo me expediam.

In hac re duplex versatur sententia, prima asserit talem notitiam esse intuitivam, hanc tenent Illustriss. Herrera, Alvarez, Corrubo, Noster. SS. Parra. & alij. & insuper citatur pro hac sentª. Caietanus in præsenti. ar. 1. --- Secunda sentª. docet talem notitiam esse abstractivam ita communiter Thomistæ, ut videre est apud Illustriss. Godoi in præsenti disp. 35. §. 13.

Sit hæc secunda sententia nostra conclusio. & est expressa in Angelico Mag. q. 3. de Verit. ar. 3. & 1. p. q. 19. ar. 9. ubi ex eo probat futura existere physice in æternitate, quia alias notitia quam Deus haberet de futuris, esset abstractiva, ergo in sententia D. Thom., non sufficit cognoscere obiectum claro, & per speciem propriam, vel per essentiam divinam quæ eminentiori, & perfectiori modo continet claritatem specierum creatarum propriam.

Ratª. probª. quia notitia intuitiva, est notitia rei præsentis, utique phisice, in se, & extra causas, aliunde si præsentia solum obiectiva sufficeret, nulla notitia esset abstractiva, præsertim si fiat per speciem propriam, sed notitia quam per scienciam supernaturalem infusam habuit Christus Dominus futurorum etsi sit per speciem propriam, tamen revera est circa obiectum non præsens, sed physice absens, & realiter non existens, ergo non est talis notitia intuitiva.

Dices, quod notitia clara, & manifesta, habita per propriam speciem repræsentantem quidditatem rei, eius existentiam, & accidentia omnia comitantia existentiam, non potest non esse intuitiva, etenim notitia abstractiva, non est clara, sed obscura. Sed notitia quam de futuris habuit Xpus Dominus per istam scientiam est clara, & manifesta, & per speciem propriam, repræsentantem quidditatem, existentiam, & accidentia singularia illorum, ergo est intuitiva.

Respª. distinguendo maiorem, & per speciem propriam repræsentantem quidditatem, & existentiam, tª. ut exercite existentem, concedo maiorem, solum signate, nego maiorem, & dist. min. eodem modo, & neg. consequentiam. Notitia enim abstractiva, non pugnat cum claritate ut patet in notitia abstractiva quam habemus de rebus præteritis, & absentibus alias nobis in se ipsis cognitis.

Articulus Septimus.

Vtrum Intellectus animæ Christi Domini per scientiam supernaturalem infusam cognoverit, vel cognoscere potuisset omnia possibilia?

§. I.

Statuitur prima conclusio.

Licet supra disp. 17. ar. 2. §. 9. agendo de scientia beata, obiter actum sit de cognitione possibilium extra Verbum qualiter repugnet, tamen in præsenti, ut in proprio loco agendum restat de illa, unde recollenda sunt in præsenti quæ ibi diximus.

Sit ergo prima nostra Conclusio.

Intellectus animæ Christi per scientiam supernaturalem infusam non cognovit omnia possibilia. est communior inter Thomistas, illam tenent Illustrissimus Godoi in præsenti disp. 35. §. 15. Gonet disp. 17 ar. 6. Noster Parra. tract. 3. q. 3. ar. 2. Eam probant Godoy, et Gonet ex quibusdam verbis D. Thomæ ex q. 20. de verit. ar. 5. ubi cum sibi obiecisset Angelicus Magister primum argumentum, quod ita formaverat: * Quicumque scit maius potest scire minus, Sed Deus est maius quam quidquid potest facere, ergo cum Anima Christi cognoscat Deum, multo magis potest cognoscere, quidquid Deus potest facere * Cui argumento sic respondet Angelicus Magister * Ad primum dicendum quod quidquid Deus potest facere minus est quam ipse Deus, et facilius posset ab anima Christi cognosci, si animæ Christi per se offerretur quidquid Deus potest ~~facere~~ sicut per se ei repræsentatur ipse Deus, Nunc autem ea quæ potest facere Deus, vel quæ fecit non offeruntur animæ Christi in se ipsis, sed in Verbo, et ideo ratio non sequitur * in quibus ultimis verbis, videlicet in illis ea quæ potest facere Deus non offeruntur, manifeste sentit quod de facto non cognovit omnia possibilia.

Verum ex hac autoritate, nihil videtur convinci, quia sicut idem Godoy in præsenti §. 10. n. 199. docet D. Thomam retractasse in hac q. 11. ar. 1. doctrinam quam tradiderat in q. 20. de Verit. ar. 7. et in 3. dist. 19. q. 1. ar. 3. ubi docuerat Christum Dominum per hanc scientiam non cognovisse cogitationes cordium secundum, ita potest dici quod sententia innixa in authoritate ex ista q. 20. de Verit. ar. 6. non subsistit nec ex prædicta quæstione potest sumi efficax argumentum ad suam mentem dignoscendam.

Moveor ad hoc dicendum ex eo quia D. Th. loco citato, ex q. 20. de verit. ar. 5. ad 1. eodem pacto, et eisdem verbis negat Christum Dominum cognovisse ea quæ Deus potest facere, sicut ea quæ fecit; Nunc sic subsumo, sed ex eodem Angelico Mag. in hac q. 11. ar. 1. pro certo relinquimus, quod omnia quæ fecit Deus Cognovit per scientiam supernaturalem infusam. ut ipse Godoi nobiscum docet, ergo, vel hæc doctrina est retractata, non stabilit efficax argumentum ad mentem D. Thomæ dignoscendam. ubi nota, Illustrissimus Godoi referendo verba Angelici Mag. ex q. 20. de verit. ar. 2. omittit illa verba, quæ fecit forte enim truncat autoritatem, prævidens difficultatem. alia ex q. 20. de verit. forte tenenda est. 2. Conclusio.

Probatur ergo hoc discursu, quia Scientia Supernaturalis infusa inferior quam scientia beata, etsi superior ad aliam quamcumque scientiam, ergo conquum non est quod Xpiis Dnus per illam videat & cognoscat plura obiecta materialia quam per scientiam beatam, sed per scientiam beatam omnia possibilia non cognoscit ergo nec omnia possibilia cognoscit per scientiam ~~beatam~~ Supernaturalem infusam primum antecedens non indiget probat.^e etenim scientia beata comparatur a D. Aug.^o luci matutinæ, & scientia Supernaturalis infusa, qua extra Verbum videntur creaturæ, comparatur luci vespertinæ, unde sicut lux matutina clarior est, quæ vespertina, sic scientia beata clarior est, quæ Supernaturali infusa, & prima vero^a inferiori nobilior enim & perfectior scientia, plura debet attingere, & non solum sub clariori rat.^e formali sub quæ.

lib. 2. de Genesi ad litteram cap. 8. & lib. 11. de Civit. Dei. cap. 7.

Secundo alia ratione probatur conclusio. quia si Christus Dominus cognosceret per scientiam ~~beatam~~ Supernaturalem infusam omnia possibilia sequeretur saltem aposteriori quod comprehenderet omnipotentiam, & per consequens ~~omni~~ essentiam divinam, s.^t omnipotentia & essentia divina sunt incomprehensibiles, non solum apriori, sed etiam aposteriori, ergo non cognoscit omnia possibilia per scientiam supernaturalem infusam. Sequellam probabimus ~~...~~ conclusione 1.ª ubi hanc rationem elucidare conabimur.

Argumentum quod contra hanc ~~...~~ conclusionem fieri potest, præsertim ex doctrina saepius repetita, videlicet quod attribuenda est Christo omnis perfectio possibilis compatibilis cum munere Redemptoris, s.^t totam collectionem possibilium extra Verbum cognosci non implicat. ergo de facto attribuenda est Xpto, & per consequens per istam scientiam illa cognovit, hoc inquam argumentum commodius fiet inter probandam secundam nostram conclusionem ex qua videbimus minorem esse falsam, & proinde vim non habet.

vide supra. ar. 2. §. 4. pag. 139.

§. II.

Statuitur secunda conclusio.

Sit secunda Conclusio. Implicat, etiam attenta potentia absoluta Dei, intellectum creatum animæ Christi Domini per scientiam Supernaturalem infusam cognoscere ~~...~~ omnia possibilia. ita Mstr. Fr. Parra.^+ & M. Cornejo. 3 p. q. 10. disp. 2. dib. 1. n. 9. Contrarium docet Illustrissimus Godoy. q. 11. tract. 9 §. 15. n. 229. Gonet disp. 17 ar. 6.

tract. 3. disp. 1. q. 2. ar. 2. & q. 3. ar. 2

~~Probatur primo~~ nostra conclusio ex D. Th. q. 20. de Verit. ar. 5. ad 9. ubi etsi titulus articuli sit de scientia beata, & de obiecto cognito a Christo in Verbo, quod docet, non potest esse omne possibile, tamen quantum argumentum videtur procedere, de eo quod ~~...~~ Deus potest manifestare, intra, &

extra Verbum, cum verba sint absoluta, & utrumque modum amplectantur. verba enim Angelici Praeceptoris sunt ut sequuntur. * Praeterea quidquid Deus potest facere, potest manifestare; sed quidquid potest manifestari alicui creaturae Christo manifestatum est, ergo quidquid Deus potest facere est manifestatum Christo * Cui argumento sic respondet: * Ad 4. dicendum, quod sicut non potest esse quod sit factum quicquid Deus potest facere, quia sic Deus faceret [illegible] quod non posset plura, & sic eius potentia esset limitata ad creaturas actu existentes, ita non potest poni quod ~~aliqui~~ alicui creaturae sit manifestatum, quicquid Deus potest facere, vel manifestare * in quibus verbis continetur & probatur nostra conclusio.

Ex qua authorit. sic formo rationem. Si omnia possibilia possent per scientiam ~~beatam~~ supernaturalem infusam, & pro inde extra Verbum videri ab intellectu creato animae Christi, Christo posset esse manifestatum quicquid Deus potest ad extra manifestare, S. sicut implicat quod actu sit factum quicqd Deus potest facere, ne dicatur quod potentia operativa Dei sit limitata ad creaturas existentes, ita implicat quod sit manifestatum quicqd Deus potest manifestare ergo implicat qd intellectus creatus animae Xpi videat per scientiam supernaturalem infusam omnes creaturas possibiles, alias esset manifestatum quicqd Deus potest manifestare, & limitaretur potentia manifestativa Dei. Secundo probatur alia rat. nostra conclusio. Si extra Verbum possent videri omnes creaturae possibiles, ab intellectu creato animae Christi domini, illas de facto videret, S. illas de facto non videt per istam scientiam infusam, ergo est quia non possunt videri etiam attenta potentia absoluta minorem non negat Illustrissimus Godoy, nec Gonetus, probatur ergo maior. quia omnis perfectio possibilis compatibilis cum munere Redemptoris de facto concedenda est Christo. ergo si extra Verbum, hoc est, per scientiam supernaturalem infusam posset intellectus creatus animae Christi dni omnes creaturas videre, illas de facto cognosceret.

Dices cum Godoy, & Gonet, quod maior solum est vera, quando connaturaliter potest stare talis perfectio in Christo, & cum videre omnes creaturas possibiles includat ~~[illegible]~~ inconnaturalitatem, eo quia deberent videri per species, vel per speciem universaliores quam speciebus Angelicis, quae inconnaturales sunt intellectui humanitatis Xpi, qui utique est humanus, inde est qd de facto illas non videt. haec est ratio convincens apud istos doctissimos Magistros.

Sed venia illorum, mihi videtur vim nonhabere hanc rationem, quia in primis falso limitatur ad perfectiones connaturales cum Christus dnus habeat perfectiones omnimode possibiles, & omni supernaturalitate maiores cum ornatus humanitatis Christi, sit perfectius omni

modo possibili, etiam attenta potentia Dei absoluta, ut patet etiam in sci-
entia naturali, quam Christus habuit per species naturales, modo supernatu-
raliter productas. — Secundo d

Secundo dato & non concesso, quod servanda sit connatu-
ralitas, in hoc omnibus apparet maior repugnantia, quod sit ~~species~~ possibilis
species, una vel plures, videlicet decem ut ipsi docent, repraesentantes decem ge-
nera seu praedicamenta, quod talis, vel tales species alicui intellectui
creato non sint connaturales. si enim nulli sunt connaturales, ergo
repugnatat talis species. tunc sic si alicui intellectui creato est con-
naturalis, & possibilis species ~~repraesentans~~ omnia possibilia, maxime
intellectui Christi Domini, quia & si secundum se impectus sit inferior ad
illas species recipiendas, & percipiendas, tamen ut illustratus lumine
scientiae infusae supernaturalis non potest non esse capax illarum, sicut
& si intellectus creatus secundum se non possit adiuvari per essentiam
divinam gerentem munus speciei impressae repraesentandi, quod dictum est contra
deum, tamen quilibet intellectus creatus lumine gloriae illustratus & per-
fusus, essentiam divinam gerentem vices speciei impressae potest habere
ergo & potiori titulo illustratus ~~[illegible]~~ lumine scientiae supernatu-
ralis infusae poterit informari ab specie, vel ab speciebus repraesentan-
tibus omnia possibilia. & si hoc fieri nequit est quia repraesentari ne-
queunt omnia possibilia collective

Ratio probatur nostra conclusio. Si
intellectus creatus animae Christi per scientiam supernaturalem infusam
posset cognoscere omnia possibilia, comprehenderet divinam omnipoten-
tiam, & per inde essentiam divinam, sed hoc est impossibile, ergo, impossi-
bile est. quod per talem scientiam possit cognoscere omnia possibilia.
probatur maior, quia viso termino adaequato, alicuius potentiae, causae
vel virtutis, non potest non comprehendi, saltem aposteriori illa potentia
causa vel virtus. sed omnia possibilia sunt terminus adaequatus omnipotentiae
ergo si omnia possibilia videret comprehenderet saltem aposteriori om-
nia possibilia.

Dices quod solum comprehenditur causa. potentia, habitus
vel virtus, quando terminus adaequatus illius videtur in causa, potentia, vel vir-
tute, & quando videtur talis terminus ex vi cognitionis causae, non vero quando
terminus in se ipso, & non in causa, videtur. & assumptum sua des

in communi sent.a Angelum inferiorem non comprehendere Superiorem, etiam si Angelus inferior videat omnes res naturales quae sunt terminus adequatus potentiae naturalis cognoscitivae Angeli superioris, ipsum Angelum superiorem non comprehendit quia res naturales in se ipsis, et non in Angelo superiori cognoscit. quod autem Angelus inferior videat omnes res naturales quas superior, imo et comprehensive, sicut etiam superior, supponit, ex tract.u de Angelis. et patet alias Angelus inferior posset illuminari a superiori, quod negat Angelicus Mag.r Sed nec mihi placet haec solutio. quia in communi sent.a comprehensio alicuius causae vel potentiae, est duplex alia apriori, aposteriori alia, sed comprehensio causae apriori, consistit in cognit.e effectuum omnium in causa, et ex vi cognitionis causae, ergo comprehensio aposteriori, debet consistere in cognitione effectuum omnium in se ipsis, et ex vi cognitionis eorum devenire in cognitionem causae. Secundo, quia qui cognoscit omnes effectus ad quos potest causa se extendere, format necessario hoc iudicium, omne passivum causae cognosco, ergo activum, cum dicantur correlative, etenim, facit hoc iudicium causa ad nihil aliud potest extendi, quam ad istos omnes effectus quos cognosco, ergo activitas causae, aposteriori est cognita comprehensive. Nec exemplum de Angelo inferiori iuvat, sed potius infirmat solutionem, et vim praestat nostrae rationi, quia in mea sententia, et in probabilissima sententia Angelus inferior superiorem comprehendit, et una ex rationibus quae probatur, est quia cognoscit terminum adaequatum potentiae naturalis cognoscitivae Angeli superioris. Verum admissa sentent.a probabili asserente Angelum inferiorem superiorem non comprehendere, adhuc non infringit nostram rationem, quia Angelus inferior non cognoscit terminum adaequatum potentiae Angeli superioris eo modo quo a superiori cognoscitur ipse terminus, quando quidem universaliori modo, et per pauciores species cognoscitur a superiori. Quarto probatur nostra Conclusio quia si Intellectus creatus Animae Xpi Dni posset per scientiam supernaturalem infusam omnia possibilia cognoscere, esset dabilis species creata repraesentans omnia possibilia in se ipsis, sed talis species non datur, ergo non potest per talem scientiam omnia possibilia cognoscere. maior patet. cum implicet cognitio nisi per speciem repraesentativam obiecti

probatur ergo minor, quia si esset possibilis species repraesentans omnia possibilia vel esset una vel plures, non una, nec plures, ergo talis species non datur. probatur minor. Et imprimis una non potest esse, alias aequaret essentiam divinam in repraesentando ad extra, seu in repraesentando possibilia, repraesentaret enim ista non minus de possibilibus quam essentia divina, sed nulla creatura in nulla formalitate aequare potest divinam essentiam, ergo non potest fieri repraesentatio omnium possibilium per unam speciem. Quod autem non possit dari talis repraesentatio per plures species probatur. quia non est ratio quare requirantur et sufficiant plures in aliquo numero determinato.

Dices. quod potest designari numerus specierum sufficientius ad repraesentanda omnia possibilia, videlicet. tot species. quot genera, et cum genera sint tantum decem decem praedicamenta continentia, sufficere possunt decem species. est Solutio N. Godoi loco citato n. 239.

Verum venia tanti Magistri Solutio non placet, primo quia voluntarie videtur assignatus numerus denarius specierum. cum genera valde confuse repraesentare possint species. Secundo, quia quis affirmare audebit esse genera possibilium tantum decem? Si enim decem sunt praedicamenta ab Aristotele cognita, tamen ubi probatur non esse possibilia alia genera, alias potentia Dei limitata esset ad decem genera. tertio, quia linea intentionalis non continetur inter decem genera categoriarum Aristotelis, genera enim illa sunt pro materiali quid physicum, et linea intentionalis est contra distincta a linea physica. – Quarto quia dato et non concesso, genera possibilium esse tantum decem, ex quo capite deinde probatur quod intellectus creatus animae Christi Domini non possit actuari per illas species? Si enim ex aliquo capite repugnaret maxime ratione universalitatis earum, sed etiam species quibus de facto utitur Christus per hanc scientiam sunt ita universales. ergo earum universalitas non obstat. probatur minor quia species repraesentans unam solam speciem, v. g. speciem hominis, est ita universalis ac quaelibet illarum specierum. ergo species quibus de facto utitur intellectus creatus Christi Domini sunt ita universales ac illae decem, ans. probatur quia species repraesentans speciem humanam comprehensive, est infinita terminative in repraesentando, repraesentat enim homines numero infinitos. et species repraesentans intellectiones quas elicient beati per totam aeternitatem repraesentat infinita individua, sed unum infinitum non est maius alio, ergo species repraesentans unam speciem ad sic. et per inde omnia individua possibilia est ita universalis ac quaelibet illarum decem specierum.

Quinto, quia in hoc stat repugnantia, & falsitas sententiæ nobis contrariæ quod sint possibiles species repræsentantes omnia possibilia, & quod nulli intellectui creato quantumvis illustrato aliquo lumine non sint connaturales, sicut essentia divina gerens munus speciei intelligibilis connaturalis est intellectui creato lumine gloriæ prædito. ergo de primo ad ultimum dicendum est quod repugnat intellectum creatum animæ Christi posse videre per scientiam supernaturalem infusam omnia possibilia, alias ut supra cum D. Thoma dicebamus, esset manifestatum totum quod Deus potest manifestare.

Fundamenta quæ pro contraria sententia affert illustrissimus Godoy, iam inter nostram conclusionem probandam manent soluta, unde illa omitto, solum restat solvere unam velut ex rationibus quam pro sua sententia stabilienda proponit. nimirum hoc argumentum. Si propter aliquam rationem non posset intellectus creatus Christi Domini per scientiam supernaturalem infusam omnia possibilia cognoscere, maxime, quia sunt infinita, at hæc ratio est nulla, ergo non implicat, probat minorem quia infinitas Dei est maior collectione omnium possibilium, & tamen cognoscitur a Beatis. ergo.

Respondeo negando maiorem, quam ipse ut veram supponit. S. ratio est. quælibet ex assignatis pro nostra conclusione stabilienda. Secundo respondeo distinguendo maiorem, quia sunt infinita, generice & specifice, & numerice, concedo, quia solum sunt infinita, specifice, vel numerice, nego maiorem, & distinguo minorem eodem modo, & nego consequentiam & ad probationem quatenus huic solutioni obstare potest resp. quod essentia divina etsi infinita sit nobiliori infinitate quam possibilia, tamen est una, unde potest cognosci per unam speciem, cognitione solum quidditativa, possibilia autem exigunt infinitas species numero ut cognoscantur, unde non est par ratio.

Nec valet dicere illud & de eam speciebus, quæ solutio est apud ipsum manifesta, quia hoc iam manet exclusum, nec similiter valet dicere quod possibilia etiam possunt cognosci quidditative, & non comprehensive, non inquam valet adhuc hoc, quia possibilia si omnia cognoscantur comprehensive necessario cognoscantur, quia tunc obiectum comprehenditur quod videtur totum & totaliter, & quantum est visibile, & si omnia possibilia videntur, non latet aliquid, vel virtuale, vel eminentiale, quia si latet aliquid, illud aliquid quod latet, vel est possibile vel non? si non est possibile nihil est, si est possibile videtur, cum supponatur videri omnia possibilia, ergo non possunt videri quidditative, & non comprehensive, dicendum ergo est quod ideo repugnat videri omnia possibilia, quia sequeretur saltem aposteriori quod comprehenderetur essentia Dei.

Nec valet dicere quod D. Thomas solum negavit cognitionem omnium possibilium, quia sequeretur comprehensio Dei, si comprehensio solum sequitur si in Verbo videantur non extra. Non inquam id valet, quia ut probatum relinquimus ex cognitione omnium possibilium extra Verbum & in seipsis etiam sequitur licet aposteriori comprehensio. Causa enim dupliciter potest comprehendi. & apriori, & aposteriori. ut iam diximus.

Articulus. VIII.

Vtrum Intellectus creatus animæ Christi per scientiam supernaturalem infusam cognoverit Divinam essentiam, & Deum ut Vnum, & Trinum?

§. Vnicus

Relatis sententiis statuitur conclusio.

Prima Sent[a] docet Deum nec ut Vnum, nec ut Trinum fuisse cognitum ab anima Christi. ita Vazquez, in præsenti disp. 53. cap. 2., & Noster Parra tract. 3. disp. 1. q. 3 ar. 3. — Secunda docet Deum ut Vnum, non ut Trinum fuisse cognitum ab anima Christi per hanc scientiam. ita Lorca, disp. 50. a. n. 8. — Tertia affirmat animam Christi per hanc scientiam cognovisse Deum ut ut Vnum, & ut Trinum cognitione evidenti quidditativa abstractiva. hæc tribuitur Scoto in 2. dist. 3. & Scoti discipuli. Quarta denique affirmat animam Christi per hanc scientiam cognovisse Deum ut Vnum, & ut Trinum cognitione evidenti quoad an est, non quidditativa, & intuitiva, sed tantum abstractiva. ita Communiter Thomistæ quorum cathalogum invenietis apud Illust. Godoy in præsenti disp. 38. § 1. & Nostr. N. & RR. Aversa q. 11. Sect. 1.

Sit nostra conclusio. Intellectus Animæ Christi Dñi per scientiam supernaturalem per se infusam cognovit Deum ut Vnum, & ut Trinum evidenter, quoad an est, cognitione non quidditativa vel intuitiva, sed cognitione evidenti abstractiva. — est communis Thomistarum.

Hæc 1.º quoad id quod negat, videlicet quod talis cognitio non sit quidditative, & intuitiva, supponitur ex tractatu de Visione. 1. p. q. 12. ubi ostenditur repugnare speciem creatam repræsentantem Deum quidditative, & intuitive, sed intellectus animæ Christi per hanc scientiam utitur speciebus creatis, essentia divina enim, ut gerens munus speciei impressæ deservit ad scientiam beatam. ergo.

Probatur conclusio quoad id quod affirmat, quia Deus ut Vnus, & ut Trinus est cognoscibilis, ut continetur in effectibus supernaturalibus ab ipso causatis, vel ad ipsum terminatis sed cognitio Dei per creaturas, est Dei quoad an est, & abstractiva, ergo sic cognitus fuit ab intellectu Christi. maior negari nequit, cum & nos Deum ut unum & Trinum cognoscamus, ex effectibus supernaturalibus nobis per fidem cognitis, ergo etiam est cognoscibilis per scientiam, cum eo ipso quod obiectum sit manifeste cognitum, ut fuerunt supernaturalia a Christo cognita, pertineat ad ~~fidem~~ scientiam minor etiam est nota, cum cognitio non attingens obiectum in se, sed in alio, solum sit abstractiva, & quoad an est, si solum, esse illius infertur ex obiecto. & consequentia est nota, alias ~~cap~~ Capacitas obedientialis quæ est in intellectu animæ Christi non esset reducta in actum. nec saciata, & perfecta, quod ut ex dictis patet dici nequit.

Articulus IX

Vtrum hæc scientia Supernaturalis, & per se infusa consistat essentialiter in habitu, vel in collectione specierum?

§. I.

Præmittuntur certa.

Licet in discursu disputationis, ut certum stabilitum suppositum habeamus scientiam supernaturalem per se infusam esse lumen quoddam supernaturale, elevans intellectum ad sua obiecta cognoscenda, & tale lumen esse qualitatem, quæ dicitur habitus, tamen modo exprofesso hoc placet indagare, quia licet hoc dubium magis ad Methaphysicam, quam ad Theologiam expectet, tamen in præsentiarum quam plures Theologi hanc difficultatem disquirunt, unde ut sic magis ac magis quidditas & essentia huius mirabilis scientiæ supernaturalis infusæ, quæ est in Christi Dni Intellectu eluceat, ideo illam in præsenti & nos examinare decrevimus.

Et primo ut notum supponenda est vulgaris distinctio scientiæ, in actualem, & habitualem, scientia actualis nulli dubium est quod consistit in actu intellectus scientifice attingente obiectum, quo pacto scientia beata, actualis, consistit in visione Dei, quæ visio, dicitur etiam, & est beatitudo nostra formalis, ut ad Tractatum de Beatitudine probatur a Thomistis contra asserentes Beatitudinem formalem consistere in actu amoris, vel in visione, & amore. Difficultas ergo est circa scientiam habitualem, in quo consistat, an in habitu, vel in specierum collectione?

Secundo ut certum suppono quod species deservientes huic scientiæ Supernaturali per se infusæ, quam stabilitam relinquimus in Christi Dni intellectu sunt entitative supernaturales, quod facile patet, ex eo quia tales species deserviunt ad repræsentandum, quidditative, & comprehensive, ut vidimus entia supernaturalia, imo licet etiam Christus Dnus per hanc scientiam cognoverit ut vidimus entia naturalia, tamen illa cognovit modo supernaturali, & naturæ indebito unde necesse est quod species, ad præfatas cognitiones deservientes sint supra ordinem naturæ, & proinde supernaturales. Difficultas ergo est an ista scientia consistat in collectione earum omnium specierum, quæ deserviunt ad obiectus huius scientiæ attingendos?

§. II.

Relatis sententijs statuitur conclusio.

Prima sentª. docet scientiam Supernaturalem infusam (imo omnem aliam scientiam) in collectione specierum. ita Gabriel in 3. dist. 29. ar. 2. Vazquez in præsenti disp. 54. cap. 2. Valentia q. 12. puncto 1. Hurtado disp. 8. diffic. 21. Bernal. disp. 53. sect. 3. —
Secunda & vera sententia docet consistere in habitu se tenente ex parte intellectus ita Caietanus, & communiter omnes Thomistæ tam antiqui, quam Moderni, [illegible]

Ex parte Thomistas tenent hanc secundam sententiam ex Societate Suarez, hic disp. 29 Sect. 2. Granado, tract. 8. disp. 3. Sect. 2. & plures ex eadem familia.

Sit nostra conclusio

Scientia supernaturalis per se infusa, residens in intellectu animæ Christi Domini consistit essentialiter & Metaphysice in habitu supernaturali, & per se infuso, seu est quoddam lumen se tenens ex parte intellectus, illud elevans ad eliciendum actum scientificum quod lumen entitative est qualitas, quæ dicitur, et est habitus. ita Authores 2æ sententiæ.

Et probatur, quia potentia naturalis est entitative improportionata ad actum supernaturalem eliciendum, ex quo principio ad tractatum de Gratia, demonstratur necessitas gratiæ sanctificantis. & ad Tractatus de virtutibus tam moralibus quam Theologicis illarum necessitas suadetur. sicut et ad tractatum de visione necessitas luminis gloriæ persuadetur; Sed cognitio ad quam ordinatur scientia supernaturalis per se infusa est supernaturalis, cum sit circa obiectum supernaturale, videlicet excedens totum ordinem naturæ, et etiam si attingeretur obiectum entitative naturale est modo supernaturali, ut explicatum relinquimus, ergo intellectus animæ Christi indiget aliquo principio supernaturale, se tenente ex parte ipsius intellectus, ut elevetur, & proportionetur ad actum supernaturalem eliciendum. Atqui Sic Sed hoc principium est lumen quoddam habituale; ergo scientia supernaturalis per se infusa consistit essentialiter, & metaphysice in isto lumine, seu habitu elevante ipsum intellectum ad cognitionem scientificam supernaturalem eliciendam.

Dices. intellectum sufficienter proportionari per species supernaturales. Sed Contra. quia species non se tenent ex parte intellectus. Sed ex parte obiecti, illud manifestando potentiæ, & illud præsens potentiæ constituendo, quo pacto, communiter dicitur quod ab Obiecto, & potentia paritur notitia. Unde species intelligibilis est Vicaria obiecti, quia cum obiectum & sit absens, & a ligato materiale se ipso non potest intellectum fæcundare; ergo necessario debet assignari ex parte intellectus aliquod principium, perquod concursus quem intellectus præstat in intellectionem elevetur, & proportionetur ad ipsam intellectionem pariendam, & producendam, quando intellectio entitative excedit perfectionem & virtutem intellectus, effectus enim non potest excedere in sua perfectione perfectionem causæ, ergo si intellectio est supernaturalis, ex parte intellectus debet assignari aliquod principium supernaturale, per quod intellectus proportionetur cum intellectione supernaturali.

Vlterius. quia tantum abest. quod intellectus proportionari possit ad intellectionem eliciendam per speciem, vel species intelligibiles, quin potius ad ipsas species intelligibiles percipiendas, & recipiendas, requiritur ex parte intellectus aliquod principium, unde si species est entitative Supernaturalis, debet ex parte intellectus aliquod principium Supernaturale assignari. per quod proportionetur intellectus ad species ipsas capiendas, & recipiendas. & si est species est naturalis. verum deinde est scientifice, requiritur habitus, qui ut principium detenens ex parte intellectus illum facilitet. & disponat ad ipsas species scientificas recipiendas. ut postea informatus per ipsas possit intellectus in actus scientificum prorumpere. quo pacto, probatur. necessitas habituum scientificorum. v.g. logicę, vel physicę, vel Metaphysicę, vel cuiusvis alterius scientię. ut demonstratur in posterioribus. & in Metaphisica. ex quo principio probatur necessitas logicę, etiam alias sciencias acquirendas, cum in omni actu scientifico cuiusvis scientię, reperiatur formalitas correspondens habitui Logicę.

Quo pacto ad tractatum de Visione, demonstratur necessitas habitus luminis glorię, quia etsi essentia divina, quę utique est species. intelligibilis, quę unice potest representare Deum ut quidditative, & intuitive videndum, sit presens cuicumque intellectui creato. etiam viatori, imo, & etiam illorum qui sunt in inferno. Cum Deus sit ubique, per essentiam, presentiam. & potentiam, tamen, nullus intellectus viatorum. nec damnatorum potest percipere, nec ~~intelligere~~ uti essentia divina ut specie representativa Dei. etiam si essentia divina sit species ubique presens, & ubique quatenus est ex se proportionata, quia tales intellectus non habent habitum Luminis glorię quo eleventur, & proportionentur. ad ipsam essentiam divinam per modum speciei intelligibilis percipiendam, ergo est, quia cum species tenens ex parte obiecti, non potest intellectus proportionari ad intellectionem eliciendam per ipsam speciem intelligibilem, ergo debet proportionari per aliquod aliud principium, hoc ergo principium elevans. & proportionans intellectum, est Lumen, seu habitus. quod lumen in scientia beata, dicitur et est lumen glorię & in scientia Supernaturali infusa, est quidam habitus Supernaturalis per se infusus & in aliis scientiis, est etiam alius habitus scientificus

Replicabis. Ad habitum Supernaturalem (quem nos ponimus, & in quo dicimus quod consistit essentia & quidditas huius scientię Supernaturalis infusę) recipiendum, non indiget intellectus aliquo alio habitu. vel principio Supernaturali, alias, ad illud aliud recipiendum indigeret alio Supernaturali princio, & ad illud alio, & sic in infinitum, ergo similiter ut intellectus recipias species Supernaturales, de ipso absque habitu, est proportionatus.

Respondes. concedo antecedenti, & nego consequentiam. & ratio est quia cum ut supra dicebamus species se teneant ex parte obiecti, non possunt intellectum proportionare ad ipsas recipiendas, habitus autem cum se teneat ex parte potentiae, & sit ratio proportionandi potentiam ad species recipiendas, & ad actum eliciendum, est pro inde ratio formalis proportionandi intellectum ad ipsum habitum recipiendum, quia quod est ratio aliorum est ratio sui.

Et instatur in lumine gloriae, quod intellectum proportionat ad essentiam divinam et speciem intelligibilem percipiendam, ergo similiter in isto habitu scientiae supernaturalis infusae. & similiter instatur in alijs habitibus supernaturalibus v.g. in virtutibus tum moralibus, tum theologicis. unde ad habitus quoscumque recipiendos sufficit capacitas obedientialis potentiae ostendi illis habitibus.

Articulus X.

Vtrum ista scientia supernaturalis infusa sit habitus unius athomae speciei?

§. Vnicus.

Conclusio est affirmativa. & ratio est. quia scientia omnis, specificatur ab obiecto non in esse entis, & physice considerato, sed formaliter & in esse obiecti, quatenus videlicet cadit sub ratione formali sub qua, sed licet ista scientia, tot, & tanta obiecta materialia attingat, tamen omnia illa attingit sub una indivisibili ratione formali sub qua, nimirum sub ratione supernaturali. ergo est unius athomae speciei.

Articulus. XI.

Vtrum Christus Dominus habuerit istam scientiam a primo conceptionis instanti?

§. Vnicus.

Conclusio est affirmativa, & probatur eisdem rationibus quibus supra probatum relinquimus habuisse scientiam beatam a primo conceptionis instanti.

Articulus. XII.

Vtrum scientia supernaturalis infusa sit discursiva?

§. Vnicus.

Conclusio est, quod licet in acquisitione discursiva non sit, cum fuerit in instanti infusa, & cum species huic scientiae deservientes non sint acceptae ab obiectis, sed omnes in instanti divinitus infusae, & Christus fuerit simul Viator, & Comprehensor, poterat proinde uti hac scientia cum discursu, vel sine illo, anima enim Christi etsi fuisset corpori unita, tamen non erat essentialiter corpori subdita.

Articulus XIII

Vtrum Christus Dominus potuisset uti speciebus deservientibus huic scientiæ supernaturali infusæ per conversionem ad phantasmata?

§ Vnicus.

Conclusio est affirmativa, unde dicimus quod licet species fuissent Christo Domino infusæ sine dependentia a phantasmatibus, tamen cum essent proportionatæ intellectui humano, poterat illis uti convertendo illas ad phantasmata, et pro inde elicere aliquam cognitionem cum dependentia a phantasmatibus, dependentia utique libera Christo. Sic D. Th. in hac 3. p. q. 9. ar. 2. ad 3. et est nostra conclusio communis inter Thomistas. Contra Vazquez in præsenti disp. 52. cap. 2. quem aliqui ex sua familia sequuntur.

DISPUTATIO DECIMAQUARTA DE SCIENTIA NATURALI PER SE ACQUISIBILI ANIMAE CHRISTI.

ad Q. 12. D. TH. AQ.

Articulus. 1.

Utrum præter scientiam beatam, & supernaturalem infusam, fuerit in intellectu animæ Christi scientia naturalis per se acquisibilis?

§. 1.

Praemittuntur aliqua.

Plures Authores confundunt scientiam naturalem infusam, cum scientia supernaturali per se infusa, vel cum scientia naturali per se acquisibili. ut ut cum claritate quam semper desidero procedamus, ideo præsentem articulum institui. in quo solum agemus de scientia naturali, infusa, sive per se, sive per accidens. quod postea in 2.a conclusione explicabimus. & postea agemus de scientia acquisita naturali. Pro cuius scitu supponendum diversas acceptiones scientiæ quas supra notavimus. nam aliquando sumitur scientia pro collectione specierum, aliquando pro actu, aliquando pro habitu. & hæc acceptio est prior, unde de illa disputamus. & si quoad species sit necessarium iudicium ferre.

Rursus supponendum est. quod anima Christi non erat corpori subiecta quoad intelligere, & si intelligere posset cum dependentia a corpore, & phantasmatibus. quæ suppositio patet ex eo quia cum Christus esset a primo conceptionis instanti, simul viator & comprehensor, qua parte comprehensor erat, necessario anima erat ei unita corpori, corpori non subiecta, sed potius independens, & dominans, & de corporibus beatis. dicitur ad tract. de Beatitudine unde solum erat subiecta corpori in eo quod conducebat ad munus Redemptoris explendum. quo pacto, & si quia Beata posset communicare corpori impassibilitatem, & immortalitatem, & immunitatem indigentiæ, tamen has proprietates non communicavit, sed corpus permansit passibile. mortale, & indigens, non vestimento, non victu, non somno, & alijs. at vero cum intelligere sit operatio spiritualis, erat compatibile cum munere Redemptoris. quod intellectus procederet, & sine dependentia a corpore, & aliquando cum eius dependentia. quibus stabilitis & prae oculis conservatis. sit conclusio.

§. II.
Statuitur conclusio.

Sit nostra conclusio. In intellectu animę Christi Domini, fuit scientia naturalis. per se infusa, quo ad species, illi deservientes; & per accidens infusa quo ad habitum. & totum hoc a primo conceptionis instanti =

Est expressa Angelici Doctoris. in opusculo. 2. c. 216. per hęc verba: * Nulla perfectio creaturis exhibita animę Christi, quę est creaturarum excellentissima, deneganda est, convenienter ergo qua Dei essentiam videt, & omnia in ipsa, triplex alia cognitio est ei attribuenda, Una quidem experimentalis, sicut alijs hominibus, in quantum aliqua per sensus cognovit, ut competit humanę naturę; alia vero divinitus infusa, ad cognoscenda omnia illa, ad quę naturalis cognitio hominis se extendit, vel extendere potest. * Et paucis interpositis hęc subiungit: * Sed quia Christus secundum humanam naturam, non solum fuit reparator naturę, sed etiam gratię propagator, affuit ei etiam tertia cognitio, qua plenissime cognovit quidquid ad mysteria gratię potest pertinere. * hęc Angelicus Magister, in quibus verbis. & stabilit in anima Christi, scientiam visionis, in primis verbis scilicet. in ultimis, scientiam per se infusam supernaturalem, & in intermedijs. & cognitionem per scientiam naturalem infusam, & cognitionem ut in alijs hominibus, videlicet per species acquisitas habitumque acquisitum.

Probatur ratione conclusio, deducta utique ex Angelico Doctore, quęstione præcedenti ar. 1. in corp. quia omnis potentia in anima Christi Domini fuit satiata, & perfecta, hoc enim decens erat animę unitę Verbo. sed in intellectu Christi Domini non solum fuit potentia obedientialis, & ad claram visionem, & ad mysteria gratię, in se ipsis cognoscenda, res que naturales modo supernaturali per se cognoscendas, quo pacto existentiam scientię beatę, & scientię supernaturalis per se infusę relinquimus probatas existere in Christo, sed etiam est intellectu animę Christi. potentia naturalis exigens species per se infusas ad cognoscendas omnes res naturales, quibus posset acquirere per suos actus habitum, & erat potentia naturalis ad habitum istum, & hoc totum a primo conceptionis instanti, ergo in intellectu Animę Christi fuit scientia naturalis, per se infusa quo ad species, & per accidens infusa quo ad habitum & hoc totum a primo conceptionis instanti. maior est manifesta, & minor etiam evidens. cum anima Christi eo quia in dependens a corpore. ut dictum est in notabilibus habeat eandem naturalem potentiam ac anima separata, cui debentur species infusę repræsentantes omnes res naturales sicut & Angelis, cum in statu separationis habeat modum Angelicum intelligendi, ut supponimus ex tract. de Anima separata, & Angelis & animabus separatis debentur species naturales infusę a suo Authore naturę, ut suis locis statuitur. & docetur. ergo vera est minor.

Rursus adest, quod iste habitus non sit per se infusus. quia ille habitus qui per se non requiritur ad substantiam, et entitatem actus, non est per se infusus, sed solum per accidens, et proinde acquisibilis medijs actibus naturalibus, et proprijs intellectus, sed habitus naturalis, non requiritur essentialiter ad entitatem actus naturalis eliciendam, ut patet, cum habitus non excedat in perfect. actus naturales, et cum solum habitus super naturales sint per se requisiti ad actus supernaturales, imo sint tota ratio agendi. ut late probatur ad tract. de Visione, et de Caritate. ergo est per se acquisibilis, et proinde fuit per accidens infusus, ne intellectus Christi absque facilitate eliceret actus primos. ergo iste habitus non est per se infusus.

§. III.

Solvuntur replicae.

Dices quod ad exhauriendam potentiam naturalem intellectus Christi, illamque perficiendam sufficiebat habitus scientiae supernaturalis et per se infusae. ergo ex ratione allata non probatur conclusio. ans. probatur. quia potentia naturalis potest perfici per formam supernaturalem. ergo. ad perficiendam, actuandamque potentiam naturalem intellectus Christi, sufficiens erat habitus supernaturalis. ans. probatur ut potentia naturalis in humanitate Christi in ordine ad suam propriam subsistentiam satietur, et perficiatur, sufficit personalitas divina Verbi. et similiter appetitus naturalis ad ~~[illegible]~~ naturalem beatitudinem satietur sufficit Visio Dei ut est inse. ergo. similiter, ut quaelibet alia potentia naturalis satietur, sufficit supernaturalis forma. ans. est notum, et consequentia a paritate tenet, et insuper ratione probatur. ideo naturalis potentia in humanitate ad propriam subsistentiam satiatur per Verbi subsistentiam, quia ista continet eminenter personalitatem propriam creatam, et facit quidquid faceret personalitas creata si adesset, et ideo appetitus naturalis ad beatitudinem satiatur per visionem, quia Visio ut potest formalis beatitudo supernaturalis, continet perfectionem beatitudinis formalis naturalis. sed quaelibet forma supernaturalis continet in suo genere perfectionem formae naturalis sibi inferioris. ergo. potentia quaelibet naturalis potest perfici per formam supernaturalem.

Respondeo negando antecedens, ad cuius probationem nego ans. et ad probationem concesso antecedenti; quoad utramque partem nego consequentiam. quae non tenet, ex eo quia personalitas Verbi taliter influit et perficit potentiam obedientialem, quam primo respicit, quod etiam replet, et perficit potentiam naturalem humanitatis ad personalitatem propriam, non ut cumque, reddendo illam incapacem personalitatis creatae, ut coniungibilis cum personalitate Verbi, et similiter Visio beata, seu beatitudo supernaturalis taliter satiat appetitum naturalem ad beatitudinem, quod reddit etiam incapacem appetitum ad beatitudinem, quae praecise naturalis, et non supernaturalis sit. at vero forma alia supernaturalis, praesertim scientia infusa supernaturalis, taliter satiat potentiam obedientialem ipsam respicit, intellectus Christi, quod relinquit naturalem potentiam capacem ad actus pure naturales eliciendos, eo quia obiectum naturale

est scibile supernaturaliter, hoc est modo excedenti naturam, et naturaliter etiam scibile est, hoc est modo exacto a natura. Et per hoc patet ad probationem rationis petitam. Respondetur distinguendo maiorem, ideo praecise nego maiorem, ideo et quia personalitas Verbi reddit secum incompossibilem aliam creatam personalitatem concedo. Eidem dico ad aliam paritatem, ideo praecise nego maiorem, ideo et quia Beatitudo supernaturalis reddit incompossibilem aliam beatitudinem quae solum naturalis, et non supernaturalis sit concedo maiorem, et minorem, et nego consequentiam.

Et per hoc patet esse praeoccupatum argumentum quo intenditur probare, non adesse locum ad scientiam naturalem per accidens infusam ex parte scibilis in conspectu scientiae supernaturalis, cum eadem obiecta quae sciunt per scientiam naturalem sint iam scita per scientiam supernaturalem. Hoc inquam argumentum iam non habet locum, cum visum sit, quomodo eadem obiecta habeant duplicem scibilitatem, videlicet, obiecta pure naturalia scibilia sunt modo naturali et iuxta regulas et capacitatem naturae, et supra exigentiam naturae, hanc secundam scibilitatem praestat scientia supernaturalis infusa. et illam primo relatam scientia naturalis per accidens infusa quoad habitum, et per se infusam quoad species. Secundo obiicies cognitio sei entis naturalis per species naturales per se infusas est imperfecta. ergo non est admittenda in Christo. ant. est certum, cum conveniat animabus separatis. Resp. distinguendo ant. est imperfecta relative ad cognitionem scientiae infusae, si li imperfecta sumatur pro eo ac minus perfecta concedo, absolute est imperfecta, subdistinguo, si imperfecta privative, hoc est carens perfectione sibi debita nego ant. est imperfectione negative concedo. et nego consequentiam. imperfectio enim negativa, separari nequit ab ente creato.

DISPVTATIO DECIMAQVINTA DE SCIENTIA PER SE ACQVISITA ANIMAE CHRISTI.

Articulus. 1.

Vtrum præter scientias enumeratas fuerit in intellectu animæ Christi scientia alia naturalis per se acquisita proprijs actibus, seu quæ experimentalis dicatur, et sit?

§. 1.

Statuitur conclusio affirmativa.

Fuisse in intellectu animę Christi scientiam naturalem et experimentalem tenent communiter Theologi cum Magistro in 3. dist. 14. et cum D. Th. quem sequuntur omnes eius discipuli, et est etiam communis cum Scoto et Durando ibidem, et tenent neutrales. fuerit vel ne, proprijs actibus acquisitam? vel an potius infusam per accidens in primo conceptionis instanti? est in opinione. D. Th. affirmante cum suis discipulis, fuisse acquisitam proprijs actibus, et decursu temporis, Scoto, et alijs ex neutralibus, ut Vazquez affirmantibus fuisse per accidens infusam.

Sit nostra conclusio cum Angelico Magistro, ut cum veritatis luminare. In intellectu animę Christi Domini fuit scientia naturalis proprijs actibus acquisita, tam quo ad habitum, quam quo ad species.

Probatur nostra conclusio ex illo Lucæ 2. Iesus autem proficiebat sapientia, et ætate. quę verba expendens D. Amb. lib. de Incarnationis Dominicę Sacramento sic ait: *quomodo proficiebat sapientia Dei doceat te ordo verborum, profectus sapientię, et profectus ætatis, sed humanę est, ut secundum hominem crederes dictum; ætas enim, non Divinitatis, sed Corporis est, ergo si proficiebat ætate hominis, proficiebat sapientia hominis.*

Idem docet Angelicus Doctor in hac q. 12. ar. 2. ad. 2. ubi ait *Tam scientia infusa animę Christi, quam scientia beata, fuit effectus agentis infinitę virtutis, qui potest simul totum operari, et ita in neutra scientia Christus profecit sed a principio eam perfectam habuit. Sed scientia acquisita causatur ab intellectu agente, qui non simul totum operatur, sed successive. Et ideo secundum hanc scientiam Christus non a principio scivit omnia, sed paulatim, et post aliquod tempus: scilicet in perfecta ætate, quod patet ex hoc quod Evangelista simul dicit eum profecisse sapientia, et ætate.* eodem modo explicat hunc textum Lucę D. Aug. li. 3. contra Maximum. cap. 23. et Beda relatus a Glosa super illud cap. 2. Lucę.

Ratione probatur conclusio, quia anima Rationalis est in potentia ad visionem beatam, per quam cognoscat modo divino, et quia est in potentia ad scientiam supernaturalem, et ad naturalem infusam, per quam per species

infusas per se, et intelligere potest modo Angelico, sine conversione ad fantasmata, vel modo humano per conversionem ad phantasmata, est in intellectu animae Christi scientia beata, et scientia supernaturalis, et scientia naturalis, nec imperfectus privative intellectus animae Christi, S. etiam est in potentia ad intelligendum per species acquisitas et fabricatas ex phantasmatibus ab intellectu agente, et pro inde est in potentia ad habitum acquisitum, ergo praeter scientias enumeratas ponenda est scientia naturalis omnino acquisita et quoad habitum, et quoad species. Nec valet dicere, quod si quaereret quo pro aliquo tempore careret ista scientia, et speciebus, ergo esset imperfectus intellectus animae Christi. Non urget hoc, quia ut alicuius formae carentia sit imperfectio privativa, debet pro tempore pro quo verificatur carentia, forma illa debita debet esse, quod non verificatur in nostro casu, cum solum scientia experimentalis sit debita ut successive acquisita.

Secundo probatur conclusio, anima non unitur corpori inutiliter, et unumquodque fit naturaliter propter operationem, ergo debet uniri anima corpori ut operetur, S. operatio propria animae intellectivae est intellectio, ergo unitur naturaliter ad consequendam intellectionem modo naturali, S. modus naturalis intelligendi est per species a phantasmatibus per intellectum agentem abstractas, ergo debuit habere praeter illas scientias, scientiam, cum dependentia a phantasmatibus. Confirmatur, intellectio habita per species acquisitas et a phantasmatibus abstractas perfectior est quam intellectio circa idem obiectum per speciem infusam, ut docet D. Th. 1. p. q. 89. ar. 1 in corp. et ratio est quia illa intellectio facta per speciem infusam est confusior, ut pote per speciem universaliorem, et haec clarior, ut pote per speciem propriolatore acquisitam quae doctrina modo debet supponi, S. Christus habuit de obiectis naturalibus cognitionem per species infusas, quae est imperfectior cognitio, ergo et debuit habere cognitionem clariorem per scientiam proprijs actibus acquisitam.

Denique probatur conclusio quia ex opposita sententia sequitur intellectum agentem esse otiosum in anima Christi, cum enim sit potentia a natura instituta ad abstrahendum species a phantasmatibus, si omnes species essent a Deo infusae saltim per accidens inutiliter esset intellectus agens, S. hoc non est dicendum, ergo dicendum est quod deservit ad abstrahendas exercite species

§. II.

Soluuntur argumenta.

Obijcies primo. scientia ista acquisita est eiusdem speciei cum scientia naturali per se acquisibili et per accidens infusa, quam disputatione praecedenti stabilivimus, et proinde una et altera solo numero distinguuntur ergo una vel altera est neganda in intellectu animae Christi, et cum illa prima infusa quoad species, et per accidens infusa quoad habitum sit necessario admittenda ne aliquando careat scientia et notitia obiectorum intellectus animae Christi, infertur. quod scientia omnino per se acquisita non habeat locum. cum duo ac

~~Respondeo~~ accidentia in sententia D. Th. nec de potentia absoluta possint esse
simul in eodem subiecto, & in aliorum Sent.ª saltim naturaliter locum non
habeant.

Respondeo negando antecedens, duae istae scientiae specie distinguuntur, cum
una sit per species per se infusas, & alia per species per se acquisitas.

Replicabis. unitas
formalis scientiarum non sumitur a causa efficiente specierum, sed ab obiecto, & cum
obiectum utriusque sit idem, infertur esse eiusdem speciei, causa enim effici
ens, non causat diversitatem specificam, ut patet in igne causato a sole, & cau
sato ab alio igne, utrque enim est eiusdem speciei, & Adamus creatus a solo
Deo, & nos geniti ab homine, eiusdem speciei sumus cum Adamo solo numero
ab illo diversi.

Respondeo quod causa efficiens per se ut talis potius ab effectu
influit diversitatem specificam, unde non est mirum, quod ignis genitus ab igne
vel a sole sit eiusdem speciei cum alio, nec nos simus eiusdem speciei cum
Adamo, quia diversitas causarum efficientium non exigitur ab istis effectibus
at vero in casu, obiectum idem naturale, per se petit intelligi ~~duo~~ per spe
cies infusas, sub una scibilitate, & sub alia per se petit intelligi per species
acquisitas, & proinde obiectum, aeque ut recte supponit argumentum, est, quod
specificat, verum semper est sumendum obiectum formalissime ut obiectum, &
in casu obiectum unius scientiae, & formalissime diversum ab obiecto alterius
scientiae. cum ab una scientia inspiciatur ut scibile per species infusas, & ab alia ut sci-
bile per species acquisitas.

Obiicies secundo cum Vazquez, si haec scientia expe
rimentalis non infusa per accidens, videtur incredibile, quod Christus illam
naturaliter posset acquirere, cum videatur incredibile potuisse habere species om
nium obiectorum naturalium.

Futile argumentum, si enim ipsi videtur incredibi
le, mihi facile apparet, tum propter id quod dicit D. Th. nempe quod scientia expe
rimentalis non exigit necess.º quod sit per visionem cuiuslibet obiecti materialis
sed ex uno cognito arguitur aliud, & formatur species de illo.
Tum quia scientia experi
mentalis non est impossibilis naturaliter, circa omnes res naturales, ergo possibilis:
si possibilis, ergo & Christo concedenda, cum eius natura esset activissima
& perfectissima, & ipse deservirent Angeli; unde non potuit efficere in Christo
modus ut videret omnes res, vel in se ipsis, vel in speciebus naturaliter mul
tiplicatis: videmus enim quod natura habet modum ad mirabiles effectus patran
dos, ita ut miracula appareant, & cognitis naturis rerum, sunt quid naturale
quanto potius in Christo sapientissimo, & potente uti ministerio naturali cuiuslibet
creaturae.

§. III.

Corollaria ex dictis

Inferes istas scientias naturales, tum infusas quoad species, quae, et quoad actum per accidens, tum scientiam experimentalem non fuisse unam, in specie atthoma, sed sub qualibet contineri plures species scientiarum, omnium scilicet quarum capax est intellectus humanus. unde et habuit Logicam, philosophiam Methaphisicas. Mathematicas scilicet, arismeticam, geometriam, geographiam astrologiam, et alias, quocumque nomine vero dicantur,

2.º Inferes habuisse scientiam speculativam circa modum construendi quodcumque artefactum

Tertio inferes, in intellectu practico Christi Domini, fuisse prudentiam supernaturalem, et naturalem infusam, et naturalem acquisitam.

Et denique inferes in eius intellectu sive speculativo sive practico fuisse omnem perfectionem cuius est capax natura humana, hoc enim decebat tantam et tam mirabilem animam, unitam in humanitate personalitati Verbi. Sicut in materia de Gratia Christi, idem affirmatur de eius voluntate habuisse videlicet omnes virtutes morales, supernaturales, et per se infusas, et naturales virtutes morales et per accidens infusas, et acquisitas per suos actus. et ex virtutibus theologicis habuit solam charitatem, cum fides et spes locum non habuissent ratione scientiae beatae.

Et haec dicta sufficiant pro isto tractatu. in quo quidquid dictum est in laudem, et gloriam ipsius Verbi incarnati cedant, et Beatissimae Virginis Mariae eiusdem Verbi incarnati matris. Nec non et in laudem Angelici praeceptoris D. Thomae Aquinatis. et omnium caelicolarum.

Et omnia

Correctioni Sanctae Romanae Ecclesiae subiicio.

* *

* * Finis * *

* * * * * * * * * * * * * * * *

TRACTATUS QUARTUS.

DE

POTENTIA ANIMAE CHRISTI.

ad q. 13.

D. Th.

Proœmium ....

Angelicus Magister egerat iam a q. 7. usque ad 12. de perfectionibus Christi, quę magis sunt tales in ordine ad ipsas habentem, videlicet, egerat iam de Gratia, et virtutibus, et Scientia. de Gratia enim et de virtutibus propriis tibus eiusdem, q. 7. et 8. ubi tam de Gratia substantiali, quam accidentali, animam Christi omnimodo possibili Sanctam constituentibus, et de virtutibus, suam Sanctissimam Voluntatem ornantibus, egerat. Et deinde scientiam intellectum Christi perficientem exposuit, a q. videlicet. 9 usque ad 12, quę perfectiones ideo magis proprie dicuntur tales in ordine ad ipsas habentes, quia exercite, et in actu operationibus immanentibus, exercentur, et explicantur. licet alias ex abundantia suę Charitatis omnia in Redemptionem humanę naturę ordinasset: fuit enim factus homo, propter nos homines, et propter nostram salutem.

Rectam ergo methodum prosequendo Angelicus Doctor iam iam in hac quęst. 13. ad perfectionem Christi explicandam. quę etsi propria sit et intrinseca Christo. tamen ordinatur ad alios perficiendos, transitum fecit. unde hanc quęstionem instituit de Potentia: activa, et effectiva utique, quę quia alijs proficit, et in hominibus producit effectus, magis proprie per operationes transeuntes explicatur, ut sic operationibus immanentibus discussis, immediate operationes Christi transeuntes explicaret.

Totus ergo est. Angelicus Magister in hac quęstione, in explicando quomodo Christo conveniat potentia activa erga miraculorum patrationem, quod et nos in hoc tractatu, et si breviter, explicare conabimur, Semitas Angeli Magistri (in quantum potuerimus pro tenuitatem meam) ad unguem insequentes. Utinam feliciter.

DISPVTATIO DECIMASEXTA
DE CAVSALITE CHRISTI IN EFFECTVS MIRACULOSOS.

Articulus. I.

Vtrum Humanitas Christi, seu Christus, vt homo, concurrat, vt causa principalis moralis, ad productionem gratiæ, & miraculorum, aliorumque effectuum supernaturalium?

§. 1.

Stabiliuntur certa.

Primo et omnino certum supponendum est quod humanitas Christi Domini non solum ex se omnipotentiam non habuit, sed neque ex vi unionis ad Verbum omnipotentem simpliciter non fuisse constitutam ut docet D. Th. in hac q. ar. 1. et prima pars dubitari nequit, quippe proprietas naturæ divinæ nunquam potest connaturaliter esse proprietatem naturæ creatæ. imo universim proprietas, quæ talis est unius naturæ, alteri convenire nequit, quo pacto proprietas quarto modo tale, uti est omnis proprietas, definitur quod conveniat omni, soli, et semper. Secunda autem pars etiam est omnino certa, imo Vazquez esse docet de Fide. Suarez disp. 31 sect. 1 docet sequi evidenter ex principiis Fidei et facile suadetur quia esse simpliciter omnipotentem convenit soli Deo, sed humanitas etiam ex vi unionis ad Verbum non est constituta Deus, etsi sit Deo unita, ergo. maior patet tum quia de ratione omnipotentis simpliciter est independentia et ab alio agente, et a subiecto, sed humanitas et dependet ab alio agente, et a subiecto, sed humanitas et dependet a subiecto, quo pacto neque instrumentum Creationis potest esse, cum instrumentum egeat subiecto, in quo sit sua actio, et circa quod versetur. unde cum independentia ab alio agente, et a subiecto soli Deo conveniat, solus Deus est Omnipotens, et humanitas talem denominationem subire nequit. — tum quia terminus omnipotentiæ est omne quod non implicat contradictionem. sed terminus debet contineri in causa saltim eminenter, ergo cum humanitas etiam ex vi unionis, omne factibile, non contineat, imo nullum, ut ex habitu, sequitur quod humanitas etiam ex vi unionis non sit simpliciter omnipotens.

Dices quod humanitas ex vi unionis constituta

est Sancta infinite et substantialiter, ergo et omnipotens. Respondeo, negando consequentiam, et reddendo disparitatem, quae consistit in eo quod est capax Sanctificationis infinitae [illegible] et capax non est denominationis simpliciter Omnipotentis. ratio autem cur sit capax unius denominationis et quasi effectus formalis infinitae Sanctitatis, et non alterius et quasi effectus formalis omnipotentiae est, quia Sanctitas est de linea morali, Omnipotentia de linea phisica, et in linea moris non implicat infinitas, secus autem in linea phisica, cum infinitas moralis, revera, secum compatiatur inferioritatem. unde est infinite Sancta, at non ita Sancta sicut Deus, quia Deus est per essentiam Sanctus, humanitas per participationem. unde datur distantia infinita, inter sanctitatem Dei, et Sanctitatem humanitatis = infinitas autem quam secum portat hoc quod est esse Omnipotens, secum non compatitur inferioritatem, quia quaelibet deficientia, destruit praedicatum Omnipotentis. et comprobatur in alijs praedicatis de linea physica quae omnia humanitati repugnant, unde non est infinita, sed entitas creata, non est infinite actualis, sed potentialitati admixta, non est aeterna, sed tempore facta, non est immensa, sed loco determinato circumscripta. et sic de alijs.

Secundo et omnino certum stabilitum et Fide Sanctum est humanitatem, seu Christum ut hominem vera miracula, et opera mirabilia, et supernaturalia sive supra leges naturae patrasse, ut lege dicitur in Evangelio. et Sanando infirmos, caecis visum communicando, surdis auditum, mutis loquellam, mortuos resuscitando. daemones e corporibus hominum eiiciendo, et alia quamplurima. unde ut haeretici damnantur Judaei, et Ethnici, attribuentes opera miranda a Christo facta, ad Magicam superstitionem, et etiam ut haeretici damnantur alij attribuentes ista opera miranda patrata a Christo, ad temperamentum Christi adgenitus. firma ergo fide tenendum est Christus ut hominem vera miracula fecisse. quidquid latrantes ut canes, haeretici dicant.

Quod ergo in controversiam vocamus est causalitatem Christi in ista miracula. an fuisset, solum causalitas moralis, vel an etiam physica, in praesenti articulo, solum causalitatem moralem explicabimus. in sequenti vero agemus de causalitate physica. inquirimus ergo an moralis causalitas, quae negari nequit humanitati Christi, seu Christo ut homini, fuisset causalitas solum instrumentalis, vel an potius principalis, seu an Christus ut homo, sit causa principalis moralis, vel an solum sit causa instrumentalis erga miracula.

Sed ante quam nostram conclusionem cum communi Theologorum stabiliamus. habenda maxime prae oculis est, pro praesentis articuli, et sequentis decisione, distinctio causae, in principalem et instrumentalem, quae distinctio in Metaphisica, et 2 physicorum traditur et docetur Causa enim principalis, est, quae in sua virtute continet effectum, unde non operatur cum dependentia ab alia causa, in eodem genere, nec operatur virtute alterius. econtra autem causa instrumentalis non operatur virtute propria, sed virtute communicata, et derivata in ipsam a principali agenti. et denique supponendum est, causam moralem contra distingui a phisica, in eo quod ista, continet effectum, secus illa, unde solum concurrit meritorie, et impetrative, et hoc dupliciter, vel merito de congruo, vel de condigno de quo iam alibi dictum est.

§. II

Statuitur conclusio

Sit nostra conclusio: Humanitas Christi, seu Christus ut homo, ut causa principalis moralis, prestitit influxum in miracula ab ipso patrata, in gratiam sanctificantem quam iustis communicabat, & in alia dona supernaturalia, & hunc influxum in gratiam, & dona supernaturalia, hominibus communicata, prestitit non solum post eius adventum, sed etiam antea, videlicet erga antiquos Patres.=

Hæc conclusio, quo ad partem quæ asserit, quod Christus etiam ut futurus, prestitit concursum causæ principalis moralis in gratiam, & dona supernaturalia, antiquis Sanctis Patribus communicata, iam manet stabilita ex dictis ad tract. de Gratia, ubi stabilitum relinquimus fuisse Caput illorum, & caput per verum influxum in membra, influxum utique moralem, nam causa ut futura physice influere, & causare non potest, at vero cum causa moralis possit causare ut est in intentione promovendis per illam, sufficit quod talis causa futura sit infallibilis, & ut talis credatur & cognoscatur ut moralem influxum prestare possit.

Prima ergo pars conclusionis probatur, quia omne donum gratiæ, vel quocumque modo gratiæ concessum hominibus a Deo, est ex meritis Christi, sed effectus miraculosi, sunt dona gratis hominibus concessis Deo Authore ergo sunt effectus causati per Christum, seu per suum influxum & causalitatem ex meritis Christi,

Dices rationem istam & si convincat causam meritoriam seu [illegible] miraculorum fuisse Christum, non tamen probat esse causam meritoriam seu moralem, principaliter, ergo poterit dici tantum prestitisse concursum instrumentalem.

Sed facile respondetur, quod causa prima in aliquo genere causa instrumentalis non potest esse, & cum in linea merendi, Christus sit causa prima ut homo, quando quidem ut Deus mereri nequit cum Deo requeat mereri, etenim merens est inferior relate ad præmiantem, apud quem meretur, sequitur quod Christus in linea merendi sit causa moralis principalis.

§. III

difficile argumentum solvitur.

Obicies, quia implicat quod eadem causa respectu eiusdem effectus prestet influxum effectivum physicum, & reale, & simul influxum meritorium, seu morale. Sed Christus in sententia Thomistarum, & quam nos articulo sequenti stabiliemus prestitit influxum phisicum effectivum vere, & realiter, ergo non potest esse simul causa moralis principalis. consequentia infertur, minor pro nunc supponitur. Maior multipliciter suadetur, primo ex D. Th. 1. p. q. 62. ar. 4. ubi dicit.* in ordine ad finem dupliciter actio consideratur, alia quæ est factiva finis, alia vero, quæ est meritoria finis, quando scilicet finis excedit facultatem operantis propter finem.* ergo alia est actio effectiva, & phisica alia meritoria, ergo & causa effectiva alia est a meritoria.

Secundo, quia causa effectiva

& phisica continet effectum, meritoria autem non, sed supponit effectum contineri in virtute illius apud quem meretur. — tertio, quia moralis est tantum metaphorice talis; phisica autem causa, est vera, & realis, ergo incompossibile in eadem causa quod sit phisica, & quod sit meritoria.

Respondeo quod D. Th. in 3. p. q. 48 ar. 6 sibi obiecit hoc argum. tertio loco, per hęc verba: * Non videtur, eiusdem esse operari per modum meriti, & per modum efficientię, quia ille, qui meretur, expectat effectum ab alio; sed passio Christi operata est nostram salutem per modum meriti; non ergo per modum efficientię * cui argumento respondet * Ad tertium dicendum, quod passio Christi secundum quod comparatur ad Divinitatem eius agit per modum efficientię; inquantum vero comparatur ad Voluntatem animę Christi agit per modum meriti. *

Ex qua doctrina patet solutio ad argumentum factum. Respondeo ergo distinguendo maiorem, eadem causa respectu eiusdem effectus, non potest pręstare & concursum effectivum physicum, & meritorium, seu morale, per eamdem actionem, & sub eadem formalit. concedo mai. per diversas actiones, & secundum diversam formalitatem nego maiorem, & minorem, & distinguo consequens eodem modo. Dicimus ergo quod actiones patrativę miraculorum, quę exercebantur, ut quo ab humanitate & ut quod a Christo ut homine, & possunt considerari, ut habent originem a Christo homine, & a sua Voluntate, & hoc modo solum sunt impetrativę, & meritorię, & possunt considerari, ut sunt valoratę moraliter a Divinitate, ipsis operationibus physice mediatę unitę, & hoc modo pręstant concursum physicum, ut explicabimus ar. seq. quia ut sic pręcontinent effectum, licet non ut causa phsica principalis, tamen ut causa instrumentalis Divinitatis, quę est causa principalis miraculorum, mediante Divinitate ut instrum. cui communicat virtutem quandam fluidam, supernaturalem, ab ipsa Divinit. derivatam. ut est virtus illa quę sacram.tis communicatur. ut dicemus ar. seq. & late dicto ad Tract. de sacram.tis in genere — & per hoc patet solutio ad probationes in contrarium.

Articulus. II.

Utrum Humanitas Christi, seu Christus ut homo praeter concursum causae principalis moralis, concurrat etiam physice efficienter instrumentaliter ad productionem gratiae, & donorum supernaturalium, & ad patrationem miraculorum?

§. I.

Praenotantur certa, & referuntur sententiae.

Communis Theologorum sententia cum Angelico Magistro in hac q. 13. ar. 2. & infra q. 43. ar. 2. Christum dominum non fuisse causam physicam efficientem principalem, alicuius effectus miraculosi, neque per virtutem propriam, neque per virtutem gratiae ipsi communicatam, sed solus Deus est causa principalis miraculorum effectiva. Et ratio suadet, quia de ratione miraculi est quod sit supra ordinem totius naturae creatae, vel creabilis. ergo solus Deus potest esse principalis causa miraculorum effectiva. ans. est diffinitio miraculi, quod enim fieri potest virtute propria vel appropriata naturae creatae, non est supra ordinem totius naturae. Nec valet dicere quod quilibet actus supernaturalis v.g. actus Caritatis, vel fidei, vel Visionis Dei, est supra ordinem totius naturae, & tamen miraculum non est, quippe omnes fatentur, non esse idem aliquod opus esse supernaturale ac esse miraculum. & tamen actus supernaturalis habet causam physicam efficientem creatam, quandoquidem fiunt a Voluntate, vel intellectu creato, ut patet, ergo esto miraculum sit supra ordinem totius naturae creatae, non convincitur non posse fieri a Christo ut a causa physica principali & efficiente. Non valet inquam hoc. quia actus supernaturalis. esto sit supra vires proprias totius naturae substantialis creatae, vel creabilis, quo pacto communis Thomistarum sententia docet. 1. p. ad q. 12. repugnare substantiam supernaturalem creatam cui sit connaturalis visio beatifica, vel lumen gloriae, vel actus Charitatis, vel alterius virtutis supernaturalis, tamen actus supernaturalis non est supra ordinem totius naturae accidentalis creatae, cum sit iuxta exigentiam, & connaturalitatem gratiae, & virtutum supernaturalium, seu entitatem creatam at vero miraculum, excedit universaliter, omnem naturam seu entitatem creatam, vel creabilem, unde et est supra ordinem non solum substantiae creatae, vel creabilis sed etiam, supra ordinem cuiuslibet virtutis accidentalis creatae, vel creabilis unde cum operationes Christi Domini, & virtutes quibus elevantur, potentiae, videlicet eius intellectus, & eius Voluntas ad operandum supernaturaliter sint quid creatum, inde est quod nullo modo potest esse causa ~~supernaturalis~~ principalis effectiva miraculorum. unde hoc ut certo supposito, difficultas devolvitur, ad examinandum, an instrumentaliter physice concurrat ad miraculorum patrationem.

Rursus notandum est quod quid dixerimus de influxu phisico morti ni ad patranda miracula, idem discurrendum venit de concursu, quem prestat humanitas Christi, seu Christus ut homo, in ordine ad productionem gratie, et aliorum effectuum seu donorum supernaturalium in hominibus.

Suponendum etiam ut certum est, quod Christus ut homo, non potuit prestare aliquem concursum physicum etiam instrumentalem erga miraculorum patrationem, que antecesit adventum Christi, etiam si facta fuissent illa miracula in fide Christi venturi, quee suppositio ex eo patet, quia Causa phisica ad prestandum aliquem concursum phisicum etiam instrumentalem requirit existentiam. prius enim est esse quam operari, unde venit commune axioma, quod operari sequitur ad esse, unde cum Christus ante adventum existens non esset sed futurus, constat non potuisse prestare concursum phisicum etiam instrumentalem erga miracula.

Nec valet dicere, quod causa preterita effectivum et fisicum concursum prestare potest producendo effectus. ut patet in passione Christi iam preterita, que vel in cuius virtute producitur gratia et communicantur supernaturalia dona et beneficia. et ut patet in Sacramentis, que causant gratiam quando iam non sunt, cum causent gratiam mediante forma, et forma, cum consistat in Verbis, que transeuntia sunt, quando producitur gratia. media absolutione sacerdotis v.g. est in ultimo instanti terminativo Verborum, quando videlicet verba sunt prolata, et consequenter suam perfectam significationem, in quo ultimo instanti non verificatur quod sunt verba, sed fuerunt, Nunc sic formatur argumentum. Non minus verificatur de Causa preterita quod non est, quam de futura, et tamen causa preterita potest phisice influere in effectus. Ergo et futura, ergo Christus etiam ante adventum quando non erat existens, sed futurus, poterat phisice causare saltim instrumentaliter gratiam, et miraculorum patrationem.

Non inquam hoc valet nec vim aliquam posse fert argumentum, cum sit magna disparitas inter causam preteritam, et causam futuram. Causa enim preterita, et si in se non existat, tamen existit vel potest existere in sua virtute, ut patet in eadem passione Christi, que et si in se iam sit preterita, sua virtus manet in humanitate Christi, et in cicatricibus manuum, et pedum, et lateris. Similiter verba in quibus forma Sacramentorum constat, quando causant gratiam, que ut optime supponit argumentum est in ultimo instanti existunt virtualiter in illo instanti quod sufficit, ut dicatur quod ut existentia causant gratiam. quod parificatur exemplo, globi perfecte spherici, existentis super corpus perfecte planum, globus ille attingit planum illud solum in puncto, et tamen vere dicitur quod phisice totus globus attingit planum, quia illud attingit mediа virtute sua, videlicet medio puncto, ubi est totum pondus ut in virtute contentum. = Causa autem futura, cum nec sit nec fuisset, non potest habere virtutem, nec illam habuisse, ut dicatur quod operatur quatenus virtualiter eius existentia perseverat in illa virtute.

difficultas ergo devolvitur ad Christum quando existebat, quomodo videlicet causabat miracula, an solum praestaret concursum moralem, vel an etiam physicum instrumentalem. Et similiter quomodo concurrat modo eius passio ad miracula quae in virtute illius fiunt a sanctis.

Tres sunt circa praesentem difficultatem sententiae. Prima docet quod Christus, numquam fuit nec potest esse causa physica instrumentalis alicuius effectus miraculosi, unde ista sententia solum attribuit Christo ut homini causalitatem moralem, in miracula, et in gratiam, et in alia dona supernaturalia, quae a Deo hominibus communicantur. imo docet causalitatem ~~[illegible]~~ moralem quam erga miracula exercuit, fuisse instrumentalem. ita Scotus in 4. dist. 1. q. 1. 4. et 5. — Durandus in 3. dist. 19. q. 5. Alexander Alensis. 3. p. q. 13. Altisiodorensis. 3. p. tract. 1. cap. 9. q. 1. D. Bonavent. in 3. dist. 13. ar. 2. q. 2. et Communiter Scotistae. et Jesuitae cum Vazquez in hac. q. 13 D. Th. disp. 97. cap. 5. et ex Thomistis Soto. 2. parte de instructione sacerdotis. Cano in relectione de Sacramentis.

Secunda sententia est communis in Schola Angelica et docet quod humanitas Christi praeter concursum quem ut causa moralis principalis in miracula, ab ipso facta, et in gratiam, et dona supernaturalia a Deo hominibus communicata, habuit etiam concursum physicum instrumentalem. est expressa Angelici Magistri in praesenti. q. 13. ar. 2. et in hac 3. p. q. 19 ar. 1. ad 2 q. 43. ar. 1. et 2. q. 48. ar. 6. q. 52 ar. 1. q. 56 ar. 8. q. 62. ar. 1. et 2. et in 3. dist. 19. q. unic. et alibi pluries. hanc eamdem sententiam tenet Capreolus. in 3. dist. 19. Caietanus. in hac. q. 13. ar. 2. et omnes Thomistae, paucis exceptis. — tenent etiam ex Societate. Suarez in praesenti. disp. 31. sect. 3. Valentia. Albertinus. Puente hurtado. et alii.

Tertia sententia distinguit tempora, et dicit. quod Christus ut homo, dum in terris erat, concursum physicum instrumentalem praestitit in effectus miraculosos ab ipso factos, et circa gratiam quam ipse dedit illis, quos immediate iustificavit, ut fuit Magdalena, Matthaeus et alii; at vero docet ista sententia, quod Christus modo in caelis gloriosus existens, non currit physice instrumentaliter in effectus supernaturales qui fiunt in Ecclesia militante. ita Andreas de la Vega. lib. 7 de iustificatione. cap. 14. et credo quod sit solus et singularis in hac sententia. =

§. II.

Statuitur secunda relata sententia pro conclusione.

Sit nostra Conclusio: Humanitas Christi, seu Christus ut homo, praeter concursum quem ut causa principalis moralis praestat in effectus miraculosos, et in quemlibet effectum supernaturalem, etiam praestat [posterioribus?] concursum physicum instrumentalem, erga eosdem effectus. et hoc, sive consideretur humanitas Christi ~~[illegible]~~ quando erat in hac vita mortali, sive ut modo est in Caelis.

Probant Thomistę hanc nostram conclusionem ex illo Ioann. 20. ubi dicitur quod cum Christus apparuisset Apostolis. & dixisset. Pax vobis. &c. Hęc cum dixisset insufflavit. & dixit: Accipite Spiritum Sanctum. quorum remiseritis pecca ta. &c. quę insufflatio, utique causativa gratię, non significat causalitatem moralem, & meritoriam, sed phisicam & instrumentalem causalitatem gratię. ut denotat illud Verbum. accipite, in imperativo. postquam quod insufflatio aliquid fecit, & in aliquo genere causę. quę nulla alia potest esse nisi instrumentalis phisica. Secundo probant ex illo Ioann. 11. quando Lazarum resuscitavit. dicit Sacer textus: quod gratias egit Patri. & postea hęc cum dixisset: voce magna clamavit: Lazare veni foras. = Similiter quando suscitavit filium illius mulieris viduę civitatis Naim. dicit Sacer textus Lucę cap. 7. quod Iesus, accessit, & tetigit loculum, & ait. Adolescens, tibi dico, Surge: &c. in quibus locis expresse denotatur quod hęc verba imperativa Christi Domini, habebant virtutem aliquam phisicam, & proinde instrumentalem, ad hos effectus miraculosos patrandos. iuxta prophetiam contentam in Psalmo. 67. Dabit voci suę vocem virtutis. Sicut etiam quando restituit cęco visum. dicendo. quando cęcus clamabat. Iesu fili David miserere mei. dixit Iesus. quid tibi vis faciam? at ille dixit: Domine, ut videam, & Iesus dixit illi: Respice, fides tua te salvum fecit &que omnia non causalitatem moralem, sed phisicam denotant, sicut et multa alia quę leguntur in Sacris litteris, quando Iesus, vel tangendo suis manibus. vel imperando, salutem. visum. auditum. loquelam, & quamplura alia miracula patrabat. Tertio probant Thomistę hanc conclusionem. ex illis Verbis Lucę c. 6. Virtus de illo exibat. & sanabat omnes. & cap. 8. * Novi virtutem de me exisse * quę verba plus quam moralem causalitatem moralem significant. etenim meritum. seu oratio, non dicitur proprie exire a merente, & solum potest dici exire, improprie, quatenus effectus causatus a Deo propter meritum, sunt extra merentem, ut ab illo facti moraliter. Respondet Vazquez in precitata disp. 51. cap. 6. quod illud nomen Virtus. in Sacra pagina ut plurimum non significat qualitatem aliquam. per quam constituatur causa operativa, sed potius significatur effectus productus a causa. scilicet miraculum, vel gratia. ut patet ex illo Math. 11. & Lucę 10. ubi dicitur Vę tibi Corozain. Vę tibi Bethsaida, quia si in Tiro, & Sydone factę sunt virtutes, quę factę sunt in te. &c. idest. facta fuissent miracula quę facta sunt in te. = & similiter in Actib. Apostolorum. cap. 19 dicitur: Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manus Pauli idest. effectus miraculosos non quoslibet faciebat Deus per manus Pauli. ergo similiter in locis a Thomistis allegatis, vox Virtus non significat qualitatem aliquam supernaturalem constituentem humanitatem Christi in ratione causę instrumentalis phisicę, sed potius per vox Virtus significantur miracula a Christo facta. Sed contra quia & si concedamus Vazquezio totum suum intentum, tamen verba illa non possunt non significare causalitatem physicam.

assumptum probo. quia illud alius Verbum exibat, seu exisse, denotat, quod virtus; seu effectus miraculosus, ut exponit Vazquez, exibat, et pro inde oriebatur ab humanitate Christi ut in illa praecontentus, ergo fisice, oriebatur. etenim à causa morali non oritur seu exit effectus, exitu et ortu proprio, sed valde improprio, et metaphorico, atque verba sacrae paginae proprissime debent accipi. quando alias nulla sequitur implicatio, vel inconveniens, ergo etc. concedat mihi Vazquezio suum intentum. adhuc non probat suum assumptum, ex quo tamen infertur nostra Conclusio.

Confirmatur. quia etsi etiam concedamus, quod effectus proprie exit, et oritur a Causa morali; tamen negare nequit, quod ly exitus, seu ortus magis proprie verificatur de exitu per quem effectus oritur et exit à causa efficiente. sed verba sacrae paginae debent sumi in magis proprio sensu ex illis qui possunt verificari, ergo. intentum Patris Vazquez non convincit assumptum. Ulterius quia ly virtus in locis a nobis citatis magis proprie accipitur, si significat virtutem intrinsecam humanitati Christi, per quam constituatur intrinsece in linea causae fisicae instrumentalis, quam si accipiatur pro effectu miraculoso. ergo cum ut notum est verba sacrae paginae in magis proprio sensu sint accipienda, sequitur, quod Vazquez non bene illud nomen virtus exponit. Nec ipsi fabent testimonia ab ipso allata quia in illis locis ly virtutes non possunt accipi nisi pro effectibus miraculosis.. in locis autem a nobis allegatis magis proprie ly virtus sumitur pro qualitate intrinseca, quam pro effectu miraculoso producto.

Rursus probatur nostra conclusio ex Concilio Ephesino can. 11. ubi deffinitur haec propositio: Carnem Christi esse vivificatricem. quae propositio sic ponderatur. duplici argumento pro nostra conclusione. 1° sic. ly vivificatricem, equivalet ad esse effectricem vitae, sed esse effectricem vitae, non potest adaptari causae morali, sed causae phisicae effectivae, ergo. nostra conclusio deducitur ex concilij difinitione = Secundo sic. esse causam moraliter operativam, et operari merendo, sed mereri non convenit carni, sed Voluntati Christi, ergo Concilium deffiniens esse vivificatricem, seu effectricem vitae carnem Christi; non loquitur de causalitate morali. Confirmatur ex Epistola quadam Sopronij contenta in 6 Synodo Gen. act. 11. in qua dicitur Verbum per carnem effecisse opera, quae sunt divinitatis indicia, hoc est effecisse miracula. sed illi effecisse, proprie significat causalitatem phisicam. ergo Concilium generale confitetur humanitatem Christi re fisice miracula causasse, et cum ut ex notabilibus constat non posset esse causa phisica principalis. sequitur quod sit causa phisica instrumentalis. quasi eadem verba, invenientur expressa. in Cirilo. Lib. 4. in Ioannem c. 14 ubi dicit carnem Christi esse vivificam active effective scilicet, dando vitam, et resuscitando Filiam principis Synagogae. = et idem docet Euthimius cap. 19 in Lucam. et alij Patres.

Poterat insuper probari nostra conclusio multiplici authoritate Angelici Doctoris. verum, nostram conclusionem dubitare esse iuxta mentem D. Th. est dubitare lucem meridianam ortum ducere ex Sole, quem, ut luminare maius inter stellas, creavit Deus ut praeesset diei. videatur locis citatis. & sufficiat illud testimonium quod ex Angelico Magistro retulimus ar. praecedenti ad solutionem argumenti. quod testimonium est ex hac. 3. p. q. 48. ar. 6. ad 3. — & aliud valde expressum ex hac 3. p. q. 8. ar. 1. ad 1. per haec verba: * Actiones Christi fuerunt nobis salutiferae, ut gratiam in nobis causantes & permeritum, & per efficientiam * & denique in hac. 3. p. q. 64. ar. 3 dicit. * Christus quatenus homo operatur ad interiores effectus sacramentorum et meritorie, & efficienter, sed instrumentaliter. * quae verba nullam explicationem contrariam nostrae conclusioni admittunt.

§. III.

Ratione probatur conclusio.

Humanitas Christi non solum quandiu extitit in terris, sed etiam modo existens in Coelis est instrumentum, & organum Divinitatis in ordine ad patranda miracula, & in ordine ad gratiam iustis communicandam, & in ordine ad omnia quaecumque dona supernaturalia hominibus conferenda, sed non est organum, & instrumentum morale, ergo est instrumentum physicum. in ordine ad praedictos effectus. maior negari nequit. est enim illa communis loquutio Patrum, saepe affirmatur ab Angelico Magistro, & non obscure continetur in Concilio Ephesino. canon. 9. & 11. & Lateranensi sub Martino I. consult. 3. & 5. unde etiam concedit eam P. Vazquez, & consequentia infertur, cum non sit excogitabile aliud instrumenti genus. = Probatur ergo minor, in qua est difficultas. quia omne instrumentum dicitur tale, in ordine ad causam principalem eiusdem generis, & constituitur in esse instrumenti per motionem & virtutem a causa principali in ipsum derivatam, sed Divinitas respectu cuius humanitas est organum, & instrumentum non est causa principalis moralis miraculorum, gratiae. & donorum supernaturalium. ergo humanitas non est instrumentum morale illius. maior supponitur ex Methaphisica, & Physica. & manifestis exemplis comprobatur. Calamus enim ut caracteres formet indiget moveri a scriptore. serra ad secandum, cultellus ad scindendum, & sic de alijs. minor etiam est evidens, cum Divinitati repugnet meritum, & consequentia infertur unde infertur quod humanitas Christi debeat esse instrumentum physicum Divinitatis.

Secundo probatur eadem principalis minor. quia humanitas Christi, in linea morali, est causa principalis, in ordine ad effectus miraculosos producendos, gratiam causandam in iustis, & dona supernaturalia hominibus conferenda, ergo non est instrumentum morale, ergo est instrumentum physicum, haec ultima consequentia ex prima infertur, & prima ex antecedenti. antecedens autem ex dictis articulo praecedenti constat, & insuper probatur primo quia illa est causa principalis moralis, quae in operando moraliter nulli alteri causae moraliter operanti subordinatur. talis est humanitas Christi, ut patet, cum Deus cui subordinatur causa moralis non possit esse. Secundo probatur. quia instrumentum mediat ex

natura rei inter causam & effectum, sed humanitas Christi inter Deum et miraculum non mediat. Sed potius mediat Divinitas, quae propter meritum humanitatis vult miraculum patrare, ergo humanitas non est instrumentum morale Divinitatis, s[ed] causa moralis principalis. Tertio quia causa illa est principalis in aliqua linea, quae in tali linea continet adequate effectum sine dependentia ab alio in eadem linea. talis est humanitas Christi, ergo est causa principalis. probatur minor, quia causa quae in linea morali de condigno meretur effectus productionem, continet ratione sui, hoc est ratione virtutis proprie effectum, s[ed] humanitas Christi meretur de condigno (ut iam supponimus probatum, & adversarii non negant) effectus miraculosi productionem. ergo est causa moralis principalis. & proinde causa instrumentalis seu instrumentum morale Divinitatis non est. Respicat primo P. Vazquez & distinguit inter effectus miraculosos causatos a Christo Domino, & dicit, quod Christus Dominus aliquos effectus miraculosos causabat mediante suo divino contactu physice tangendo subiectum, in quo miraculum operabatur, v.g. ut quando suscitavit filium viduae civitatis Naim, vel filiam Principis sinagogae, vel quando linivit oculos caeci nati luto quem formaverat suis manibus ex suo sputo, & terra, & alia huiusmodi; alios miraculosos effectus produxit sine tali contactu, sed potius intercedente distantia, — qua distinctione posita dicit, quod ad miracula quae faciebat medio suo divino contactu concurrebat humanitas ut instrumentum morale Divinitatis, — & alia quae sine tali contactu patrabantur ab ipso concurrebat ut causa moralis principalis.

Sed contra, quia imprimis per hanc distinctionem inter miracula duobus modis a Christo facta, non solvit argumenta facta a ratione probantia impossibilitatem quae est in eo quod humanitas sit instrumentalis causa moralis — Secundo quis non videat deliramentum huius suae resp[onsio]nis, quia ex illa sequitur quod miracula facta a Christo per contactum physicum suae humanitatis sanctissimae tribuat Vazquez inferiorem causalitatem, quam ad miracula quae fiebant intercedente distantia, quia respectu miraculorum illius generis, hoc est quae fiebant a Christo intercedente distantia, dicit quod humanitas concurrebat ut causa principalis moralis. ad illa autem quae fiebant mediante suo divino contactu solum dicit quod concurrebat ut instrumentum morale, s[ed] causa moralis principalis moralis principalis, universaliter loquendo nobilior prae instrumentali illius lineae. ergo inferiorem causalitatem concedit quando intercedebat suus physicus divinus contactus, ac quando non intercedebat. quod est piis oculis dissonum. Tertio, quia si respectu aliquorum miraculorum erat causa moralis principalis, ergo & respectu omnium. Consequentia probatur, quia ideo respectu aliquorum poterat esse causa principalis moralis, quia illa moraliter adequate continebat, seu merebatur de condigno & proinde nulli alteri causae morali superiori erat ~~sup~~ subordinata. s[ed] eadem virtus erat in Christo, ad omnia miracula quae ab ipso sunt facta, & facienda, ut patet; ergo si concedit quod respectu aliquorum erat causa moralis principalis, debet concedere quod erat causa moralis principalis respectu omnium. & cum aliunde concedat

& negare non possit sine iniuria Patrum, & Conciliorum, quod humanitas est instrumentum Divinitatis, debet concedere quod erat instrumentum physicum Divinitatis.

Replicat P. Vazquez secundo ratione: non repugnat quod humanitas Christi sit causa principalis moralis, & simul causa instrumentalis moralis, ergo tantum est instrumentum morale, & non physicum. probat antecedens, non repugnat quod humanitas Christi sit causa moralis principalis, & instrumentum physicum iuxta Thomistas. ergo non repugnat quod humanitas Christi sit simul causa moralis principalis, & instrumentum morale. probat consequentiam quia ideo iuxta Thomistas primum non repugnat. quia operationes elicitae ab humanitate Christi, & possunt considerari in ordine ad voluntatem ipsius Christi, & in ordine ad Deum, & secundum quod comparantur ad voluntatem Christi sunt causa principalis moralis, & secundum quod considerantur in ordine ad Deum sunt instrumentum physicum, sed etiam, secundum istas duas considerationes, diversosque respectus possunt operationes Christi & habere rationem causae moralis principalis, & moralis instrumenti, ergo non repugnat quod humanitas Christi sit causa moralis principalis, & instrumentum morale.

Sed contra & respondeo, quod ratio repugnantiae in eo quod humanitas Christi sit causa moralis principalis, & simul instrumentum morale non sumitur penes impossibilitatem in eo quod non possint habere duos respectus operationes elicitae ab humanitate, cum de facto dentur tales respectus, ut secundum unum sint causa moralis principalis, & secundum alium sint instrumentum physicum Divinitatis. Repugnantia ergo consistit in eo quod ratio instrumenti moralis nequit convenire humanitati neque his operationibus propter rationes datas probando nostram conclusionem. quas nullo modo attingit nec solvit Pater Vazquez.

Quibus additur alia ratio nostrae conclusionis, quae sic formatur. omnis dignitas & excellentia possibilis concedenda est de facto humanitati & operationibus Christi, si non pugnat cum munere Redemptoris, & si alias oppositum non est revelatum, sed esse humanitatem Christi instrumentum physicum est dignitas & excellentia possibilis potens convenire purae creaturae, & alias cum munere Redemptoris non pugnat nec ipsam humanitati non convenire non est revelatum, si potius colligitur quod conveniat humanitati ~~[illegible]~~ ex Conciliis, & ex patribus ergo concedenda est humanitati Christi.

Respondet Vazquez negando minorem quia ut esset humanitas instrumentum physicum debebat habere virtutem physicam productivam gratiae, quod est impossibile, sed contra quia habere virtutem physicam productivam gratiae, & miraculorum, non implicat humanitati; nec purae creaturae, etto repugnet creaturae esse causam principalem physicam gratiae & aliorum effectuum supernaturalium, cum virtus indita sit a causa principali

§. IV.
Soluuntur argumenta.

Obiicit P. Vazquez contra nostram conclusionem, illam sustineri non posse ex eo quod humanitatem Christi esse instrumentum physicum, gratiæ, & miraculorum est quid dependens a volunt. divina, quæ nobis aliter non innotescit nisi per revelationem, contentam vel in sacra pagina, vel in concilijs. vel in communi accepte Patrum, quæ æquivaleat Traditioni, sed talis causalitas instrumentalis physica nullo ex his modis nobis est revelata, ergo. — Sed facile solvitur hoc sum argumentum ex dictis probando nostram conclusionem. ubi ostensum est aliter non posse verba sacræ paginæ. conciliorum, & Patrum cum proprietate salvari.

Obiices ergo secundum fundamentum P. Vazquez. quia iuxta Thomistarum doctrinam de ratione instrumenti physici est quod instrumentum operetur ratione suæ propriæ & innatæ virtute actione aliqua propria contingente passum, sed Christus plura miracula edidit, sine tali contactu. ut patet ex illo Math. 8. quando servum Centurionis absentem resuscitavit, & ex illo Ioannis. 4. quando filium Reguli distantem sanavit. & in alijs quamplurimis. & modo miracula quæ fiunt virtute nominis Iesu Christi, & passionis eius. ergo.

Respondeo Patrem Vazquez Thomistas legisse non animo cognoscendi doctrinam quæ ex Angelico fonte ebibunt, sed animo impugnandi, unde multoties fingit sententiam, & eam Thomistarum nomine baptizat, cum revera nullus Cortadus Thomistarum erga illam interveniat. respondeo ergo negando maiorem quia talis doctrina numquam fuit a Thomistis tradita, sed potius opposita, quia licet plures exigant in instrumento actionem aliquam. vel aliquid permodum operationis, ut instrumentum nondicatur otiose assumptum tamen nullus docet quod de ratione instrumenti est necesse quod per propriam actionem virtute propria & innata elicitam attingat physice passum, ut patet ex doctrina Thomistarum communi, cum suo Angelico Preceptore, in hac. 3. p. q. 62. ar. 1. ubi docetur aquam baptismalem propria virtute corpus abluentem, animam virtute divina abluere. & constat quod aqua non potest attingere animam quæ spiritualis est.

3º. Contra hanc doctrinam obstat tertium argumentum eiusdem P. Vazquez. obiices ergo quia ut humanitas Christi ut instrumentum physicum divinitatis, debebat saltem mediante virtute divina, ipsi humanitati communicata contingere passum. sed nulla virtus potest assignari communicata humanitati per quam passum attingat. ergo non operatur humanitas Christi, ut instrumentum physicum. probatur minor. quia talis virtus humanitati communicata. vel esset corporalis vel esset spiritualis. sed nec potest esse corporalis, neque spiritualis, ergo nulla virtus potest assignari communicata humanitati, per quam passum contingat. probatur minor, quia talis virtus non potest esse corporalis, cum sit ad producendum etiam effectus spirituales. aliunde nec spiritualis. ergo non potest esse corporalis nec spiritualis, probatur minor, quia talis

virtus debebat recipi in carne Christi, quae utique corporea est, sed in subiecto corporeo non potest recipi virtus seu qualitas spiritualis, ergo non poterat esse spiritualis.

Respondeo talem virtutem esse spiritualem et tamen poterat recipi in subiecto corporeo qualis est caro Christi, quia est qualitas incompleta per modum transeuntis communicata, quae solutio sumitur ex D. Th. in hac 3. p. q. 62 citata, ar. 4. ubi cum primo loco sibi obiecisset primum argumentum, sic respondet: * Ad primum dicendum quod virtus spiritualis non potest esse in re corporea per modum permanentis et completae; nihil tamen prohibet esse in corpore virtutem spiritualem instrumentaliter, in quantum scilicet corpus potest moveri ab aliqua substantia spirituali ad aliquem effectum spiritualem inducendum *.

Sed contra istam doctrinam obstat ~~primum~~ quartum argumentum ab ipso factum. quia si humanitas Christi per hanc virtutem divinam per modum transeuntis communicatam, posset humanitas Christi constitui instrumentum physicum ergo miracula, et gratiam, debebat adesse physicus contactus et per illum contingere passum. sed neque per istam virtutem poterat contingere subiecta distantia. vel distantia loci, vel distantia temporis, quae utique intercedit inter passionem Christi, et gratiam quae modo producitur in iustis. ergo est quia physicum instrumentalem concursum non exercuit. minor probatur ex eodem D. Thoma 1. p. q. 8. ar. 1. ubi ex eo probat Deum esse ~~ubique~~ ubique, quia ubique operatur. quod probat ex 7 physicorum. tex. 10. ubi dicit Arist. quod movens et motum debent esse simul.

Propter hoc argumentum docet Lorca disp. 53. conclus. 1. quod miracula quae patrabantur a Christo in subiectis distantibus, non concurrit ut instrumentum physicum. sed tantum moraliter.

Verum haec solutio sustineri non potest, tum propter impugnationem iam factam, tum quia Angelicus Magister in hac 3. p. q. 48. ar. 6. ad 2. et q. 56. ar. 1. ad 3. docet resurrectionem Christi esse virtute divina causam efficientem resurrectionis nostrae causam utique efficientem non principalem, sed instrumentalem. quia talis virtus divina praesentialiter attingit omnia loca et tempora. unde respondetur negando minorem, vel claritatis gratia distinguo maiorem. debebat contingere passum, contactu vel suppositi, vel virtutis, concedo. semper contactu suppositi nego, et eodem modo distinguo minorem. et nego consequentiam. dicimus ergo quod ad contactum physicum effectivum etsi ex natura rei requiratur indistantia localis, ~~vel~~ indistantia temporis, ex natura rei, praesertim si sit contactus suppositi, tamen ad contactum virtutis, praesertim divinae, non requiritur indispensabiliter et ex natura rei. indistantia loci, neque indistantia temporis, sed a potentia absoluta suppleri potest. quia virtus divina legibus naturae non est subiecta. unde etiam agens corporeum quale est ignis inferni agere potest in spiritum.

Alia argumenta quae fieri possunt ex dictis facile dilui possunt. et haec dicta sufficiant pro isto tractatu. Et omnia in laudem Sanctissimae Trinitatis, et Verbi Incarnati, Beatissimae Virginis, et D. Thomae Aquinatis cedant.

Et omnia correctioni Sanctae Romanae Ecclesiae subiicio.

✠

TRACTATVS QVINTVS.
DE
IMPECCABILITATE
CHRISTI.
ET DE EIVS MORALI PERFECTIONE.

Ad. q. 15. D. Th.

Procemium.

Mirabili doctrinæ contextura Angelicus Magister, ut Aquila magnarum alarum, se in altum cœlum de perfectionibus Christi elevans altivitate, & vi suæ contemplationis, & Visionis, earum excellentiam explicavit, [conspiciendo, & contemplando] verum Solem iustitiæ Christum, palpebris immotis, oculisque fixis, ut est Aquilæ proprium, quando Solis radios inter micantes suæ lucis splendores, intuetur. Quo pacto primum edidit quæstiones de Gratia, & virtutibus, & deinde Scientia, uti de perfectionibus positive exornantibus tum animam, tum Intellectum, & Voluntatem Divini Solis, vivi, & animati Christi, de quibus & nos pro nostra tenuitate, tractatibus præcedentibus. Quæ perfectiones Christi, ut micantiores apparerent, ideo immediate transit media sua contemplatione Angelica Aquila ad quæstionis de deffectibus physicis, ab eodem Sole iustitiæ Christo in corpore assumptis. Opposita enim iuxta se posita magis elucescunt. Vnde hanc quæstionem 14. instituit, ubi contemplando corpus utique pluquam celeste, &si revera humanum, etiam divinum, assumptum ad esse personale Verbi, concludit: Verbum divinum assumpsisse in humanitate, illos phisicos deffectus, qui ad finem Redemptionis humani generis perficiendum conducere poterant, & sine quibus talis redemptio fieri non poterat, iuxta modum præscriptum, in divinis decretis, quibus phisicis deffectibus non obstantibus, illud corpus, humanum utique, & simul divinum, erat utique perfectissimum, uti fas erat respectu hominis Dei, ut decantavit Regius Psaltes, spiritu profetico prævidens illius pulchritudinem, dum Psal. 44. concinit: Speciosus forma præ filijs hominum diffusa est gratia in labijs tuis. perfectissimus ergo erat in forma corporali Christus, homo Deus, tum in proportione quantitativa partium, secundum altitudinem, latitudinem, & profunditatem, tum in qualitate formæ, & figuræ.

Audiamus Sponsam, quæ in Canticis Canticorum pulchritudinem corporalem cœlestis Sponsi depinxit, penicillo veritatis oris sui, ut ex eius notis Filiæ Ierusalem quibus loquebatur Sponsa, in eius cognitionem devenirent, et ubi esset suus cœlestis Sponsus eidem Sponsæ indicarent, si ab ipsis forte esset adinventus, dum illa ardenter amans sponsum quærebat: perpenditæ huius amantis Sponsæ, quæ utique anima Sancta est, verba; quibus cœlestem Sponsum Christum depingit, ut sic affectus cuiuslibet voluntatis feratur, nullum sine violentia, quin potius et delectabiliter trahatur vi, et efficacia auræ tenuis vocis illius, in amorem illius Sanctissimæ humanitatis, cuius pulchritudinem Sol, & Luna mirantur, melius, & efficacius quam ad Orfaei musicam sonoram percipiendam etiam, & insensibilia rapiebantur.

Sponsæ verba sunt quæ sequuntur: * Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex milibus, Caput eius aurum optimum, Comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ sicut corvus. Oculi eius sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima. Genæ illius sicut areolæ aromatum, consitæ a pigmentarijs. Labia eius distillantia mirram primam. Manus illius tornatiles aureæ, plenæ iacinthis. Venter eius eburneus, distinctus saphiris. Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super vases aureas, Species eius ut Libani electus ut Cedri, Guttur illius suavissimum, et totus desiderabilis, talis est dilectus meus.*

Verum ut locus daretur ad redemptionem, sua Sanctissima passione, & morte stabilienda, tum ut eius amor erga humanum genus explicaret, tum ut gravitas peccati dignos cerneretur, aliquos phisicos defectus dignatus fuit in corpore assumere, quo pacto, etsi ad Beatitudinem, seu claram Dei Visionem, quam Christus Dominus, a primo conceptionis instanti fuit assecutus, sequantur ut proprietates dotes quædam quibus Beatorum corpora ornantur ad sponsalitium æternum celebrandum cum divino, & cœlesti, Sponso, de quibus ad Tractatum de Beatitudine, disputant Theologi. 1. 2. q. 2. quæ dotes sunt, Impassibilitas, Subtilitas, Agilitas, & Claritas, tamen suum Sanctissimum corpus has dotes non permisit habere; licet aliquando, et quasi transeunter tres ultimas permiserit ex anima in corpus emanare.

Non fuit Impassibilis, ut testatur fides ipsius passionis, quia ut previdit Isaias. cap. 53: Vere languores nostros ipse tullit, & dolores nostros ipse portavit: unde & sitim, & famen, & alia quamplura incommoda sensit. = Non habuit Subtilitatis dotem, nec quo ad primarium, nec quo ad secundarium effectum, non primarium, qualis est puritas, consistens in non admixtione alicuius novi, & extranei accidentis corporei, cum plura accidentia, extranea, & adversa, voluisset admittere, ut veritas humanæ naturæ demonstraretur; non secundarium, qualis est impenetrabilitas, cum illa permanenter caruisset, ut ex contactu phisico cum alijs coporibus constat. = Non habuit Agilitatis dotem cum motum localem fatigatione exercuisset, iuxta illud Ioannis cap. 4. fatigatus ex itinere sedebat.

sic supra fontem. = Et denique permanenter caruit Claritatis dote, quia ut dicit Isaias cap 53 illum inter passionis procellas prevvidendo: Non est species ei, neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus.

Ast etsi catholica fides hos phisicos defectus in corpore Christi ab ipso assumptos agnoscat, ut sic locum haberet per Christi passionem redemptio nostra, quia ut dicit Apostolus ad corint. 1. cap. 5. Lucae c. 9. Nonne oportuit Christum pati et resurgere a mortuis, et ita intrare in gloriam suam. Tamen aliquando, ut etiam veritatem Divinitatis, in ipso habitantis demonstraret, ex anima in corpus, quasi transeunter predictas tres ultimas dotes permisit emanare, ut de Subtilitatis dote constat quando e sacratissimo Beatae Virginis utero, eius integritate, et Virginate integerrime conservata, nasci dignatus est, et quando Ianuis clausis ingressus est ad discipulos, (Ioann. 20. n. 19.) = De Agilitate autem quando ambulante Iesu super aquas putaverunt discipuli phantasma esse Marc. 6. 49. et Math. 14. 26. Et de Claritate etiam patet si Tabor ascendentes faciem eius fulgentem sicut Sol, contemplamur.

De his ergo physicis defectibus corporis nihil speciale occurrit disputandum cum ex principiis Fidei facile dignoscantur qui naturam corporalem passibilem subsequantur unde specialem Tractatum non instituimus.

Transit ergo Angelicus Doctor, ut Aquila mysteriosa ad examinandos, et dignoscendos vi et acutivitate suae contemplationis, et visionis defectus animam sequentes, unde hanc questionem 15 quam exponendam selegimus, instituit. et per decem articulos defectus aliquos physicos, et passiones demonstravit, cum primum defectum peccabilitatis non fuisse in Christo concluderet, sicut nec peccati fomitem, - Nescientiam, et admirationem admittit in Christo, quod et iam ex tractatu de Scientia Christi constat, cum omnes creaturas possibiles non potuisse cognoscere sit ut probabilius stabilitum, et cum scientia experimentali novum accidere posset ex qua novitate admirationem oriri sit manifestum, - Ex passionibus autem fuisse in Christi anima demonstravit, dolorem, tristitiam, timorem, et iram per zelum, de dolore quia Corpore patiente et animam per accidens pati necesse est. de tristitia, iuxta illud tristis est anima mea usque ad mortem. (Math. 26) de ira per zelum constat ex facto iuxta illud Ioann. 2. n. 15. Et cum fecisset quasi flagelum de funiculis, omnes eiecit de templo. = et ratio pro ~~[illegible]~~ stabiliendo Timorem suadet, cum Timor, et Tristitia, idem obiectum habeant, solum cum diff.ª presentialitatis vel futuritionis, quippe malum quod ut futurum timorem causat, ut presens tristitiam generat. ira autem per zelum est appetitus ex tristitia, et iusto appetitu vindictae causatus, seu compositus, quo pacto est ira virtus, sicut si ex tristitia, et iniusto vindictae appetitu componitur (vel ira) est vitium abominabile. Circa predictos enumeratos physicos defectus animae Christi, videlicet nescientiam, et admirationem, preter dicta tractatu de scientia Christi, nihil similiter occurrit disputandum, sicut nec similiter

circa animæ passiones prætermissa Tractatu de Gratia Christi. = Restat ergo solum disquirendum circa peccandi potentiam, fomitem que peccati, in illis ergo relegandis ab humanitate, & anima Christi. erit Tractatus iste totus, E[illegible] merito de illis in præsenti agemus, cum inter discipulos Angelici Magistri numerari gloriemur. Si enim Angelicum Magistrum, ut Aquilam magnarum alarum in cœlum de perfectionibus Christi vidimus elevatum, contemplantem vi, & efficacia suæ intellectionis, in vero Sole iustitiæ Christo, pulchritudinem, & excellentiam earumdem perfectionum, palpebris immotis, oculisque fixis, quas sine falsitatis nebulis lumine veritatis distinxit, & immediate defectus physicos, & affectus, seu passiones illius Sanctissimæ animæ dinumeravit, merito nos istam generosam Aquilam imitantes, ut ab ipsa Aquila inter legitimos filios recognoscamur, & non dimittamur ab ungue, quippe Aquilæ est proprium ad Solis ardentissimos, fulgentissimosque radios suos recognoscere filios, alijs ab ungue dimissis, in eodem Incarnato Sole iustitiæ Christo eius impeccabilitatem, recta doctrinæ methodo, in præsentiarum examinandam, & stabiliendam accipimus.

Sed o mirabilis methamorphosis, in Solem conversam conspicimus istam mirabilem Angelicam Aquilam, Sol est in Ecclesia Dei, quam Christus plantavit sanguine suo, Angelicus Magister D. Thomas Aquinas, quo pacto Solem ut signum proprium in pectore portat, unde mirabili methamorphosi, iam Sol illuminans, tenebrasque falsitatis excludens, iam Aquila contemplativa, in Ecclesia Dei admiratur, si ut Aquilam Angelicum Magistrum imitari contendimus contemplando simul cum ipso idem obiectum; ut Solem illum credamus propitium, ut istius Solis mens nostra doctrinæ splendentibus illuminata radiis, obiectum tot perfectionibus clarum, uti est humanitas Christi audeat conspicere sine temeritatis nota, eiusque impeccabilitatem, iure servato essendi ex nihillo humanitas illa, stabilire possit. Sed exul est omnis pavor, quando Christi impeccabilitatem stabilire contendimus ad fulgentissimos splendores suæ mirabilis doctrinæ. Utinam fauste.

DISPUTATIO DECIMASEPTIMA.

DE IMPECCABILITATE CHRISTI, EX VI UNIONIS HYPOSTATICÆ

Articulus. 1.

Vtrum Christus de potentia absoluta potuerit peccare?

§. 1.

Præmittuntur certa.

Fides catholica docet Christum Dominum numquam de facto peccasse, nec fuisse impeccatis. constat ex Ep. 1. Petri. c. 2. ubi loquendo de Christo ait: Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius. quæ eadem verba dixerat Isaias. c. 53. & constat ex illo Ioann. 8. quis ex vobis arguet me de peccato. unde Apost. ad Hebreos c. 7 ait. Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, Sanctus, innocens, impolutus, segregatus a peccatoribus. hanc eamdem catholicam veritatem esse deffinitam a Damaso Papa. Ep. ad Paulinum docet Vazquez in præsenti. = alegorice præfigurabatur hæc eadem veritas Exodi cap. 25 in Arca veteris testamenti. compacta ex lignis. quæ putrescere non poterant. & deinde auro purissimo intus, & extra contecta, quod ad Humanitatem Christi Domini non obnoxiam aputredine peccati, & Charitate ardentissima intus & extra. veluti auro purissimo rutilantem, refert Eustachius Antiochenus. in quadam orat. ad illa verba: Dominus pascit me.

Audiendi ergo non sunt blasphemi hæretici, qui ut Canes latrantes, contra splendorem Humanitatis Christi, quæ ut Luna plena, a Divinitatis Sole ~~[illegible]~~ ~~[illegible]~~, imbuta, splendet micantibus splendoribus. & qua proprie dicitur quod erit lux Lunæ sicut Lux Solis, temere audent peccatum in Christo affirmare asserendo insipienter Christum in cruce desperasse. sic quidam hæreticus, quem refert Pratcolus verbo Antechristiani, cuius nomen adeo execrabile apud homines fieri, ut ex eorum memoria sit penitus abolitum, certe abdubio anima præfuit Calvini, qui ut refert Bellarminus tom. 2. lib. 4. de Christo. c. 8 asseruit Christum Dominum emisisse in cruce vocem desperationis, timuisse que de sua salute animæ suæ, quod si ita esset non posset Christus excusari a peccato. & forte in pœnam huius blasphemiæ permisit Deus Calvinum in morte desperasse ut affirmat Hieronimus Hermas. in eius vita. cap. 22.

Ceterum veritas nostra chatholica, passim in Sacra Pagina videtur manifesta, & eam probat Angelicus Mag. in hac. q. 15. ar. 1. hac rat. quia propter tria assumpsit Christus Dominus aliquos deffectus, atque physicos, humanæ naturæ, videlicet, & ad satisficiendum pro nobis, & ut veritas humanæ naturæ manifestaretur,

& denique ut nobis virtutis exemplum daret, sed ad nihil horum potest peccatum
conducere, ergo nullum assumpsit peccatum. probatur minor quoad singulas partes
& in primis ad satisfaciendum pro nobis, peccatum conducere non potest, cum potius vim
& efficaciam satisfactionis impediret. deinde veritas humanae naturae manifestari ne-
quit mediante peccato, quia peccatum non est naturae conforme, sed potius dissonum
& contra inclinationem naturae. & denique peccatum non potest esse virtutis exemplum,
cum potius per peccatum destruatur virtus, unde peccatum semper quod videtur, parit
scandalum.

Nec contra lucem huius veritatis obstat si dicas. quod in persona Christi
pronuntiavit Regius Psaltes haec verba in psalmo nempe 21. Deus Deus meus quare
me dereliquisti, longe a salute mea verba delictorum meorum. ex quibus verbis duo
videntur inferri. primum, quod cum praedicta verba dixisset Christus in Cruce, videtur
Christum Dominum desperasse de salute animae suae, ut dicebat haereticus ille, vel ut dixit
latrando Calvinus, quod protulit vocem desperationis. secundum quod infertur est
quod Christus confitetur aliqua delicta sua, dum dicit, verba delictorum meorum. et
idem colligitur ex Psalmo 39 ubi in persona Christi dicitur: Comprehenderunt me ini-
quitates meae, & non potui ut viderem. — & rursus Psalmo 68. dicitur. Domine tu
scis insipientiam meam, & delicta mea a te non sunt abscondita. — & denique
confirmatur, quia Paulus 2. ad Corint. c. 5. ait: eum, qui non noverat peccatum, pro nobis
peccatum fecit. ergo Christus factus est Deo peccator.

Non inquam haec possunt lu-
cem huius veritatis obtenebrare. unde negamus quod ex illis verbis Psalmi 21. aliquid illorum
sequatur quia illa verba solum denotant derelictionem in poena, & dolore, & tormentis suae
passionis, ut constat ex aliis circumstantiis a quibus potuit Deus Christum liberare, sed no-
luit, ut redemptio nostra perficeretur per passionem, & mortem, unde sic clamavit
ut intelligeremus, & cognosceremus acerrimos dolores, & gravia tormenta, quae pro
nobis pati dignatus est, non propter delicta ab ipso commissa, sed a nobis, quod denotat
illud verbum quare: ac si diceret: non est a me commissa culpa, propter quam patior.
Non secundum qui verba illa multiplicem accipiunt interpretationem primo
accipi possunt iuxta dicta, videlicet delicta mea longe distant a salute quam ha-
beo, & cum poena quam patior indicet me peccatorem longe abest ut illa merear
delicta a me commissa, cum nulla sint, = Secundo. delicta mea, non quia talia
sint, sed quia talia ab hominibus reputantur. = Tertio. delicta mea, quia ut fide-
iussor. & in se habens obligationem satisfaciendi, delicta a nobis commissa, sua vocat
unde in se patitur poenas quas nos pati debebamus. = quarto & forsan melius quia
est solutio D. Th. in praesenti ar. 1. ad 2. delicta sua vocat secundum quod aliqua
dicuntur de Christo in persona nostra, quae sibi secundum se nullo modo conveni-
unt, iuxta regulam Tichonii quam approbat D. Aug. lib. 3 de doctrina Christiana
quatenus Christi & Ecclesiae una persona reputatur iuxta quod dicendum est quod Chris-
tus ex persona membrorum ibi loquitur. eamdem interpretationem admittunt
alia verba ex Psalmo 39. & 68.

Ad verba Pauli ex 2. ad Corinth. cap. 5 Resp. ibi non dici quod Christus fecit peccatum, sed quod Deus fecit Christum peccatum, quod de vero peccato est impium affirmare, cum Deus non sit autor peccati. Sensus ergo est, quod Deus fecit Christum peccatum, idest hostiam pro peccato. Sic enim in lege antiqua vocabatur peccatum hostia oblata pro peccato, ut explicat D. Th. in presenti ar. 1. ad 3. iuxta illud Osee. cap. 4. peccata populi mei comedent sacerdotes. idest hostias & victimas oblatas pro peccatis.

Neque urget si opponas quod ex predicta ultima interpretatione ad verba Psalmi sequitur, posse dici vere ista propositio. Christus quotidie peccat, ut olim affirmabat quidam Augustinus de Roma. Archiepiscopus Nazareni, que propositio fuit damnata in concilio Basiliensi ut erronea, & scandalosa. Sequella probatur ex eo quia de Christo vere affirmatur quod de membris componentibus Ecclesiam affirmatur, cum ex Christo, ut capite, & ex membris ecclesie componatur una mistica persona, sed de membris vere affirmatur quotidie peccare, ergo & de Christo.

Non inquam urget hec obiectio, quia ut affirmetur de Christo, quod de Ecclesia affirmatur, non debet in propositione affirmari aliquem specialem influxum, quem Christus prestare nequeat, & in predicta propositione significatur specialis influxus ut a Christo prestitus, ut patet, quem cum Christus non prestet nec prestare possit, inde est quod illa propositio vera non est, & proinde est Sanctissime damnata.

§. II.

Aperitur dubium.

Notanter in disputationis titulo dicimus de impeccabilitate Christi ratione unionis hypostatice, ad significandum quod in presenti non disputamus de impeccabilitate Christi ratione visionis beatifice, ratione cuius supponimus ex tractatu de Beatitudine quod fuit impeccabilis, quippe, ibi disputatur an Beati sint impeccabiles ab intrinseco ratione unionis et sententia communior, docet esse impeccabiles, que sententia non solum est inter Thomistas communis, sed etiam inter alios,+ unde eadem ratione visio beata constituet Christum impeccabilem, verum cum de potentia absoluta potuerit Christus carere visione beata, inde est quod restat locus ad inquirendum an sit impeccabilis ratione unionis hypostatice? quod est idem ac inquirere, An Christus preci sive a visione beata, sive precisio sit positiva, sive tantum formalis & per rationem sit impeccabilis attentis meritis solius unionis.

+ de qua impeccabilit. nos egimus ad longum tract. de Beat. disp. 9. q. 2.

Secundo consulto ponimus in titulo articuli; an Christus de potentia absoluta, &c. ad denotandum dubium non procedere de lege ordinaria, iuxta providentiam de facto existentem in Deo, secundum quam decrevit fieri quod perfectum est a Christo, quippe supponimus Christum Dominum de lege ordinaria non potuisse peccare, illud namque dicitur posse Christum de potentia ordinaria, ad quod aliquando iuxta presentem providentiam se determinavit, sed de facto Deus non determinavit aliquando permittere aliquando Christum peccare, alias, de facto aliquando peccasset quod est contra fidem, ergo de lege ordinata, seu ordinaria non est possibile Christum peccare, unde presens labor dubium procedit de potentia absoluta.

Ubi advertendum est quod quando inquiritur utrum Christus de potentia absoluta potuerit peccare, non supponitur quod Deus vires seu potentiam tribuat ad peccandum, vel quod Deus suo speciali concursu ~~[illegible]~~ iuveat ad peccandum, hoc enim apud omnes Theologos est impossibile, sicut impossibile est Deum esse causam defectivam, sensus ergo est. an Deus de sua potentia absoluta possit auferre a Christo omnia dona supernaturalia incompossibilia cum peccato, conservante enim unionem hypostaticam, sine hac non esset Christus, unde querimus an si de potentia absoluta Deus aufferret a Christo, visionem beatificam, amorem beatificum, gratiam sanctificantem accidentaliter, & omnes virtutes gratiam sequentes, solum tamen conservaret unionem hypostaticam, videlicet personalitatem Verbi communicatam, & unitam humanitati, illam que terminantem, & constituentem personam, an in isto casu possibili Christus posset peccare?

Quod duobus modis potest intelligi, primo ~~[illegible]~~ in sensu composito unionis, ita scilicet, ut simul humanitas posset se coniungere, & compati cum unione hypostatica ad Verbum, & cum peccato, ita ut peccatum componeretur, & compateretur cum unione, secundo in sensu diviso. divisione sumpta vel positive, videlicet unione positive, & phisice destructa per peccatum, vel precisive, hoc est. unione precisa a peccato, ut terminante potentiam antecedentem ad peccandum, ad modum quo homo iustus peccare potest, ~~[illegible]~~ peccato destruente gratiam, hoc est divisione positiva, peccato videlicet destruente phisice gratiam, vel precisive, hoc est. peccato terminante potentiam antecedentem ad peccandum. sicut etiam in nostra sententia homo phisice premotus ad amorem habet potentiam antecedentem ad odium, unde odium est terminus illius potentie antecedentis. ut precisa a premotione ad amorem precisione utique pure precisiva. & non ablativa phisice premotionis.

In utroque sensu procedit difficultas. scilicet an Christus de potentia absoluta peccare possit, unione cum peccato composita, & in sensu composito unionis, vel saltim in sensu diviso, peccato destruente unionem? verum & si claritatis gratia sententias pro utroque sensu simul referamus, tamen ~~[illegible]~~ eiusdem claritatis gratia, in duos articulos dividemus nostram sententiam. & in presenti solum resolvemus quid tenendum sit in sensu composito unionis, & in sequenti quid dicendum sit in sensu diviso.

§. III.
Referuntur sentiæ.

In presenti difficultate. tres circumferuntur sententie. Prima sententia docet humanitatem Christi posse peccare in sensu composito unionis, unde docet Christum posse commitere peccatum actuale, & esse in peccato mortali habituali, unione non dissoluta, sed retenta cum ipso peccato = ita aliqui antiqui, quos sine nomine refert. Magister in 3. dist. dist. 12. §. 9: hanc sententiam tenet expresse. Scotus in eadem dist. q. 1.

licet ibi doceat Scotus Christum non potuisse peccare ratione Beatitudinis. cęterum cum alias idem Scotus doceat in 2. dist. 2. q. 4. & dist. 44. q. 6. & in 4. dist. 43. Beatos non esse impeccabiles ab intrinseco, ratione Beatitudinis, s.d solum extrinsece, ex vi videlicet ex providentię specialis Dei nolentis concurrere cum Beatis ad materiale peccati, volentis pro inde illos conservare in beatitudine in ęternum, sequitur manifeste in Sent.a Scoti Christum ab intrinseco non esse impeccabilem, nec ex vi unionis ad Verbum, nec ratione beatitudinis, s.d Christum posse actualiter peccare. & esse impeccato habituali peccato composito cum unione hypostatica, & destruente visionem beatificam, amoremque beatificum. hanc esse mentem Scoti fatentur eius discipuli; & eamdem hanc sent.ę tenent communiter Recentiores Scotistę, ut Faber. in eadem dist. 12. Castillo. disp. 18 de Incarnat.e q. 1. & alij = hanc eamdem Sent.ę tenet Durandus in 3. in eadem dist. 12. ubi affirmat quod huic sententię magis obstant verba debita, quam aliqua ratio efficax = Gabriel. & Marsilius ibidem. & alij. Inter Authores huius sententię patronos non immerito numerantur, Alensis. 3 p. q. 19. memb. 13. & Enricus quodl. 3. q. 8. quatenus docent humanitatem Christi non posse peccare de potentia absoluta, eo quia nulla potentia potest ab ipsa separari visio beata ratione cuius est impeccabilis, unde si per impossibile separaretur visio beata manente unione esset peccabilis.

Secunda sententia docet non posse etiam de potentia absoluta peccatum componi cum unione hypostatica, in sensu tamen diviso posse humanitatem Verbo unitam de potentia absoluta peccare, vel quia sic potuit fieri unio humanitatis ad Verbum ut posset humanitas proprio peccato unionem ad Verbum impedire, vel quia potuit unionem iam habitam excludere, ad modum quo Iustus potest peccare, destruendo gratiam, & iustitiam cum proprio peccato. hanc sententiam docet Puente Hurtado in presenti. disp. 59. & 60. Arriaga disp. 35. sect. 3. & alij quam plures recentiores

Tertia, & vera sententia docet humanitatem Verbo unitam non posse etiam de potentia absoluta peccare, unde docet hec Sent.a quod Christus dominus nulla potentia posse peccare aut admittere in se peccatum, sive originale, sive actuale, ~~sive~~ mortale, sive veniale, seu habituale docuit hanc sententiam Mag. Sent. in 3. dist. 12. & D. Th. ibidem q. 2. ar. 1. & 2. = D. Bonav. ibidem. ar. 2. q. 1. Capreolus ibidem. q. unic. ar. 2. & 3. Almainus. in 3. dist. 1. q. 2. hanc sententiam tenent Omnes thomistę. quos ~~alios~~ in longum esset recensere. videatur Ill.mus Godoi in presenti disp. 41.

§. IV.

Statuitur conclusio de impotentia ad peccandum in sensu composito unionis, & ex concilijs, & P.P. probatur.

Sit nostra conclusio: Peccatum quodlibet, nedum ex natura rei, sed etiam de potentia absoluta pugnat cum unione hypostatica, etiam secluso omni alio quocumque dono supernaturali, Unde Christus non potest peccare peccato cum unione hypostatica composito, = ita autores secundę, & tertię sententię.

Probatur primo conclusio ex Sexta Synodo genl. actl. 8 ubi decernitur quod Christus habuit voluntatem impeccabilem. Sed impeccabilitas non solum excludit peccatum sed etiam potentiam, alias omnes iusti dicerentur impeccabiles, ergo sentit concilium in Christo non esse potentiam ad peccandum, etiam attenta potentia absoluta. – Et idem Concilium actl. 17 affert rationem ex Greg. Nazianzeno oratl. 36; quia Christi voluntas cum tota deificata sit Deo proculdubio non adversatur = quae ratio utique probat de potentia absoluta. praesertim cum haeretici, contra quos agit concilium, videlicet Macharius, et Stephanus ideo negassent in Christo humanam voluntatem, quia alias posset peccare quibus non plene fieret satis concilium, si solum voluntas humana Christi non posset peccare depotentia ordinaria.

Deinde aliam rationem tradit concilium per verba sumpta ex Greg. Nysseno. et habentur. tom. 3 conc. pag. 31. verba concilij sunt sequentia: Quia quemadmodum corpus nostrum regitur, ornatur, atque ordinatur ab intellectuali, et rationali anima nostra, ita et in homine Christo tota luminis eius conspersio ab eiusdem Verbi Divinitate, semper, et in omnibus mota, Deo mobilis fuit. quae ratio postea a nobis pro ratl. conclusionis expendetur. = Idem docuit Florentina Synodus Sessione ultima, in decreto Unionis pro instructl. Armenorum.

Probatur secundo ex Patribus primo ex Augustino lib. 2. de Incarnatl. Verbi circa medium ubi haec habet verba: * Oleo ergo laetitiae ungitur cum Verbo Dei immaculata foederatione coniuncta est, et per hoc sola omnium animarum peccati incapax fuit, quia Filio Dei bene, et plene capax fuit. * idem docuit lib. 2. de peccatorum meritis, et remissione, cap. 11. et lib 1. de Praedestl. SS. cap. 15. et in Enchyridione cap. 40. ubi exprese ait. * ac sic in naturae humanae susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, quae nullum peccatum possit admittere. idem habet lib. de Correptl. et gratia. cap. 11.

Dyonisius Alexandrinus in Epistl. contra Paulum Samusetanum circa finem. sic habet: * Nisi fuisset idem, qui erat Dei Verbum non poterat esse alienus a potestate peccandi; nemo enim est qui peccare non possit, nisi unus, Christus.

Cyrilus Alexandrinus tom. 2. adversus Antropoformitas haec habet: * Stolidi vero ac dementes prorsus sunt ipsum etiam Christum, nescio quo pacto, peccare potuisse affirmant.

D. Athanasius libro Cur Deus homo diserte affirmat Christum non posse peccare quia Deus est. idem docet. Epiphanius in Anchorablonge post medium. Greg. Nazianz. oratl. 36 q. 4 de Theologia n. 46. Origenes lib. 2 Periarcon. cap. 6. Hilarius lib. 1 de Trinitl. circa medium. et communiter SS. PP.

§. V.

Responsiones contrariorum ad has authoritates confutantur.

Respondent Authores pro sententia contraria militantes. Primo, concilia, et SS. PP. loqui de impotentia ad peccandum de potentia ordinaria, non autem de potl. absl. quia PP. non movent quaestiones de potl. absoluta.

Secundo respondent quod dato quod loquantur de potentia absoluta, intelligendi sunt de impotentia peccandi, ex vi Beatitudinis, & aliorum donorum Supernaturalium, cum quibus est incompossibile peccatum. Tertio quia etiam si loquantur de impeccabilitate ratione unionis, non est formaliter impeccabilitas conveniens Christo ratione unionis, sed radicaliter, quatenus ratione unionis debetur Christo Beatitudo, fruitio, & alia dona Supernaturalia.

Sed nulla ex his ~~[illegible]~~ solutionibus est firma. non prima quia & si verum sit Sanctos PP. & concilia, ut in plurimum non moveant quæstiones de potentia absoluta, tamen quando verba & rationes quibus utuntur suadent aliquam impossibilitatem essentialem, extenditur impossibilitas ad potentiam absolutam, quippe ad id quod impossibile essentialiter est nulla datur potentia, & in nostro casu impossibilitas ad coniungendum peccatum cum unione hypostatica est essentialis orta ex repugnantia peccati cum Sanctitate Unionis. Non urget etiam secunda solutio, quia SS. PP. & Concilia loquuntur de impeccabilitate propria Christo, & impeccabilitas quæ Christo convenit ratione Beatitudinis, & fruitionis, non convenit soli Christo, sed omnibus Beatis = Secundo quia Patres, & Concilia loquuntur de impeccabilitate quæ convenit Christo quia Deus est, sed esse Deum convenit illi ratione unionis; ergo loquuntur de impeccabilitate rationis unionis, & non ratione aliorum donorum. maior patet ex consideratione & lectione Verborum Sanctorum PP. & Conciliorum. ait enim Dyonisius si non esset Deus non esset alienus a potestate peccandi. quia nemo nisi Deus est impotens ad peccandum. idem constat ex Verbis Augustini, ait enim Oleo enim lætitiæ ungitur cum Verbo Dei immaculata fœderatione coniuncta est, & per hoc (nota hoc per hoc) sola enim animarum peccati incapax fuit. etc.

Non valet denique tertia solutio, ~~quia~~ primo, quia Patres volentes assignare in Christo causam impeccabilitatis diminute processissent non assignando causam formalem, & immediatam impeccabilitatis. — Secundo quia si ratione unionis Christo debentur ex natura rei visio, & fruitio beatifica, cum quibus non stat potentia peccandi, ~~&~~ etiam ratione unionis exit debitum humanitati quod Deus cum ipsa non currat ad materiale peccati, sed cum hoc debito non stat humanitatem posse peccare peccato cum unione composito, ergo etiam si ~~[illegible]~~ concedamus, quod ex mente Patrum solum convincitur quod ex natura rei debeatur humanitati visio beata, & alia dona Supernaturalia, cum quibus est incompossibilis potentia ad peccandum, tamen ex vi unionis debet inferri impotentia ad peccandum de potentia absoluta. probatur maior quia non est maior ratio cur ratione unionis debeantur humanitati ex natura rei dona positiva, quam carentia mali; imo ista carentia debet esse magis debita, cum ex negatione istius carentiæ sequatur maius præiudicium humanitati quam ex carentia donorum positivorum Supernaturalium. minor etiam est certa quia si stante illo debito ex vi unionis, Deus concurreret cum humanitate ad materiale peccati, concursus ille divinus esset specialis, cum non esset ex generali providentia, cum

potius ita oppositum exigeret, & deinde tunc Deus concurrit concursu speciali & operatur supra exigentiam causæ secundæ. 3.º si humanitati ex vi unionis esset debitum quod Deus non concurreret cum illa ad materiale peccati, & aliunde Deus concurreret, operaretur Deus supra exigentiam humanitatis ergo concurreret concursu speciali. hunc sic ultra. 3.º Deo specialiter concurrenti ad materiale peccati, non posset non attribui peccatum, cum esset causa specialis, & non solum universalis illius, ergo signum quod stante in natura humana ex vi unionis debitum ut cum ipsa humanitate Christi Deus non concurrat ad materiale peccati non stat in humanitate potentia peccandi

§. VI.

Ratione desumpta ex summa, & infinita sanctitate substantiali unionis probatur conclusio.

Hac ratione utuntur communiter nostri thomistæ, & ex aliis eadem utitur Cardinalis Lugo, & Vazquez, & formatur sic: gratia unionis qua sanctificatur substantialiter humanitas, pugnat cum peccato non solum ex natura rei, sed etiam essentialiter, ergo Christus, & eius humanitas est impotens ad peccandum unione cum peccato composita. consequentia patet quia stante essentiali repugnantia inter peccatum, & gratiam unionis eorum coniunctio essentialiter, & ex terminis est impossibilis, & cum ad id quod est essentialiter impossibile nulla detur potentia, sequitur quod nulla detur in Christo, vel in eius humanitate potentia ad peccandum in sensu composito unionis.

Antecedens in quo potest stare difficultas probatur primo a paritate gratiæ sanctificantis, & postea ratione. quia gratia habitualis essentialiter pugnat cum peccato mortali, ita ut nulla sit potentia ad utriusque coniunctionem. ergo potiori titulo gratia unionis, consequentia tenet a minori ad maius etenim ideo gratia habitualis pugnat essentialiter cum peccato, quia est participatio divinæ naturæ. unde subiectum in quo est reddit sanctum, & dignum complacentiæ divinæ, & amoris amicabilis Dei. Sed gratia substantialis & increata unionis, est magis quam participatio divinæ naturæ, cum sit eadem natura divina quæ ut inclusa in personalitate Verbi substantialiter & inse mediate unita humanitati ipsam infinite, & substantialiter sanctificat. ergo potiori titulo quam gratia habitualis pugnat essentialiter cum peccato. maior in præsenti supponitur, ex tractatu de iustificatione & merito. 1. 2. q. 113. & eam tenet communiter universa Thomistarum schola. minorem docuimus supra tract. de Grat. Christi disp. 8. ar. 1. §. V.

Hæc ratio displicet M. Prudentio, & Bernal. unde respondent negando ans. & ad eius probationem negant similiter ans. unde docent gratiam habitualem cum peccato nullam habere repugnantiam. primo quia peccatum est aliquid morale, gratia autem est forma physica. & nequit peragi directa oppositio nisi inter formas vel physicas, vel

morales. = Secundo respondent. quod dato quod inter gratiam & peccatum sit aliqua oppositio, illam exercere nequeunt, cum gratia & peccatum non sint in eodem subiecto cum gratia sit in anima, & peccatum in voluntate, & in nostra sentª. anima, & Voluntas realiter distinguuntur. quod etiam verum est de gratia unionis cum Verbum unitur immediate animæ Christi, non vero voluntati = Tertio quod de conceptu Sanctitatis infinitæ non est reddere quamlibet naturam cui unitur impeccabilem, sed solum naturam propriam qua propter esto summa & infinita Vita sit humanitati unita, non reddit ipsam humanitatem viventem, per ipsam summam vitam, neque illam constituit immortalem, ergo summa & infinita Sanctitas non debet constituere impeccabilem naturam cui unitur, sed solum naturam propriam.

Sed nulla harum responsionem infirmat efficaciam nostræ effor matæ rationis. non prima, quia in primis modo ex præcitato tractª. de iustificat! Supponimus gratiam habitualem, & peccatum essentialem dicitur inter se oppositionem, & non semper omnia probanda sunt, sed aliqua supponenda ut in proprijs locis stabilitur. = Secundo. quia facile potest suaderi talis oppositio essentialis inter gratiam & peccatum. unde falso assumit ad nostram rationem impugnandam talem non oppositionem inter gratiam & peccatum. quæ essentialis oppositio ex dictis in tractª. de iustificat! suadetur. primo, quia peccatum, etiam formaliter & secundum conceptum malitiæ. in probabilissª. sentª. consistit in positivo, videlicet in positivo ordine ad obiectum dissonum rationi, & in positiva deviatione a lege. unde iam peccatum, & habet quid phisicum, & quid morale, sicut & gratia, quæ & est entitas phisica, & habet moralitatem, ergo sufficienter possunt inter se opponi, morale ad morale, & physicum ad phisicum. – Secundo. quia gratia & peccatum. dicunt effectus omnes. tam primarios. quam secundarios essentialiter inter se oppositos, ergo essentialiter inter se opponuntur. ans est pluquam certum. cum effectus primarius gratiæ sit constituere subiectum sanctum, & obiectum congruum divinæ dilectionis amicitiæ, & pro effectu secundario habet constituere subiectum in quo est gratia, filium Dei adoptivum. effectus autem primarius peccati est constituere subiectum malum, & immundum, & obiectum dignum odij & inimicitiæ Dei, & pro effectu secundario, constituit subiectum filium iræ, & indignationis. qui effectus non possunt esse magis oppositi: cum non solum contrarie sed et privative, & proinde contradictorie saltim virtualiter opponantur.

Tertio, quia peccatum non est ens ita absolutum, vel moraliter, vel phisice, quod non habeat habeat aliquam formam sibi contrariam. tam contrariæ, quæ privativæ, quæ & in omni alio genere oppositionis strictæ. unde necessaria concedendum est qd detur vel sit possibilis, aliqua forma cum peccato directe opposita & pugnans, sed nulla alia est congruentior quam gratia. ergo gratia directe opponitur peccato ita ut simul coexistere nequeant.

Secunda solutio etiam non urget. quia esto peccatum immediate & ut quo sit in voluntate, tamen mediate est in anima, unde animæ præstat suos effectus, & similiter gratia & si immediate sit in anima, mediate est in voluntate illamque iustificat.

ergo sufficienter respiciunt idem subiectum. et contrarientur, eo quia contraria sunt circa idem.

Denique Tertia Solutio similiter nullam vim facit. in primis quia modo supponimus humanitatem Christi sanctificari substantialiter summe & infinite, a natura divina ut inclusa in personalitate Verbi, ut late probatum relinquimus ad Tract. de Gratia Xpi predicto disp. 8. ar. 1. unde etsi viventem non possit constituere nisi naturam propriam, tamen sanctificare potest naturam alienam cui unitur ut ergo ad predictum Tract. diximus. & ratio brevissima est, quia vita, in actu primo non potest alicui convenire nisi vel per identitatem, vel per informationem, cum sit predicatum essendi, & nihil est magis intrinsecum alicui quam esse. quo pacto, vita in actu secundo diximus debere esse ab intrinseco viventis. quo pacto probatum reliquimus ad Tract. de Scientia animae Christi Christum Dominum per intellectum creatum non posse intelligere per intellectionem increatam, sicut nec voluntas creata Christi potest amare per amorem increatum. Sanctificare autem, cum supponat esse, potest praestari per formam seu quasi formam unitam. ergo stat quod humanitas Christi possit sanctificari per sanctitatem increatam, & proinde reddi impeccabilem per eandem sanctitatem increatam sibi unitam, esto non possit constitui vivens, nec immortalis per vitam increatam.

Secundo probatur rat. principale antecedens, quia licet gratis admittamus ~~[illegible]~~ sententiam apud Thomistas & apud veritatem falsam, quod gratia sanctificans non habet oppositionem cum peccato, tamen gratia unionis, seu sanctitas substantialis qua infinite sancta est humanitas Christi nequit non dicere oppositionem cum peccato. ergo ex infinita sanctitate humanitatis Christi recte probatur Christum non posse peccare in sensu composito unionis. antecedens seu assumptum probatur, quia ideo in sententia falsa quam gratis admittimus gratia habitualis sanctificans non pugnat essentialiter cum peccato, quia ex se non est sufficiens ad sanctificandum nisi coniuncta cum non esse peccati, sed gratia substantialis, seu gratia unionis de se dicit non esse peccati, & de se est sufficiens ad sanctificandum, ergo esto gratia habitualis sit compossibilis cum peccato. gratia unionis non erit compossibilis cum peccato. maior est fundamentum illius falsae sententiae, quam modo admittimus. & probatur minor, quia nulla sententia potest cum fundamento negare quod est possibilis aliqua sanctitas de se sufficiens ad excludendum peccatum, & de se sufficiens ad sanctificandum, cum in istis predicatis nulla vero similis repugnantia appareat. 3º eo ipso ista sanctitas de se excludens omne peccatum, & de se sufficiens ad sanctificandum convenire debet sanctitati substantiali, qua sancta est humanitas Christi Domini, ergo gratia unionis de se dicit non esse peccati, & de se est sufficiens ad sanctificandum. maior patet & minor probatur, quia sanctitas substantialis in infinitum excedit quamlibet sanctitatem accidentalem, esto fingatur gratia habitualis infinita, cum sit superioris ordinis, nempe ordinis hypostatici, & divini, ergo illi debet convenire quidquid requiritur ad perfecte sanctificandum, sed ad perfecte sanctificandum requiritur non esse peccati, ergo illa sanctitas substantialis de se & ab intrinseco dicit non esse peccati. seu ergo sanctitas de se excludens omne peccatum et de se sufficiens ad sanctificandum est sanctitas substantialis qua sancta est humanitas Christi

Confirmatur primo quia ad effectum positivum alicuius formæ sequi essentialiter et inseparabiliter non esse alterius, est quid possibile, et pluribus formis conveniens. ut de se liquet. etenim ad evidentiam alicuius obiecti, sequitur non esse fidei, vel opinionis circa illud, et ad amorem alicuius, sequitur non esse odium circa idem, et ad esse formæ cadavericæ, sequitur non esse formæ viventis et econtra, et in aliis plurimis constat, ergo possibile est quod ad esse sanctum substantialiter sequatur non esse peccati, ergo convenit hoc sanctitati qua substantialiter sancta est humanitas Christi.

Confirmatur secundo. quia esse humanitatem deificatam, et esse coniunctam substantialiter in eadem persona, cum sanctitate per essentiam, vel ut loquuntur Patres esse plenam substantia unguenti. et in se illam continere, quod utique est summum in linea sanctitatis, et revera convenit humanitati ex vi unionis ad Verbum, intelligi non potest cum coexistentia peccati et cum eius fœditate et immunditia. quæ enim conventio lucis ad tenebras, Christi ad Belial? si enim fides, et scientia, opinio et scientia, amor et odium, ad invicem se excludunt quomodo purissima sanctitas, quæ maior excogitari nequit, immunditiam, et fœditatem peccati non debet excludere. ex suis prædicatis intrinsecis.

Confirmatur Tertio. quia sanctitas increata, non solum constituit divinam naturam sanctam, sed etiam positive, et prædicatum essentiale, etsi negativè dicit non esse peccati, ergo ut communicatam præstare debet hoc idem prædicatum

Tertio probatur idem principalis antecedens. quia gratia unionis saltem ex natura rei opponitur cum peccato, ergo et de potentia absoluta coexistere nequeunt. ante videtur non posse negari sine temeritate et insuper paritate gratiæ habitualis constat. si enim gratia sanctificans saltem naturaliter excludit peccatum, ut negari nequit sine ingenti periculo, potiori titulo hæc oppositio debet concedi gratiæ unionis, cum sit maior sanctitas, quam sanctitas gratiæ habitualis. consequentia autem probatur quia si gratia unionis ex natura rei opponitur cum peccato, et illud excludit, et illud de potentia absoluta non excludat videtur necessario quod fieri nequeat sine speciali influxu Dei conservativo peccati, et sine speciali affectu erga peccatum, quod utrumque repugnat Deo. impedire enim quod aliqua forma non excludat aliam quam ex natura rei potest excludere, nequit fieri sine speciali influxu conservativo formæ excludendæ, ut non excludatur.

Dices quod esto gratia habitualis ex natura rei excludat peccatum, de potentia absoluta illud non excludit, ergo idem in gratia unionis sed contra, quia in hoc stat repugnantia illius sententiæ quod gratia habitualis connaturaliter excludat peccatum et quod de potentia absoluta possit fieri quod illud non excludat. ac proinde constanter in schola veritatis videlicet in schola D. Thomæ dicitur quod gratia et peccatum de potentia absoluta nequeunt componi. unde ista probatio habet vim in nostra vera sententia quod nobis sufficit. cohæreat vel non cum aliis falsis doctrinis.

§ VII.

Corollaria quædam ex dictis.

Infertur gratiam unionionis pugnare cum quolibet peccato, sive originali, sive personali actuali, vel habituali, mortali, vel veniali. et quantum ad peccatum mortale, sive personale actuale, vel habituale patet, cum omne peccatum mortale constituat hominem filium iræ, et dignum pœnæ æternæ. et dignus odii Dei, gratia autem unionis constituit Christum filium naturalem Dei, dignus amoris, et gloriæ. quæ omnia maximam oppositionem dicunt. quoad peccatum originale etiam patet cum sit peccatum mortale. et constituat hominem filium iræ.

De peccato veniali etiam constat, cum summa sanctitas omnem displicentiæ excludat, et peccatum veniale dignum est alicuius displicentiæ. rursus peccatum veniale aliquam displicentiæ includere, contradictorie opponitur, ad hoc omnem displicentiæ excludere.

Sed dices quod peccatum originale videtur posse convenire humanitati Christi, assumptum probas quia ad hoc sufficit quod voluntas humanitatis Christi contineatur in Adamo.

Respondeo negando assumptum, et ad probationem respondeo, negando suppositum, negando nempe quod voluntas Christi posset nec de potentia absoluta contineri in voluntate Adami ut subiiceretur peccato, illoque macularetur, et si quoad meritum præscindamus pro nunc, vel concedamus quod poterat de potentia absoluta contineri, et ratio est: quia illæ solæ voluntates potuerunt contineri in voluntate Adami ut in capite, et ut subiectæ peccato, quæ potuerunt peccare peccato personali. Sed voluntas humanitatis Christi non potuit peccare peccato personali, ergo nec contineri ut subiecta peccato capitali, et originali.

Replicabis voluntates posterorum ut præcontentæ in voluntate Adami peccare non poterant peccato personali, et tamen potuerunt præcontineri ut subiicibiles peccato capitali, seu originali, ergo et si voluntas humanitatis Christi non potuisset peccare peccato personali; potuit præcontineri in voluntate Adami ut subiicibilis peccato capitali, seu originali. Respondeo distinguendo ans. voluntates posterorum ut præcontentæ in voluntate Adami non poterant peccare peccato personali, ex defectu status requisiti ad personaliter peccandum. concedo ans, ex defectu potentiæ, seu ratione alicuius impedimenti intrinseci nego. et ~~[illegible]~~ nego consequentiam. quia voluntas humanitatis Christi non solum non poterat peccare ex defectu status, sed ratione impedimenti intrinseci, videlicet unionis hypostaticæ. Dices quod poterat humanitatis Christi voluntas præcontineri in voluntate Adami prout in signo præcisionis ab unione hypostatica, seu considerata humanitate, et eius voluntate, pro priori ad unionem. in quo signo non intelligitur impedimentum intrinsecum ad peccandum proveniens ab unione.

Respondeo quod humanitas Christi eiusque voluntas pro illo signo habet aliud impedimentum intrinsecum, ad non posse peccare. videlicet; quia est præcisa a subsistentia et personalitate, quæ essentialiter requiritur ad operandum. cum actiones sint suppositorum.

Infertur secundo, quod si Verbum uniretur alicui humanitati ante unionem existenti, et etiam infectæ peccato originali, imo et personali, in signo unionis illam mundaret intrinsece a peccato, ratione incompatibilitatis sanctitatis substantialis, quæ sanctitatum omnium summa, et maior est.

§. VIII.

Solvuntur argumenta specialer contra istam rationem pugnantia.

Obiicies. Peccatum non potest excludi ab humanitate ex vi Sanctitatis Substantialis, gratiae agratia Unionis. ergo non probatur recte impeccabilitas Christi ex vi gratiae unionis. antecedens probatur. Si peccatum excluderetur ab humanitate Christi ex vi Sanctitatis Substantialis, excluderetur ex vi formae, seu quasi formae praestantis Sanctitatem Substantialem, sed ex vi formae praestantis Sanctitatem Substantialem non potest excludi peccatum ab humanitate Christi, ergo peccatum non potest excludi ab humanitate Christi ex vi Sanctitatis Substantialis. probatur minor forma seu quasi forma praestans Sanctitatem Substantialem humanitati Christi, est Divinitas. ut inclusa in Personalitate Verbi. in nostra, et communiori Thomistarum Sententia, sed peccatum excludi non potest ab humanitate ex vi Deitatis seu naturae divinae inclusae in personalitate Verbi, ergo ex vi formae praestantis humanitati Christi Sanctitatem Substantialem, non potest excludi peccatum ab humanitate Christi. probatur minor quia peccatum excludi non potest nisi per phisicam mutationem Subiecti, qua propter per extrinsecam condonationem non potest remitti peccatum in communiori Thomistarum sententiam, sed per Deitatem non mutatur physice humanitas, cum Deitas nullum effectus phisicum tribuat humanitati, adsummum humanitas per Deitatem solum moraliter mutatur, cum ad summum effectum moralem tribuat Deitas humanitati, ergo peccatum excludi non potest ab humanitate ex vi Deitatis.

Confirmatur. quia si vera est sententia quam supra docuimus, nempe si verum est quod Personalitas pro explicito relativis personalitatis non sanctificat humanitatem Christi, sed Deitas in personalitate inclusa sequitur, quod sit possibilis hypotesis, in qua compossibilis sit Christus cum peccato in humanitate assumpta. assumptum suadeo. quia in hypotesi quod uniretur humanitati sola personalitas Verbi humanitati, sine eo quod nec mediate uniretur Deitas, posset componi peccatum cum Personalitate, in humanitate videlicet per Personalitatem terminata quando quidem Personalitas non posset excludere peccatum cum ex te forma sanctificans non sit. ergo esset possibilis casus in quo componeretur peccatum in humanitate in sensu composito unionis.

Respondetur negando ans. et ad probationem negatur minor, et deinde etiam negatur minor, et ad probationem distinguo maiorem, peccatum non potest excludi nisi per phisicam mutationem subiecti. seu per formam phisice immutantem subiectum, sic ut sermo sit ad praestandum non esse peccati, et positivam sanctificationem utique accidentalem, in pura creatura, cuius accidentalis sanctificationis est unice capax pura creatura, concedo maiorem, si de sanctificatione Substantiali in homine Deo, non potest fieri nisi per formam phisice immutantem, ~~mediata vel immediate~~ subdistinguo immutantem phisice, sub formali conceptu Sanctitatis nego maiorem, immutantem phisice praesupposita unione phisica mediata vel immediata concedo, semper ~~med~~ immediata unione nego maiorem, et distinguo

Ad per Deitatem non mutatur phisice humanitas sub expresso sanctificationis conceptu omitto minorem identice & praesuppositive, subdistinguo phisice immediate concedo, phisice mediate nego minorem & consequentiam. Explicantur distinctiones, dicimus ergo quod ad sanctificandum puram creaturam, requiritur forma accidentalis, videlicet gratia, qua intrinsece mutatur creatura, unde cum per condonationem extrinsecam nihil ponatur in creatura, [illegible] non potest remitti peccatum, sed ad summum potest Deus cedere ius quod habet contra creaturam, & illam odio non habere, cum iste actus sit actus liber Dei, a quo potest cesare quando voluerit. verum non esse peccati in creatura non potest poni cum consistat in carentia privationis gratiae, quae carentia gratiae auferri non potest nisi per gratiam. & in sententia contraria quae in peccato non cognoscit ut essentialem talem carentiam, poterit tolli non esse peccati per illam condonationem extrinsecam. at vero adhuc per talem extrinsecam condonationem creatura non erit sancta positive, cum ista sit formalitas positiva, quae produci non potest in creatura per condonationem extrinsecam Dei, cum ista solum dicat & cesare Deum in odio, & cesare in Deo ius contra illam ad illam puniendam, non vero poterit esse ex vi condonationis amor in Deo erga illam creaturam, quia amor Dei cum sit effectivus requirit non producere in creatura aliquid. & hoc aliquid dicimus quod est gratia qua constituitur creatura amoris digna. Ad sanctificationem autem substantialem, qualis utique est sanctitas Christi Domini, & cuius solum creatura intellectualis assumpta ad divinum esse, per unionem alicuius praedicati divini, puta personalitatis, vel naturae, aut subsistentiae absolutae requiritur etiam mutatio phisica creaturae, v. g. humanitatis. at ista mutatio non praestatur formalissime a praedicato divino sanctificante sub conceptu sanctificantis. quia prout sic solum praestat mutationem moralem, mutatio ergo phisica praestatur a praedicato divino sanctificante praesuppositive. quia ut sanctificet debet praesupponi unio phisica illius praedicati divini sanctificantis, & rursus ista unio phisica quae praesupponitur non exigitur quod sit immediata, sed sufficit mediata, cum esto mediate uniatur, revera uniatur. & revera phisice immutet, ut patet in humanitate, quae est mutata phisice & per personalitatem Verbi, & per naturam divinam. (mutatione utique [illegible] acceptam, ut alibi explicuimus) quia humanitas transit de non esse personam divinam, seu de non componere phisice personam divinam, ad phisice componere illam, & ad esse coextremum cum natura divina componens personam Christi; quae ut alibi docuimus est composita ex natura divina & humana, & ex personalitate, ut ex extremis, & sic non ut ex partibus.

Ad Confirmationem Respondeo in primis quod est hypothesis impossibilis fingere quod uniatur humanitati v. g. personalitas Verbi, & quod mediate non uniatur natura divina, ob identificationem essentialem. Caeterum admissa hypothesi disputationis gratia, & ut magis veritas, & efficacia nostrae rationis dignoscatur, [illegible] Respondeo in duplici modo. primo quod etiam est probabilis sententia affirmans personalitatem etiam pro explicito relativi esto ad intra perfectionem non dicere, porro tamen ad

extra sanctificare, & in hac sent.a est facilis responsio, cum ex se eo quia forma sanctificans excludat peccatum, unde est impossibilis coniunctio personalitatis, & peccati in eadem humanitate, v.g. – Verum quia mihi probabilior est sententia negans personalitatem posse sanctificare, unde supra docuimus humanitatem Christi sanctificari a deitate in personalitate Verbi inclusa. Respondeo quod in illa hypothesi, etsi que impossibili, adhuc esset incompossibile peccatum in sensu composito unionis inter personalitatem, & humanitatem, quia personalitas divina etsi formaliter sanctitas non sit, non potest non esse sanctitatem quasi identice, vel adminus non potest non includere ut praedicatum sibi essentiale non esse peccati, quod non esse peccati non est adhuc sanctitas formalis, cum ad sanctitatem praeter non esse peccati requiratur, effectus positivus sanctitatis, videlicet constituere subiectum dignum positive divini amoris, quae dignitas positiva divini amoris evidenter non includit solum non esse peccati, cum in pura natura non elevata ad esse supernaturali, posset dari & non esse peccati, & adhuc non esse dignam amoris supernaturalis Dei.

Obiicies secundo. Si humanitas Christi redderetur impeccabilis ex unione, ex vi unionis nullam potentiam haberet ad peccandum, s.d etiam in sensu composito unionis habet aliquam potentiam ad peccandum, ergo humanitas Christi ex vi unionis non redditur impeccabilis. probatur minor humanitas Christi in sensu composito unionis, potest peccare venialiter. sed posse peccare venialiter est aliqua potentia ad peccandum ergo etiam in sensu composito unionis habet aliquam potentiam ad peccandum. probatur maior. quia humanitas Christi non est ita sancta sicut Deus, ergo non excludit sicut Deus omnem potentiam ad peccandum. s.d si non excludit sicut Deus omnem potentiam ad peccandum potest peccare saltim venialiter. ergo in sensu composito unionis potest peccare venialiter.

Respondetur humanitatem Christi esse omnino impeccabilem unde nec venialiter peccare potest. Si enim gratia sanctificans, ut consumata per gloriam excludit omnem potentiam ad peccandum, unde incompossibilis est cum peccato etiam veniali, potiori titulo hanc excellentiam debet habere gratia unionis cum infinite supperet gratiam habitualem etiam ut consummatam per gloriam. unde in forma negatur minor, & ad probationem negatur maior, & ad probationem [illegible] admisso antecedenti non absolute sed ly sicut + ... ergo omnimodam aequalitatem, negatur minor cum consequentia, + Et sicut videlicet dicendo omnimodam aequalitatem, negatur minor nam licet Deus excedat in sanctitate humanitatem, quia Deus est sanctus per essentiam non ut cumque sed a se, & per identitatem, & humanitas etsi habeat unitam sanctitatem per essentiam, illam tamen non habet per essentiam, seu a se & per identitatem sed unitam, & per gratiosam communicationem.

Replicabis idcirco Deus excludit etiam peccatum veniale, quia est sanctus per essentiam, s.d humanitas non est sancta per essentiam. ergo non excludit peccatum veniale. Respondeo, distinguo minorem s.d humanitas non est sancta per essentiam, si ly non est dicat quod non habet a se sanctitatem per essentiam concedo minorem, si ly non est dicat quod non habet unitam per liberalem communicationem sanctitatem per essentiam nego minorem. & consequentiam

§. IX.

Ratione desumta ex obligatione in Verbo, regendi, & gubernandi humanitatem probatur conclusio.

Utuntur hac rat.e Thomistę fere omnes, etiam antiqui ut Capreolus in 3. dist. 12 q. unic. art. 5. & ex alienis Suarez & alij contra P. Vazquez. & videtur quod hęc ratio continetur seu deducitur ex precitata 6 Synodo gen.li supra §. 4. ut constat ex verbis ibi relatis, quę incipiunt: quia quemadmodum corpus nostrum regitur. – Similiter ratio presens insinuata est a SS. presertim Ambrosio & Epiphanio. Ambrosius enim lib. de Incarnationis dominicę sacram.to cap. 6. ait: Qui alios regebat, se regere ipse non poterat? Epiphanius autem ubi supra* ait. quia Verbum virtute sua frenabat inferiorem naturam, ab omni instili carnali motu. & iterum: Sicut superne perfectum est, etiam inferne, quod si inferne imperfectum esset etiam superne.

in Anchorato non longe a fine.

Consonat D. Th. in 3. dist. 12. q. 2. ar. 1. in corpore. & ad Anibaldum etiam dist. 12. q. unic. ar. 3. ubi sic ait: * Humanitas peccare non potuit, quia fuit instrumentum Divinitatis eam moventis, Divinitas autem non poterit illam ad malum movere * quę ratio non sic accipienda est quod humanitas in omnibus suis operationibus proprie fuerit instrumentum Divinitatis. S. ita ut sensus sit, quia sicut instrumentum non agit nisi ut motum a principali agente ita humanitas Verbo unita in omnibus suis actionibus Divinitati ut regenti, & gubernanti subordinatur.

Construitur ergo presens ratio sub hac forma: Si humanitas Verbo unita peccaret, in illud peccatum haberet ~~[illegible]~~ Verbum, & Deus in se ipso specialem influxum, S.d influxus specialis in peccatum Deo repugnat, ergo humanitas Verbo unita non potest peccare. probatur Maior, ille dicitur influxum specialem, & proprium habere in peccatum, qui tenetur regere, & gubernare & impedire ne sequatur peccatum, S.d ex vi unionis incumbit Verbo, & Deo in se ipso obligatio regendi, & gubernandi humanitatem, impedire ne in humanitate sequatur peccatum, & ergo si humanitas Verbo unita peccaret in illud peccatum haberet Verbum, & Deus in se ipso specialem influxum. maior est nota ut patet in peccatis commissis elicitive ab appetitu sensitivo, quę iure attribuuntur intellectui, & Voluntati rationali, & patet in peccatis corporalibus quę iure attribuuntur animę, & in peccatis filiorum quę Patri attribuuntur, & in peccatis uxoris, quę iure attribuuntur mariti, & in peccatis servorum, quę domino attribuuntur. minor ergo in qua stat difficultas probatur: quia quando aliqua duo comparantur ut inferior, & superior ratio, ista illam regere & gubernare tenetur, & impedire ne inferior in peccatum labatur, si ratio inferior & superior in eadem persona conveniunt, S.d natura divina, & humana, comparantur ut ratio inferior, & superior ~~[illegible]~~ uniuntur in eadem Christi persona, seu in eadem persona Verbi uniuntur, ergo, Verbum, & natura divina tenentur regere, & gubernare

humanitatem ne labatur in peccatum. maior patet exterminis & insuper roboratur exemplis. quia Corpus, & anima comparantur ut inferius, & superius, anima tenetur regere, & gubernare corpus ne labatur in peccatum. Similiter quia appetitus sensitivus, & rationalis in eadem persona persona uniuntur, & comparatur, ut ratio inferior, & Superior appetitus rationalis tenetur regere, & gubernare appetitum sensitivum.

Dices cum P. Vazquez cui displicet hæc ratio, forte quia illa utuntur communiter Thomistæ tam antiqui quam moderni, vel quia fundatur & colligitur ex Concilijs, & P.P. quod ratio ob quam anima tenetur regere & gubernare corpus, & appetitus rationalis, sensitivum, appetitum non est quia in eadem persona uniuntur sed quia Corpus & appetitus sensitivus non habent alium intellectum neque alia cognitione utuntur, quam intellectus animæ, & appetitus rationalis. Natura autem divina, & humana, & si in eadem persona Verbi uniantur quælibet habet suum propium intellectum, & Voluntatem, unde intellectus divinus nec voluntas divina tenentur gubernare, & regere humanitatem,

3.º Contra. quia si aliquid ad summum convinceret ista impugnatio P. Vazquez esset quod naturæ divinæ hæc obligatio gubernandi, & regendi humanitatem non incumberet, non vero convincit quod Personæ Verbi hæc obligatio non incumbat. cum Personæ nequeat non incumbere obligatio eadem, quæ incumbit naturæ, & potentijs. aliunde Persona non haberet ius ad premium, debitum naturæ operanti, nec persona deberet puniri ob demerita naturæ. quod nullus sanæ mentis dixit. & cum non minus inconveniens sit quod Verbo incumbenti obligationem regendi humanitatem, attribuatur peccatum, quæ naturæ divinæ, inde est quod hæc impugnatio nullius roboris sit.

Deinde neque illud probat, quia Pater & filius Dominus & servus, maritus, & Uxor, tutor & pupilus, & alij similes, habent diversos intellectus & Voluntates, & tamen superiori incumbit obligatio inferiorem regendi, ergo, quod natura divina & humana, diversos habeant intellectus, & Voluntates, non probat quod natura divina non teneatur speciali obligationi regendi, & guvernandi humanitatem.

§. X.

Argumenta contra istam rationem fundatam in regimine, specialiter obsistentia solvuntur.

Obiicies primo, cum Vazquez ex Durando, & est resplica præcedentis doctrinæ. Ex eo quod in creatis Pater teneatur peccata Filij vitare, Dominus peccata servorum, tutor pupili, & Maritus peccata uxoris,. non sequitur Deum teneri ad humanitatem regendam ne peccet, ergo ratio facta non probat. ans probatur, quia in creatis Pater, & similiter alij in sibi subditis, tenetur non solum peccata filij vitare, sed etiam mala phisica, ut mortem filiorum, & alia damna, & tamen Deus non tenetur huius modi mala phisica in humanitate vitare, ergo ex creatis ad Deum, non infertur obligatio.

Confirmatur quia in creatis Pater, non solum tenetur vitare peccata filij naturalis, sed etiam peccata filij adoptivi. & tamen Deus non tenetur peccata filij adoptivi vitare, alias iustus, qui utique est filius Dei adoptivus peccare non posset, ergo idem quod prius.

Respondetur negando antecedens, & ad probationem, & ad probationem distinguo maiorem Pater creatus (& idem dico de alijs) tenetur vitare non solum peccata filij sed etiam mala physica, v. g. mortem, & infirmitatem filij, quando filius ipsa damna tenetur fugere, concedo maiorem; quando non tenetur filius fugere, sed potius ea debet sustinere, pro veritate, vel pro iustitia, vel pro fide, nego maiorem & distinguo minorem S.d Deus non tenetur vitare mortem in humanitate, ut suffe-rendam & sustinendam pro satisfactione & redemptione hominum concedo minorem, alio modo nego minorem, & consequentiam, quando enim filius ratio-nabiliter tenetur ad mortem vel alia damna physica sustinenda pro Christo, & pro veritate, Pater creatus non tenetur vitare in filio illa damna, sic ergo similiter Deus non tenetur ad vitandam mortem & passionem Christi quia nihil ratio-nabilius quam satisfacere iustitiæ divinæ læsæ per peccatum, & redimere genus humanum a servitute Dæmonis: unde potius ex hoc roboratur nostra ratio.

Ad Confirmationem

Respondetur concessis præmissis negando consequentiam, & ratio disparitatis est, quia filios adoptare convenit Deo titulo primæ causæ, & cum alias permittere pecca-ta increaturis intellectualibus & illis offerre concursum ad materiale peccati etiam conveniat Deo titulo primæ causæ, & iste titulus sit in Deo prior priori ad titu-lum adoptandi, cum iste titulus sit voluntarius, & prior naturalis, inde est quod ius offerendi concursum ad materiale peccati, & permittendi peccata non potest impediri ab alio prædicato convenienti Deo etiam ratione tituli primæ causæ. terminare humanitatem non convenit Deo titulo primæ causæ; sed ratione proprietatis relativæ, supponendo decretum de volitione incarnationis, qui ti-tulus impedit consequenter, & ex libera voluntate Dei ne detur concursus primæ causæ offerendo humanitati concursum ad materiale peccati. & Deum necessitate con-sequenti, provenienti a potentia antecedenter libera Deo necessitari ad aliquid non est inconveniens, imo est maxima perfectio, ut in multis exemplis ostendi potest nam Deus est omnino liber ad conferendam gloriam, & tamen ex suppositione Deo libera, videlicet pacti, & meritorum existentium in creatura, quæ utique merita libere fuerunt a Deo collata creaturis, dando illis gratiam, media qua merita possent mereri, non potest Deus impotentia consequenti non dare gloriam. = Simi-liter liberum est Deo quod existat vel non existat consensus, & tamen si ex quo physice præmovet ad consensum, vel in sententia contraria, semel quod supposita scien-tia media consensus sub auxilio a indifferenti, offert auxilium a, non potest non existere consensus. & Deus est impotens impotentia conseq. illum vitare. Sic simili-ter in nostro casu, liber est Deus, in decernenda incarnatione, at supposita volun-tate efficaci illius, necessitatur Deus, ad regendam humanitatem, unde illi non potest offerre concursum ad materiale peccati.

Sed replicabis coniunctio humanitatis ad Verbum convenit etiam Deo, titulo primae causae, sed ex concessis nus conveniens Deo titulo primae causae, quale est permittere peccata, et concursum praestare ad materiale peccati, non potest impediri ab alio titulo convenienti Deo titulo primae causae, ergo potest Deus uti iure suo offerendo humanitati concursum ad materiale peccati; probatur maior, Verbum posse humanitati uniri seu coniunctio humanitatis ad Verbum, convenit Verbo ex eodem principio ex quo illi convenit humanitatem assumere sed posse assumere humanitatem convenit Verbo ratione omnipotentiae, ut docet D. Th. in hac 3. p. q. 3. ar. 1. et 2.

Resp. negando maiorem. ad probationem distinguo et explico maiorem, Verbum uniri humanitati + convenit Verbo. ex eodem principio ex quo ei convenit assumere, sumpto li assumere adequate nego maiorem, sumpto li assumere inadequate et solum ex parte termini concedo maiorem, sed assumere convenit ratione omnipotentiae sumpto li assumere ex parte principii concedo minorem, sumpto ex parte termini nego minorem et consequentiam; assumere ergo duo dicit et actionem assumptivam, et terminare, sumpto ex parte principii seu actionis convenit ratione omnipotentiae, ac proinde titulo primae causae sumpto ex parte termini, secundum quod dicit terminare non convenit Verbo ratione omnipotentiae sed ratione personalitatis seu proprietatis relativae, qui titulus est specialis Verbo, et non communis qualiter est communis titulus primae causae.

Obiicies secundo. Permittere peccata convenit Deo ratione supremi dominii, sed etiam supposita unione humanitatis ad Deum manet Deus supremus dominus respectu humanitatis, ergo et potens permittere illi peccatum. et per consequens non potest Deus manere obligatus ad regendam humanitatem ne peccet.

Confirmatur primo quia Deum teneri et obligari ad non permittendum peccatum est imperfectio, ergo sub nulla hypothesi potest Deo convenire. ans probatur, quia illa obligatio intelligi nequit sine subiectione ad legem, sed subiici ad legem est maxima imperfectio, Deo repugnans. ergo Deum teneri, et obligari ad non permittendum peccatum est imperfectio. Nec effugies difficultatem si dicas quod obligatur et tenetur Deus ad non permittendum peccatum ex vi unionis, et illa supposita, quia potius hoc effugium est illud quod arguit imperfectionem Deo indignam, assumptus suadetur, quia Deum obligari ab aliquo extra se, est maxima imperfectio, repugnans eius supremo dominio.

Confirmatur secundo, quia obligatio ad humanitatem regendam, et gubernandam, neque immediate, et ex aequo convenit omnibus tribus divinis personis, nec soli Verbo, nec denique Verbo immediate, et Patri, et Spiritui Sancto mediate ergo talis obligatio non datur. antecedens quoad singulas partes probatur, et in primis obligatio regendi humanitatem non potest immediate tribus personis convenire quia haec obligatio si aliqua est est ex vi unionis, sed unio non est communis, ergo neque obligatio. deinde obligatio si aliqua est non potest soli Verbo convenire quia

obligatio convenit Deo ratione intellectus, et voluntatis, et proinde ratione omnipotentie perquam gubernat, s.t intellectus, voluntas, et omnipotentia sunt attributa absoluta immedia, et ex eque convenientia huic Deo, seu tribus personis, ergo obligatio non potest Soli Verbo convenire. et denique nec obligatio regendi humanitatem potest Verbo immediate, et alijs mediate convenire, quia ut dicebamus, obligatio cadit supra potentiam gubernandi, que est omnipotentia communis utique omnibus personis divinis.

Adhoc argumentum, desumptum ex Durando, in quo maxime fidit P. Vazquez Respondetur concessa maiori, et minori distinguo primum consequens. ergo et potens est Deus permittere humanitati peccatum, potens potentia antecedenti, et exterminis, absolute loquendo, concedo consequentiam, potens potentia consequenti, et in hypothesi, et sub conditione unionis hypostatice Deo simpliciter libere, nego consequentiam, et similiter nego secundam subsillatam consequentiam, manet enim Deus obligatus ad regendam humanitatem, obligatione fundata in suo libero decreto decernente unionem, unde obligatur ex vi unionis, non ut ex ratione formali; sed ut ex termino, seu signo nobis manifestante decretum Dei liberum ex quo oritur formaliter obligatio.

Et per hoc patet ad Confirmationem. Respondeo ergo ad primam Confirmationem distinguendo antecedens. Deum teneri, et obligari ad non permittendum peccatum est imperfectio, si obligatio oriatur formaliter ab aliquo extra Deum, et presertim ipsi non liberum concedo antecedens si obligatio oritur ab ipso Deo, et fundatur in decreto ipsi libero nego ans. et consequentiam et instatur in Beatis, quibus Deus tenetur offerre concursum solum ad bene operandum et nullo modo ad materiale peccati, sunt enim impeccabiles ratione visionis, que obligatio cum fundetur in decreto Dei libero, determinante et decernente visionem, in sensu composito illius Deus manet obligatus ad offerendum illis concursum solum ad bene operandum = qua solutione manet preocupata obiectio quam interponit P. Vazquez, ex solutione, quam ipse credebat dandam esse a Thomistis, dicimus ergo quod formaliter et directe non obligatur Deus ad humanitatem regendam, ex vi unionis, quippe ex ex unione obligatur est ex termino seu ut melius dicam ex signo nobis demonstrante principium formale ex quo oritur obligatio in Deo, quod principium formale est decretum Dei ipsi liberum, quo decernit unionem hypostaticam.

Ad secundam Confirmationem Respondetur obligationem regendi, et gubernandi humanitatem, convenire immediate, et ex eque huic Deo proinde que tribus personis, et non Soli Verbo — Neque obstat quod unio conveniat Soli Verbo. quia, velle hanc unionem, in quo decreto fundatur obligatio, convenit immediate et ex eque huic Deo communi tribus personis. atque adeo obligatio.

Et instatur: quia ratione unionis ad Verbum, consurgit in Deo obligatio saltim congruentie, ut docet Scotus, vel connaturalitatis, ut docent alij, ditandi humanitatem donis gratie, et visione beatifica, que obligatio convenit immediate huic Deo ut tribus personis communi quamvis unio sit Soli Verbo conveniens = Rursus ex operibus Christi, ratione

coniunctionis specialis ad Verbum consurgit in nostra sententia, ut supra vidimus obligatio vigoris iustitiæ, & in sententia P. Vazquez, gratitudinis, quæ obligatio est communis tribus personis, etsi unio operationum Christi sit respectu solius Verbi. Denique in sententia P. Vazquez gratia substantialis unionis reddit humanitatem impeccabilem, & per consequens infert in Deo obligationem auxiliandi semper ad bonum, quæ obligatio convenit huic Deo ut tribus personis communi, ergo quamvis unio sit soli Verbo propria, ex unione resultant diversæ obligationes huic Deo ut communi tribus personis convenientes.

Nec valet dicere, quod hæc nova obligatio regendi humanitatem infert mutationem in Deo, cum ante unionem illam non haberet, unde aliter realiter est nunc quam prius, ut arguit P. Vazquez. Non inquam hæc obiectio est alicuius momenti, neque leviter infert mutationem in Deo, cum hæc nova obligatio fundetur formaliter ut dicebamus in Dei decreto libero, sicut non potest argui aliqua mutatio in Deo ex decreto quocumque alio, nam in signo priori ad decretum de productione huius mundi, v.g. & nolitio[nis] alterius mundi, poterat Deus velle alium mundum, & istum nolle, & tamen in signo decreti formati, iam non potest potestate consequenti nolle hunc mundum & alium velle, & hoc sine umbra mutationis, ergo similiter in nostro casu.

Obiicies denique tertio contra istam rationem. Ratio quæ supponit probatum, quod intendit probare, inutilis, & insufficiens est ad intentum, sed ratio efformata supponit probatum, quod probare intendit, ergo est inutilis, & insufficiens ad intentum. Maior videtur nota, si enim ut ratio efformanda veritatem habeat, debet supponi veritas illius quod probare intenditur, tantum abest quod sit efficax ad probandam veritatem, quin potius, suam veritatem emendicat, & participat ex veritate conclusionis quæ supponitur probata. Minor autem probatur, quia ratio efformata cum sit fundata in obligatione ex parte Dei regendi, & gubernandi humanitatem, supponit humanitatem Christi esse impeccabilem ex vi unionis, sed hanc impeccabilitatem probare intendit, ergo supponit probatum, quod assumit probandum. Probatur maior, quia illa obligatio in Deo cognoscitur, & probatur, ex impeccabilitate humanitatis ex vi unionis, ergo ratio efformata in obligatione ex parte Dei regendi humanitatem supponit humanitatem esse impeccabilem.

Confirmatur, quia obligatio regendi, & gubernandi humanitatem, ne ~~[illegible]~~ peccet, nedum est inutilis, sed & impossibilis, ergo non datur, nec probatur. Obligatio ad regendum ne peccatur impossibile, inutilis & impossibilis est, sed est impossibile humanitatem peccare ~~[illegible]~~ in sensu composito unionis, ergo obligatio regendi, & gubernandi humanitatem ne peccet nedum est inutilis, sed etiam est impossibilis.

Respondeo ad argumentum, quod ad probandam, & suadendam in Deo obligationem regendi, & gubernandi humanitatem, non sumitur pro medio impeccabilitas humanitatis, seu incompossibilitas unionis cum peccato, sed sumitur pro medio perfectissima

coniunctio humanitatis ad Verbum, ex qua perfectissima coniunctione duo inferuntur, & utrumque immediate, primum obligatio in Deo regendi humanitatem, secundum Sanctificatio humanitatis, & incompossibilitas unionis cum peccato, ex qua obligatione regendi humanitatem, etiam infertur incompossibilitas unionis cum peccato, seu impotentia in humanitate ad peccandum in sensu composito unionis. ad quam obligationem suadendam ex coniunctione humanitatis ad Verbum, usi sumus paritatibus supra efformatis. de Patre respectu filij. marito ad uxorem, Domino ad servum, & alijs. — Vnde ad argumentum in forma Resp°. concessa maiori, nego minorem, & ad probationem nego maiorem, ad cuius probationem nego etiam maiorem, quia ut dicebamus illa obligatio non probatur ex impeccabilitate. s^d. ex coniunctione humanitatis ad Deum.

Ad Confirmationem Respondeo nego antecedens. & ad probationem, distinguo antecedens, obligatio ad regendum ne ponatur impossibile in utilis, & impossibilis est. Si impossibile est tale simpliciter & ex terminis, & nulla facta suppositione concedo maiorem, si solum impossibile est tale sub hypotesi, & ex suppositione nego maiorem, s^d. est impossibile humanitatem peccare in sensu composito unionis, impossibilitate orta ex suppositione unionis concedo minorem, impossibilitate orta absolute, & nulla facta suppositione unionis, seu ex predicatis intrinsecis humanitatis nego minorem, & consequentiam.

Secundo & facilius respondetur ad argumentum cum sua confirmatione quod presens ratio efformatur, non ad probandam simpliciter impeccabilitatem quando impeccabilitas supponitur probata ex vi unionis, sed formatur hęc ratio. contra plures Theologos asserentes humanitatem ex vi unionis non esse impeccabilem, & proinde convincitur eius impeccabilitas ex obligatione in Deo regendi humanitatem, qua obligatione supposita, & stabilita ex coniunctione humanitatis ad Deum, & roborata paritatibus factis, suadetur impotentia in humanitate ad peccandum, cum non possit habere concursum ex parte Dei oblatum ad materiale peccati, sine quo concursu est impotens ad operandum.

Sed contra omnia hęc restat argumentum difficile, de lesione libertatis, quomodo humanitas libera sit ad bene operandum, & ad meritum quod fundatur in operatione bona, & libera, si impotens est ad male operandum, & illi impossibilis operatio mala ex defectu concursus requisiti ad male operandum. S^d. hoc argum^m exigit longam disputationem, unde ex professo instituetur postea specialis disputatio quomodo componatur libertas, cum impeccabilitate.

Nota hoc.

§. XI.

Denique probatur impeccabilitas humanitatis Christi, ex eo quod est impossibile, quod Vebum vt in humanitate subsistens, sit, & denominetur peccans.

Similiter utuntur hac ratione Thomistæ omnes, etiam antiqui, ut Capreolus, Caietanus, & alij, & ex extraneis illa utuntur Suarez, & alij ex Societate. Contra P. Gabrielem Vazquez, & Durandum, et formatur sic: quia si humanitas Christi posset peccare in sensu composito unionis posset Verbum, ut in humanitate subsistens, peccare, & denominari peccans, sed hoc est plusquam falsum, ergo humanitas assumpta non potest peccare in sensu composito unionis, ac proinde est simpliciter impeccabilis. maior seu sequella probatur, quia iuxta commune philosoforum principium actiones sunt suppositorum, & consequenter actio peccaminosa humanitatis assumptæ, esset Verbi ut in humanitate subsistentis, ergo Verbum ut in humanitate subsistens, peccaret, & denominaretur peccans.

Varie occurrunt huic rationi Authores contrariæ sententiæ, illi videlicet, qui asserunt hanc rationem esse inefficacem. Prima ergo solutio quam tradit Marsilius, est negare maiorem. docet enim quod etiam si humanitas assumpta peccaret, non exinde sequeretur Verbum peccare, nec denominative, unde non diceretur nec denominaretur peccans, etiam per communicationem. & rationem assignat ex eo quod denominationes, quæ imperfectionem important, etsi dicantur de humanitate, non tamen dicuntur, nec possunt dici de Verbo. humanitas enim dicitur creatura, & incipiens in tempore, quæ tamen de Verbo dici nequeunt. =

Ad probationem maioris quæ fundatur in veritate illius principij respondet triplicitur. Primo quod actiones Trinitatis ad intra sunt suppositorum, secus autem operationes ad extra. & cum peccare sit actio ad extra non est Verbi, etiam in humanitate subsistentis. = Secundo respondet verum quidem esse quod actiones sunt suppositorum, non tamen defectus, peccare autem, non est efficere, sed deficere = Tertio, distinguit inter actiones convenientes, & disconvenientes, & dicit quod actiones quæ sunt convenientes, & consentaneæ supposito, sunt suppositorum, secus autem actiones disconvenientes, & destructivæ ipsius suppositi. quod explicat in calefactione facta ab aqua calida, quæ non procedit ab aqua, sed a calore =

Sed hæc solutio Marsilij displicet communiter non solum Thomistis, sed etiam alijs, quibus non placet nostra efformata ratio. & contra ~~[illegible]~~ illam sic insurgo. quia omnes denominationes, & præsertim quæ fundantur in actione, sive perfectionem, sive imperfectionem dicant, si dicuntur de natura, dicuntur etiam de supposito cuius est natura. ut patet in denominationibus quæ etiam si aliquam imperfectionem phisicam repugnantem Verbo in se ipso, dicant, tamen dicuntur de Verbo ut in humanitate subsistenti, mori, mereri, & satisfacere, sicut & pati, crucifigi, colaphis cædi, dicunt enim imperfectionem

phisicam Verbo in se ipso repugnantem. & tamen catholice dicuntur de Verbo et inhumanitate Subsistente. dicitur enim in Symbolo, qui, idest Unigenitus Filius Dei, propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de coelis, & incarnatus est, & crucifixus, mortuus, & sepultus, passus sub Pontio Pilato = Unde ad illud quod dicit de denominat. creaturae, respondetur, quod hoc predicatus propter suam transcendentiam non dicitur de Verbo. & ad vitandam heresim Arrij, ast sub reduplicatione predicatus de Verbo et inhumanitate, hoc modo, Christus secundum humanitatem est creatura. & idem est, de incepisse in tempore.

Ad illud quod dicat ista solutio explicando illud principium actiones sunt suppositorum, distinguendo de actionibus ad intra & ad extra. Resp. hoc effugium, non modo solum non esse verum, verum continere doctrinam periculosam, non est verum effugium, seu non continet verum. quia ideo dicitur quod actiones sunt suppositorum, quia natura cuius et quo sunt actiones, est suppositi, et quod illam constituens, unde de omni operatione sive ad intra sive ad extra hoc verificatur. == Continet ista explicatio doctrinam periculosam. quia actiones humanitatis, sunt omnes operationes ad extra, ergo erunt communes toti trinitati, & proinde non erit verum quod Verbum nos redemit & passus est pro nobis, & pro nobis meruit, ergo cum hoc non sit dicendum, dicendum est quod operationes elicitae ab humanitate assumpta sunt speciali titulo propriae Filij, unde si peccaret, Filius peccaret, & nominaretur peccans.

Ad secundam rationem respondeo, quod non solum actiones sed defectus sunt etiam suppositorum. et patet in defectu importato sti[illegible], in qualibet act. humanitatis, quae Deo & Verbo in se ipso convenire non potest, et est mereri, & redimere, quae actiones dicunt inferioritatem ad Deum, quae inferioritas Verbo in se ipso repugnat, & tamen dicuntur de Verbo et in humanitate subsistente dicitur enim, Filius nos redemit, Filius passus est pro nobis.

Similiter respondeo ad tertiam rationem, quod non solum actiones convenientes supposito. sed & disconvenientes sunt suppositorum. unde falsum est quod aqua calida non calefacit et quod, sicut enim aqua a calore denominatur et quod calida, etsi calor illi sit disconveniens, ita aqua denominatur calefaciens, ab actione calefactiva etsi calefactio sit illi disconveniens = Iterum Iudas peccans denominatur a sua pessima actione, & tamen peccatum est disconveniens supposito, et prae contra naturam

Denique ideo actiones quae sunt convenientes supposito, denominant suppositum, & sunt suppositorum, quia natura cuius et quo sunt actiones est suppositi illam habentis, & sustentantis, sed etiam actiones disconvenientes sunt naturae, et quo, & natura cuius sunt actiones illae disconvenientes est suppositi illam habentis

Replicabis. Stat quod aliqua potentia verificetur de humanitate, quae nequit verificari de supposito in humanitate subsistente, ergo, et aliqua operatio potest denominare humanitatem quae nequeat verificari de supposito, antecedens patet, humanitas enim est remote potens peccare, et tamen Verbum nec remote potest peccare, similiter, humanitas secundum se est potens recipere propriam subsistentiam, et existentiam creatam, quae potentia repugnat Verbo. et etiam ut subsistenti in humanitate, consequentia autem probatur, quia ideo illa potentia potens convenire et conveniens humanitati, repugnat Verbo, quia est Verbum incapax illius, et quia est potentia disconveniens. ~~ergo~~ sed etiam actio aliqua videlicet peccaminosa est disconveniens Verbo, ergo poterit convenire humanitati, et repugnare Verbo.

Sed Contra. Respondeo 1° negando antecedens, nam de humanitate assumpta nulla potentia proprie verificatur quae repugnet Verbo, unde nego quod humanitas possit peccare etiam remote, quia potentia remota proprie talis non solum dicit humanitatem ut ex nihillo, sed etiam esse complete subsistens, si enim non subsistit non potest nec remote elicere aliquam operationem, unde ad humanum impropriae verificatur posse peccare remote, = similiter humanitas assumpta nulla vera potentia respicit subsistentiam et existentiam creatam, cum sit perfectata per Verbi subsistentiam, et existentiam. Respondeo secundo omisso antecedenti, nego consequentiam, et ratio disparitatis est manifesta, quia sunt aliqua praedicata quae in ipso modo explicandi reduplicant formam ratione cuius conveniunt, et ita verificari possunt, de humanitate etiamsi repugnent Verbo, quae praedicata proprie sunt praedicata potentialia, cum ita in suo explicari, dicendo principium quo cui unice convenient, ut est potentia remota ad peccandum, et potentia in humanitate praecisive a terminatione per subsistentiam Verbi ad propriam creatam subsistentiam et existentiam, actiones autem cuiuscumque conditionis sint unice possunt convenire supposito. unde sive sit actio conveniens sive disconveniens, non potest non denominare suppositum.

Secunda Solutio ad nostram rationem est Patris Gabrielis Vazquez, quam sumpsit ex Durando. dicit ergo quod si humanitas unita Verbo peccaret solum sequeretur quod Verbum denominative peccaret, non autem sequeretur quod Verbum influeret aliquo modo in peccatum, quia actiones sunt suppositorum solum denominative, non autem influxive, unde natura est quae unice ut quo, et ut quod influit in actiones. Verbum autem denominari peccans in natura assumpta, secluso influxu in peccatum nullum est inconveniens sicut nec denominari mortuum, et sepultum. natum ex Virgine, passum, et Crucifixum. ita Vazquez ~~[illegible]~~ cap. 4. et disp. 8. c. 2. et 3. et disp. 21. cap. 3. et disp. 61. cap. 4.

Sed hęc solutio deficit in duobus, primo quia non reputat inconveniens, quod Verbum denominetur peccans, Secundo quia affirmat quod suppositum non influit ut quod in operationes. Sed sola natura ut quo, & ut quod. unde contra primum sic argumentor. quia si Verbum posset denominari peccans, posset etiam denominari infectum peccato, sed hęc denominatio Verbo repugnat, ergo & illi repugnat denominari peccans. probatur maior, quia eo modo dicitur aliquis infectus peccato, quo dicitur peccans, imo hę duę denominationes solo nomine differunt. – Secundo quia iuxta hanc doctrinam Iudas seu suppositum Iudę solum denominative dicitur peccans, & tamen simpliciter dicitur & est suppositum Iudę infectum peccato, ergo ut aliquis denominetur, & sit infectus peccato sufficit quod denominetur peccans. – Tertio quia humanitas tota dicitur et est infecta peccato, etiam si peccatum sit in anima & non in corpore, ergo etsi peccatum esset in humanitate assumpta, Verbum diceretur, & esset infectum peccato – Denique peccare est mori spiritualiter, si peccatum est grave, ergo ille qui denominaretur peccans, denominaretur moriens spiritualiter, & proinde consumato peccato denominabitur mortuus spiritualiter, peccatum enim cum consumatum fuerit generat mortem, ut dicit Apostolus, & esse infectum peccato nil aliud est quam esse mortuum spiritualiter, ergo si Verbum denominaretur peccans etiam denominaretur infectum peccato, & mortuum spiritualiter.

Minor autem principalis videtur manifesta, quia si Verbum posset dici & esse infectum peccato, esset dignum odio Dei, & dignum pęna ęterna, quod de Verbo affirmare est plusquam falsum & pias aures offendit, assumptum sui antecedens. constat Iudę suppositum ideo et dignum odio Dei, & pęna ęterna, quia & dicitur peccans, & peccasse, & infectum peccato. ergo dicere quod Verbum potest denominari peccans est indecens maxime & Verbo indignum. indecens, & indecorum, & repugnans.

Confirmatur, quia ex unione humanitatis ad Verbum, resultat humanitati maxima excellentia, & dignificatio, ita ut digna sit humanitas omni veratione, & adoratione latrię, totus enim Christus adoratur adoratione latrię, Verbo per essentiam, & humanitati per communicationem, ergo a peccato elicito ab humanitate, & ipsum Verbum denominante vel resultabit Verbo indecentia, & immunditia, per quam esset Verbum dignum odio, & displicentia Dei, vel ex Verbo resultabit illi peccato maxima dignitas, ita ut sit maxime amabile illud peccatum, quod utrumque repugnat.

Replicabis, quod etiam si Verbum prout in humanitate subsistens denominetur peccans, a peccato elicito ab humanitate assumpta nec Verbo resultare potest aliqua indecentia, nec peccato dignitas. eo quia Verbum est incapax illius, sicut & peccatum incapax venerationis. & intabilis seu confirmatis creaturis

quia &si illa quæ contactu fisico tetigerunt humanitatem digna sint veneratione, ut patet in cruce, & clavis, & alijs instrumentis, tamen manus percutientis faciem Christi alapa digna non est veneratione. Similiter si Verbum uniretur Leoni, eius rugitus non esset dignus venerat. Sed contra, quia etiam si talis Sacrilega manus digna non sit veneratione, sed odio, eo est quia cum alias ex se, quia animata capax esset alicuius cultus, si videlicet esset manus hominis iusti, non potest venerari etiam ratione contactus, cum iste esset peccaminosus, peccatum autem, etiam ex conceptu talis actionis capax non sit cultus & venerationis, sed potius odij & displicentiæ, tamen ex conceptu actionis generice sumptæ, capax est venerationis, unde ex unione ad Verbum in humanitate non posset non redundare in tali actione maxima excellentia. unde cum alias ex conceptu specifico incapax sit illius, ideo infert implicationem quod denominari possit Verbum peccans, & peccatum non constituatur veneratione dignum. Similiter Suppositum Verbi, et si ex conceptu talis suppositi incapax sit indecentiæ, & immunditiæ, tamen ex conceptu quasi generico & trancendentali suppositi capax est indecentiæ, quæ cum ipsi repugnet ex proprio & peculiari conceptu ideo infert implicationem quod denominari possit peccans, & non redundet in ipso aliqua maxima indecentia.

Secundo impugnatur ista Solutio, quatenus non reputat inconveniens quod denominetur peccans. quia ex doctrina istius Authoris, sequitur quod sicut sunt veræ istæ propositiones Verbum prout subsistens in humanitate, pro nobis meruit & satisfecit, eodem modo sit proprie verum dicere. Verbum prout subsistens in humanitate peccat. & sicut est vera ista Christus mortuus est pro nobis, sit vera ista Christus est mortuus spiritualiter. Sed hoc est manifestum absurdum, cum illæ sint in toto rigore veræ & catolicæ, & istæ sint evidenter plus quam falsæ, ergo doctrina admitens illam denominationem, & devorans illud inconveniens, admittenda non est, sed relegenda omnino ab Scholis ut dissona, & male audita, imo ut erronea.

Contra Secundum autem quod affirmat ista Solutio, videlicet quod Suppositum non influit ut quod, sed natura est quæ ut quo, & ut quod influit sic impugnationem construo. primo ex iam alibi dicto principio exemplo videlicet ex Concilio Florentino sessione 18. ubi Ioannes Theologus Latinus quispiam latinis arguebat contra Græcos ad suadendum, quod Spiritus Sanctus procedit a Patre & Filio. usus fuit illo communi axiomate philosophorum, nempe quod actiones sunt suppositorum, utique elicitive, quandoquidem erat ad suadendum quod Spiritus Sanctus procedit elicitive a Patre & Filio. quo argumento convicti Græci, subscripsere deffinitioni concilij, si enim actiones solum denominative essent suppositorum, ut vult Vazquez ex tali principio solum deduceretur Patrem denominative generare Filium, & Patrem, & Filium denominative spirare Spiritum Sanctum. unde sola essentia divina generaret ut quo, & ut quod Filium, & spiraret ut quo, & ut quod Spiritum Sanctum.

Respondet Vazquez rationes con

ciliorum quibus utuntur quasi dispositive ad stabiliendam aliquam conclusionem, quam postea definiunt, non esse de fide, imo, aliquando, tales rationes sunt falsae, & talis principio falso deducunt propositionem de fide, ut patet in Septima Synodo generali; ubi ut quidam Pater suaderet angelos posse depingi principium falsum assumpsit, videlicet Angelos esse corporeos.

3º. Contra, quia etsi rationes Conciliorum non sint de fide tamen sunt maximae autoritatis, & secure non possunt negari, si evidenter non constet de earum falsitate, aut evidenter sequatur aliquod inconveniens, unde Patres in Septima Sinodo generali, non curarunt de veritate rationis, qua usus fuit quidam ex illis ad suadendos Angelos posse depingi, imo infertur cognovisse non esse necessariam illam rationem, cum etiam stabilitum reliquisent Patrem aeternum posse depingi; & est evidens Patrem aeternum non esse corporeum, ergo quando definitum fuit Angelos posse depingi non fuit innixi SS. Patres ex illa ratione qua usus fuit quidam ex illis, videlicet Angelos esse corporeos, caeterum in Concilio Florentino omnes una nimirum tam Latini quam Greci admiserunt rationem qua usus fuit Ioannes Theologus, nullo ex Grecis reclamante contra illam. unde etiam in eodem concilio. sess. 17 habentur haec Verba: iuxta omnium philosoforum sententias actiones sunt suppositorum.

Contra 2º. quia Vazquez non solvit quod ex sua doctrina sequitur, Patrem aeternum solum denominative generare Filium, non influxive, & elicitive, & Patrem & Filium solum denominative spirare Spiritum Sanctum. imo sequitur quod Verbum ut inhumanitum, subsistens, non influxive, sed solum denominative pro nobis meruit, & satisfecit. quae omnia admitti salva fide non videntur posse.

Contra 3º. quia si humanitas ut quo & ut quod eliceret operationes, humanitas pro priori ad personalitatem Verbi esset completa in linea operandi, unde & in linea essendi, cum operari sequatur ad esse, & proinde, Verbum assumpsisset hominem, non humanitatem, in rigore sermonis, quia homo est ille qui est completus in linea essendi & operandi, imo sequitur quod ad nihil esset necessaria subsistentia Verbi in humanitate, cum pro priori ad illam humanitas esset completa in linea essendi, & operandi. quae omnia si Vazquez vult admittere, nos nullo modo cum illo consentire volumus.

§. XII.

Argumenta specialiter militantia contra istam rationem desumptam ex impossibilitate denominationis peccantis soluuntur.

Obiicies primo ex peccato cum unione composito solum sequitur Verbum peccare per communicationem idiomatum. sed hoc nullum est inconveniens, ergo ratio facta nulla est. maior probatur. ex eo quod humanitas moriatur, solum sequitur quod sit verum dicere per communicationem idiomatum quod Verbum moritur, seu Deus moritur, ergo ex eo quod humanitas assumpta a Verbo peccaret solum sequitur esse verum Verbum peccat per communicationem idiomatum, — Deinde minor principalis probatur. quia non minus opponitur summae vitae mors, quam summae sanctitati peccatum. sed hoc non obstante, nullum est inconveniens quod denomitur Verbum mortuum seu Deus mortuus per communicationem idiomatum, ergo nullum est inconveniens quod denomitur peccans, quando utraque denominatio est solum talis per communicationem idiomatum.

Respondeo. quod quaedam sunt quae proprie, & non solum per communicationem idiomatum, dicuntur de Verbo, quae de Deo, seu de eodem Verbo, ut subsistente in natura divina non dicuntur proprie, & in rigore, sed solum per communicationem idiomatum, sicut e contra quaedam sunt quae dicuntur de Deo & de Verbo ut subsistente in natura divina, proprie, & in rigore, & de Christo seu de Verbo ut subsistente in natura humana, solum dicuntur per communicationem idiomatum. actiones enim, ~~[illegible]~~, quae ut quod eliciuntur a supposito. & passiones quae recipiuntur ut quod in natura ratione suppositi, dicuntur proprie. & in rigore de supposito. & improprie de natura, ut patet in istis Christus nos redemit, satisfecit pro nobis. passus est pro nobis, Christus ambulat loquitur, movetur, docuit. manducavit. vel iste. Verbum ut in humanitate subsistens natus est ex Maria Virgine. nos redemit. satisfecit. passum, & mortuum est pro nobis, quae propositiones improprie verificantur de natura, videlicet de humanitate, non enim dicitur proprie. humanitas nata est, nos redemit, satisfecit pro nobis. docuit, praedicavit, manducavit, ambulavit, mortua & passa est. quae propositiones de Deo, seu de Verbo. vel Filio ut subsistente in natura divina vere & proprie non dicuntur sed solum per communicationem idiomatum, istae enim Deus natus fuit ex Virgine, nos redemit, satisfecit pro nobis, ambulavit, docuit locutus fuit. manducavit, passus, & mortuus fuit. istae enim solum sunt verae per communicationem idiomatum, quia Deus in se ipso subsistens. non fuit principium quod harum & similium operationum. — E contra similiter, quaedam dicuntur de

de Deo proprie, & in rigore. quæ de Christo seu de Filio Dei ut subsistente in natura humana non dicuntur proprie, sed solum per communicationem idiomatum. de Deo in se ipso dicitur proprie Deus creavit mundum ex nihilo, est omnipotens, est æternus, &c.a quæ de Christo solum dicuntur per communicationem idiomatum. in quo sensu solum est verum dicere: Hic homo, designato Christo creavit mundum ex nihilo, & est æternus, est immensus, est omnipotens. &c.a quia hæc prædicata non conveniunt huic homini Christo ut subsistenti in natura humana, sed ut subsistenti in natura divina. — ergo similiter hæc operatio Filius dei peccat, seu Verbum Dei peccat proprie dicuntur de Verbo, quia est operatio ut quod elicita ab eodem, ut subsistenti in natura humana. unde etsi ista Deus peccat esset solum vera per communicationem idiomatum, si Christus peccaret, seu humanitas assumpta a Verbo, tamen ista Verbum divinum peccat esset vera in omni rigore.

Unde ad argumentum respondetur negando maiorem. ad probationem nego antecedens, loquendo de Verbo ut in humanitate subsistente, in hoc enim sensu, vere & proprie dicitur Verbum est mortuum, sicut est verum in omni proprietate Verbum ut subsistens in natura humana, nos redemit, satisfecit, docuit ambulavit &c.a ex quo non sequitur quod ista dicantur de Deo eadem proprietate sed solum per communicationem idiomatum, quia Deus, significat absolute pro ente prolatum Deum ut subsistentem in natura divina. quæ doctrina similiter est D. Th. in hac 3.p. q.35. ar. 1. & 2. ubi docet quod cum omni proprietate dicitur Verbum ut subsistens in natura humana esse genitum generatione temporali ex Virgine, non autem humanitas dicitur proprie genita, & nata.

Quare autem sit proprie dictum, de Verbo ut subsistenti in humanitate mori, non obstante quod in se sit summa vita, peccare autem de Verbo non possit dici est ratio in promptu, quia mors est malum pœnæ, seu est deffectus physicus, qui proinde licet repugnet Verbo, & Deo in se ipso, non tamen repugnat Verbo in natura assumpta sicut ob eamdem causam illi in natura assumpta non repugnat ut alij defectus fisici; v.g. tristitia, timor ignorantia pure negativa, ut dictum est ad tractatus de scientia Christi; peccatum autem est malum morale quod nullo modo potest ordinari in Deum, sicut ordinari potest mors, & passio, Unde ob eamdem rationem Deus esto sit summa vita potest causare mortem in alijs, & eius causalitas nullo modo extenditur ad peccatum. Nec urget contra hoc si replicetur, cum illo quod dicebatur in probationem minoris, Non minus opponitur summæ vitæ mors, quam summæ sanctitati peccatum, sed etiam si Verbum sit suma vita illi convenit mors, in natura assumpta ergo & poterit illi in natura assumpta peccatum. Non inquam hoc urget, quia distinguendo maiorem facile solvitur, distinguo ergo maiorem non minus opponitur summæ vitæ mors, quæ summæ sanctitati peccatum, intensive, concedo

maiorem, extensive nego maiorem, & concessa minori nego consequentiam, quae solutio patet ex dictis. — & instatur argumentum. non minus opponitur summae vitae mors, quam Sanctitati infinitae peccatum, & tamen Deus potest in alio causare mortem, ergo potest causare peccatum, pessima consequentia, & praemissae iuxta sensum arguentis sunt verae, sicut ergo debet distinguere maiorem, & illam concedere de oppositione intensiva, & negare de opposit. extensiva, sic et nos, rationum dedimus.

Nec praetermittere debemus quod hoc primum argumentum facile solvitur stando in doctrina antecedenti iuxta quam duabus alijs rationibus est probata nostra conclusio. quia iuxta primam rationem cum humanitas sanctificetur a Verbo Sanctitate increata, non admittit denominationem peccantis, & cum non vivat vita increata, & immortali, admittit mortem. — iuxta secundam rationem etiam est evidens disparitas quare humanitas unita Verbo admittat mortem & non possit admittere peccatum, nec cum illo componi, nam ex eo quod humanitati possit convenire mors, non arguitur quod haec mors sit in Deo regenti humanitatem cum non teneatur illam vitare, imo tenetur ad faciendum, quod humanitas seu Verbum ut subsistens in humanitate illam sustineat, si autem esset peccatum in humanitate, non posset non attribui Deo in se ipso, cum teneatur ad regendam humanitatem, & quilibet defectus moralis attribuitur illi qui tenetur regere & gubernare inferiorem ne peccet, ut constat ex exemplis & rationibus supra factis.

Obicies secundo suppositum, vel persona neque ut quo, neque ut quo influit in operationes, ergo ex eo quod humanitas unita Verbo peccaret non sequitur, Verbum influere in peccatum, nec denominari peccans. antecedens probatur, quia natura est quae ut quo, & ut quod influit in operationes, ergo suppositum neque ut quo neque ut quod influit in operationes. antecedens probatur. quia natura existens sine subsistentia, ut de potentia absoluta accidere potest, operaretur, imo eodem modo, ac operatur quando est unita supposito, sed in illo casu natura ut quo & ut quod influeret in operationes, ergo quia natura etiam quando est unita supposito influit ut quo, & ut quod in operationes.

Confirmatur primo. operationes humanae elicitae a Christo Domino eiusdem speciei sunt cum operationibus humanis cuiuslibet alterius hominis. sed hoc non posset esse, si suppositum influeret ut quod in operationes, ergo sola natura, & non suppositum influit in operationes ut quo, & ut quod. minor videtur certa. nam variato principio operationum, non possunt non variari operationes.

Confirmatur secundo, natura ut quo & ut quod recipit accidentia, & ea causat in genere causae materialis, ergo ut quo & ut quod elicit operationes effective, consequentia tenet a paritate rationis, & antecedens probatur, quia si natura ut quo & ut quod non reciperet, & causaret accidentia Verbum ut quod reciperet accidentia quae sunt in humanitate sibi unitata, quod non potest dici, alias mutaretur Verbum per eorum receptionem.

Confirmatur 3° easdem operationes humanas eliceret humanitas, si amitteretur a Verbo, et haberet propriam subsistentiam. ergo quod est quia suppositum non influit: antecedens videtur certum alias operatio naturalis elicita ab humanitate unita Verbo, ut naturalis connecteretur cum Verbo.

Confirmatur quarto, quia si lumen gloriae sit tota ratio agendi, in nostris principijs, et sit tota ratio recipiendi visionem, variato intellectu variatur visio, quia ille intellectus eliciat, et recipiat visionem ratione luminis, tamen revera intellectus influit, ergo si suppositum elicerat ut quod operationes variato supposito, increato, relinquendo videlicet humanitatem, et adveniente proprio variaretur operatio, sed hoc est falsum alias ut dicebamus operatio naturalis, elicita a Christo, haberet connexionem cum Verbo, et cum unione hypostatica.

Confirmatur quinto. illius est operari, cuius est esse, et illius est esse cuius est fieri, sed fieri, est humanitatis, ergo operari est humanitatis. probatur minor, quia humanitas Christi distincta actione fuit genita, ac fuit assumpta. genita fuit a B. Virgine, et assumpta a Verbo. ergo fieri est humanitatis.

Denique confirmatur si humanitas propria subsistentia retenta, seu conservata propria personalitate assumeretur a Verbo, peccare posset quin denominaretur Verbum peccans, ergo, ex eo quod humanitas sine subsistentia creata assumpta a Verbo, peccaret Verbum non denominaretur peccans.

Respondeo, haec omnia non infringere vim nostrae rationis. Respondeo ergo ad argumentum negando antecedens et rationem iam dedimus, alias natura divina generaret, et non Pater et Filius quod est contra fidem. unde ad probationem negatur similiter antecedens et ad probationem, respondeo negando impossibilem casum esse possibilem. quippe cum subsistentia sit conditio seu requisitum essentiale ad hoc ut natura possit recipere et habere existentiam, implicat proinde quod existat, sine subsistentia, respondeo secundo omissa possibilitate illius casus, et dato, et non concesso, quod existere posset natura sine subsistentia, quod in illo casu illa natura operaretur ut quo, et ut quod tamen hic modus operandi non esset connaturalis, unde negandum est quod eo modo influat natura ut quo, et ut quod quando est unita supposito, in illo casu operantur connaturaliter, unde suppositum influeret ut quod, et natura solum ut quo sicut accidentia separata a subiecto, operantur ut quod. ~~[illegible]~~ et tamen quando unita sunt subiecto connaturali non operantur ut quod, sed ut quo, in illo casu impossibili, admisso possibili, natura existens sine subsistentia haberet esse ut quod. quid ergo mirum, quod operaretur ut quod.

Ad primam confirmationem. Respondeo admissa maiori, de qua potest dubitari, cum operationes Christi sint theandricae, et divinis, quae denominatio, seu formalitas non convenit alijs operationibus humanis, quae non sunt hominis Dei, negatur minor, et ad probationem, respondeo, quod cum suppo

situm solum sit conditio ad operandum, & natura sit tota ratio ut quo agendi, inde est quod etiam si supposita variarentur manente eadem natura, saltem in specie, operationes exeunt eiusdem speciei, sicut instatur, in actu amoris viæ, & patriæ, quæ dilectiones sunt eiusdem speciei, in probabiliori sententia, etiam, si apprehensio regulans amorem in via sit diversa in specie ab apprehensione patriæ, in via regulatur amor per fidem, & in patria per visionem, unde principium quod ad operationem solum requiritur ut conditio etiam si varietur non variatur operatio, dummodo maneat idem principium quo, seu eadem & adæquata ratio agendi est quo,

Ad secundam confirmationem respondeo. quod sicut Verbum per hoc solum quod terminet humanitatem est intrinsece homo, sine eo quod mutetur, ita per hoc solum quod terminet humanitatem, dicitur hic homo Christus recipere & sustentare accidentia, & tamen non mutatur quia tota ratio ut quo recipiendi accidentia est humanitas unde ut quod recipiuntur in isto Christo, non ita taliter, quod verbum recipiat, ~~...~~ ut quod, ~~...~~, sed quia Verbum est complementum ut humanitas ut ~~quod~~ recipiat ~~ut quod~~ terminaverit ut quod sicut ex eo quod Verbum ut subsistens in natura humana terminaverit ut quod generationem ex Matre, ut docet D. Th. 3. p. q. 35. ar. 1. & 2. non sequitur Verbum per generationem temporalem fuisse mutatum, sed tantum humanitatem, quæ erat ratio formalis sub qua terminandi prædictam generationem temporalem. Unde sicut suppositum Christi, ut subsistens in humanitate influit ut quod effective in operationes, ita influit ut quod materialiter in accidentia, illa materialiter sustentando ut præcipue patet in operationibus immanentibus, scilicet. in intellectione, & volitione animæ Christi, cum idem sit earum principium elicitivum ac receptivum. Ergo hoc patet ad argumentum in forma resp. negando antecedens, & ad probationem negatur minor. ob rationem datam.

Ad tertiam confirmationem respondeo omisso antecedenti, negando consequentiam. sed ratio est iam supra assignata, quia nempe manet invariatum principium quo, videlicet manet eadem natura, quæ est tota ratio ut quo agendi, suppositum enim solum est complementum naturæ ut constituatur ut quod per illud, unde solum est ~~...~~ conditio ad operandum

Ad quartam confirmationem. Respondeo negando antecedens propter causalem ibi assignatam, sed ideo variatur visio, quia variatur lumen, variato enim intellectu non potest non variari lumen quod recipitur in intellectu, in nostro autem casu, etiam si supposita variarentur, cum maneret eadem humanitas, quæ est tota ratio operandi ut, manerent proinde eædem operationes.

Ad quintam confirmationem respondeo negando minorem natura enim non generatur ut quod, sed ut quo, ut patet in natura divina quæ communicatur filio Dei etenim

terminus generationis æternæ. Si sermo sit de termino qui, est Verbum divinum; si vero sermo sit de termino quo, est natura, sicut ex parte principij. Pater est principium quod generans, et eadem natura divina est principium quo. unde humanitas non fuit genita ex Beatissima Virgine ut quod, sed ut quo, ut docet D. Th. infra. q. 35. ar. 1 in corpore, et solutione ad 3. et ar. 4. in corpore. terminus qui generationis in Beata Virgine, fuit Christus, ut Christus ut quod fuit genitus alias Christus non esset Filius Virginis, nec B. Virgo fuisset mater Dei, seu Deigenitrix, quod est contra fidem. nec ad hoc fuit necessarium quod B. Virgo active influxerit in unionem humanitatis ad Verbum, sed sufficit quod ministraret materiam ex qua fuit humanitas formata, et in eodem instanti unita Verbo. ut docet D. Th. locis proxime citatis.

Ad ultimam confirmationem respondetur, quod illa ratio efformata, procedit in principijs divi Thomæ, et in communi Thomistarum sententia, in qua repugnat quod uniatur Persona divina alicui naturæ creatæ propria creata personalitate retenta, unde si admittatur, quoad præsens sententia contraria; ratio efformata non serviet ad probandam impeccabilitatem; verumtamen in illa hypotesi, adhuc Christus esset impeccabilis, quia hanc impeccabilitatem convincunt duæ aliæ primæ rationes a nobis cum communi Thomistarum formatæ.

Articulus. II.

Utrum Humanitas Christi saltim possit de potentia absoluta peccare in sensu diviso Unionis hypostaticæ?

§ I

Apperitur sensus, et ratio dubitandi proponitur.

Licet ex dictis videatur persuasum Christum Dominum, eiusque humanitatem esse simpliciter, et omnibus modis impeccabilem, ut magis ex dicendis constabit, tamen occassione secundo supra relatæ sententiæ operæpretium iudico ex professo manifestare impeccabilitatem Christi in omni sensu, et in ea suadenda aliquantulum immorare, potius resolutione semper habenda est præ occulis doctrina superius in præcedenti articulo tradita. Et licet etiam ex dictis constare possit sensus quæstionis, tamen ne sub aliquo dubio laboremus, explicare oportet quid sit posse peccare in sensu diviso unionis hypostaticæ.

Igitur duobus modis potest explicari sensus divisus. primo ita ut sensus sit, quod stante unione sit potentia ad peccandum, peccato non conservante unione, sed potius ipsam destruente, sicut in veriori et probabiliori sententia homo iustus habet potentiam ad peccandum, peccato non conservante existentiam simul cum existentia gratiæ, sed destruente gratiam: etenim gratiam et peccatum simul coexistere pro eodem instanti, vel tempore in eodem subiecto, est repugnans etiam de potentia absoluta, in veriori thomistarum sententia, sic ergo pariformiter poterat philosophari de Christo quod in ipso licet non sit potentia ad peccandum, peccato conservante existentiam unionis hypostaticæ, tamen in Christo sit simul composita cum unione hypostatica potentia, ad peccandum peccato destruente unionem hypostaticam. Secundo potest explicari sensus divisus, ita ut pro priori ad existentiam unionis hypostaticæ, quæ est, vel erit in toto illo instanti reali, sit in humanitate potentia ad peccandum peccato impediente existentiam unionis hypostaticæ, quæ si non esset peccatum fuisset in humanitate posito illo instanti, scilicet pro alio signo. verum hæc signa ita stabilienda sunt ut vere et realiter totum illud instans sit instans existentiæ veræ, et realis humanitatis unitæ ad personalitatem Verbi, alioquin non erit ad rem argumentum, cum sit de subiecto non supponente, quia illud instans non est instans existentiæ veræ et realis, unionis hypostaticæ in humanitate, non erit Christus in illo instanti.

Ex his ergo oritur ratio dubitandi, quæ sic proponitur: quia in sententia probabili extra Scholam D. Thomæ subsistentia non essentialiter requisita ad operandum, licet connaturaliter operationem præcedat. ergo potest intelligi humanitas Christi pro signo antecedenti unionem hypostaticam, seu pro signo præscindenti ab existentia, vel carentia unionis potens libere ad operandum, sicut homo iustus, pro signo antecedenti gratiæ vel præscindenti ab eius existentia, vel carentia intelligitur potens libere operari. Nunc sic subsumitur: constituatur humanitas (Deo utente sua absoluta potentia) ~~[illegible]~~ pro illo signo præscindenti, et demus quod Deus illi imponat aliquod præceptum (et se inde sic pacisicatur cum humanitate): si non peccaveris in hoc instanti A, ad implendo præceptum charitatis, erga me, dabo tibi in hoc instanti A unionem hypostaticam, si autem peccaveris non adimplendo prædictum præceptum, non dabo tibi unionem hypostaticam. Vel alio modo, sine eo quod illi imponat aliquod novum præceptum, Deus statuat secum hoc modo.

Si humanitas utens sua libertate, peccat in hoc instanti a. illi negabo unionem hypostaticam, si vero non peccat, illi in hoc eodem instanti a. dabo unionem hypostaticam. in quo casu si voluntas humanitatis peccaret, & non adimpleret praeceptum, ut potest, unio hypostatica, quae alias esset si non peccaret, non esset ex vi peccati. Si autem voluntas ut potest ad implet praeceptum, & non peccat, existit unio in eodem instanti, pro signo videlicet posteriori, ergo potentia ad peccandum componitur cum unione hypostatica, pro signo antecedenti, vel praescindente ab unione; ergo humanitas Verbo unita de potentia absoluta potest peccare in sensu diviso, peccato impediente unionem. Similiter humanitas non solum potuit impedire existentiam unionis hypostaticae, sed etiam destruere unionem, quod sic suadetur. Si Deus in hoc instanti a confert humanitati unionem hypostaticam, & in hoc eodem instanti pro signo praescindenti a conservatione & ab eius carentia, humanitas sit potens libere operari, & Deus sic paciscatur cum humanitate, vel Deo secum sic decernente. si humanitas adimpleverit praeceptum conservabo illi unionem hypostaticam, si autem, non adimpleverit, non conservabo. ergo si humanitas ut potest peccat, ex vi peccati non conservabitur unio hypostatica, ergo est quia habet potentiam in sensu diviso ad peccandum. & ratio apriori omnium est. quia pro signo pro quo non intelligitur forma, sed potius a forma praescinditur, non potest intelligi effectus formalis formae. cum effectus formalis formae nihil aliud sit. quam ipsa forma communicata, sed forma constituens impeccabilitatem in humanitate, est unio hypostatica, seu persona divina, ut omni, ta, ergo pro signo pro quo non intelligitur unio hypostatica, sed potius praescinditur non intelligitur eius effectus formalis, sed potius ab illo praescinditur. & cum impeccabilitas sit effectus formalis unionis, pro illo signo non intelligitur humanitas impeccabilis. Propter hanc rationem tenent aliqui sententiam affirmativam, inter quos est Arriaga, supra citatus. in praesenti; disp. 35. sect. 3. Hurtado disp. 70. sect. 4. & alij. Procciuis explicatione. Sit.

§. 11.

Statuitur conclusio.

Sit nostra conclusio. Humanitas Christi non potest de potentia absoluta peccare in sensu diviso, peccato impediente, vel destruente unionem hypostaticam. Et probatur ex Patribus. quia ex Patribus recte colligitur humanitatem Christi esse impeccabilem, ut etiam fatentur autores contrarij, dum nobiscum tenent humanitatem in sensu composito non posse peccare, sed si solum esset humanitas Christi esset impeccabilis in sensu composito unionis, hoc non convinceretur, ergo est quia humanitas Christi etiam in sensu diviso est impeccabilis. minor in qua est difficultas probatur manifeste, paritate hominis justi. quia homo iustus potest peccare in sensu diviso, peccato impediente, vel destruente gratiam licet peccare non possit peccato cum gratia composito, non dicitur absolute, & simpliciter, sed solum secundum quid, quod homo iustus est moraliter impeccabilis. ergo asserendum est cum communi Patrum locutione, quod Christus est impeccabilis, eo est, quia est omnibus modis impeccabilis non solum in sensu composito, sed etiam in sensu diviso. Dices, quod ad salvandam Patrum locutionem sufficit quod humanitas Christi sit impeccabilis, etiam in sensu diviso, verum connaturaliter loquendo, non autem de potentia absoluta & sub quacumque hypotesi. Sed contra, quia Patres eodem modo affirmant de humanitate esse impeccabilem, ac de Christo, sed Christus in omni sensu est impeccabilis, ergo & eius humanitas. tum quia Patres non distinxerunt in praedictis autoritatibus de sensu composito. & diviso. ergo est quia docent impeccabilitatem humanitatis in omni sensu.

§ III In principiis Thomistarum Probatur XL°.

Secundo probatur nostra conclusio iuxta principia Angelici Magistri. quia implicat quod humanitas Christi, sit unita personalitati Verbi, & quod possit intelligi pro aliquo signo potens in sensu diviso peccare. ergo non habet potentiam etiā in diviso ad peccandum. antecedens probatur. quia implicat quod humanitas sit unita realiter personalitati, & quod in illa pro omni signo non intelligatur aliquod requisitum ex parte actus primi incompossibile cum peccato. ergo implicat quod humanitas realiter sit unita personalitati Verbi, & quod pro aliquo signo possit intelligi potens peccare in sensu diviso. prob. ans. implicat quod humanitas unita intelligatur potens ex parte actus primi ad operandum, quin intelligatur subsistens, S.t implicat humanitatem unitam intelligi subsistentem, quin intelligatur in illa ex parte actus primi aliquod requisitum incompossibile cum peccato, ergo implicat quod humanitas sit unita, & quod in illa pro omni signo non intelligatur aliquod requisitum ex parte actus primi ad operandum incompossibile cum peccato. maior est universale principium in Schola D. Thō. cum operationes sint suppositorum, seu subsistentium, unde natura non subsistens, non potest ut quod operari. probatur ergo minor. quia humanitas unita personalitati Verbi non subsistit, nec subsistere potest, nisi per subsistentiam Verbi. sed subsistentia Verbi unita humanitati, est aliquod requisitum ex parte actus primi ad operandum, incompossibile cum peccato. ergo vera est minor. maior etiam est principium stabilitum in Schola D. Thō. & minor nota. alias Verbum posset peccare.

Confirmatur, implicat quod humanitas unita intelligatur ~~...~~ pro aliquo signo, non habens ex parte actus primi aliquod aliud requisitum, incompossibile cum peccato. ergo. ans probatur. implicat quod humanitas intelligatur potens operari. & quod non intelligatur existens, S.t exist.a humanitatis est aliud requisitum ex parte actus primi incompossibile cum peccato. ergo verum est antecedens. maior patet, quia quod non intelligitur existens, non potest operari, quia quod non intelligitur existens, non intelligitur esse, sed operari sequitur ad esse ergo ut intelligatur potens operari peccando, debet intelligi existens. probatur minor. quia exist.a per quam existit humanitas est exist.a Verbi, S.t exist.a divina Verbi, requisita ex parte actus primi in humanit.e ad operandum, est incompossibile cum peccato, ergo vera est minor. maior etiam est principium inconcussum in Schola Angelica.

Rursus probatur conclusio. quia si humanitas Verbo unita posset peccare, peccato destruente unionem, Verbum subsistens in humanitate posset peccare. S.t implicat Verbum subsistens in humanitate posse peccare, ergo humanitas Verbo unita non potest peccare peccato destruente unionem. probatur maior. quia voluntas humanitatis Verbo unita, est voluntas Verbi, eo modo quo voluntas humanitatis unitæ subsistentiæ Petri est voluntas Petri, unde sicut peccante voluntate humanitatis unitæ subsistentiæ Petri, implicat Petrum non peccare, sic peccante humanitate Verbo unita, non posset non peccare Verbum. ergo verum est antecedens.

§ IV Contra istam rationem solvuntur argumenta.

Obiicies primo. sola intellecta unione hypostatica in humanitate, & omni alio dono supernaturali secluso, humanitas potest peccare peccato destruente unionem. ergo humanitas potest peccare in sensu diviso unionis peccato destruente unionem. consequentia infertur, & antecedens probatur. ~~...~~ quia humanitas ~~...~~ unita Verbo habet potentiam peccandi. unde si humanitas de facto peccare non potest, non est ratione unionis, sed ratione fruitionis beatificæ incompossibilis cum peccato. ergo sola intellecta unione in humanitate, & omni alio dono supernaturali secluso potest peccare peccato destruente unionem.

Antecedens probatur primo. quia humanitas unita habet omnia prædicata [struck] ipsi essentialia, et omnes suas proprietates, ut est in confesso apud Patres, et concilia, alias Christus non esset perfectus Deus, et homo quod est contra fidem, ut patet ex Symbolo Athanasii, ad illa verba: Perfectus Deus, perfectus homo etc. Sed una ex proprietatibus humanitatis est peccabilitas, seu potentia peccandi, ergo humanitas unita habet potentiam peccandi.

Secundo probatur idem antecedens. quia potentia peccandi convenit humanitati ex conceptu entis ex nihilo. Sed humanitas unita conservat, et habet, hoc quod est esse ex nihilo. ergo humanitas unita habet potentiam peccandi.

Tertio probatur idem antecedens. quia ut dicit Damascenus lib. 3. de Fide cap. 6. Filius Dei assumpsit quidquid in nostra natura plantavit: Sed in nostra natura plantavit potentiam peccandi. ergo humanitas unita habet potentiam peccandi.

Respondeo primo instando in sententia Scoti, et discipulorum eius, quorum est argumentum. quia in sententia Scotistarum, humanitas Christi est impeccabilis, licet non ratione Unionis, tamen est impeccabilis ratione fruitionis beatificæ, ergo ratione fruitionis beatificæ humanitas est inexpedita in actu primo ad peccandum, consequentia patet, quia potentia in actu primo expedita ad actum, est coniungibilis cum actu. ergo si est impeccabilis, et proinde inconiungibilis cum peccato ratione fruitionis beatificæ, ratione eiusdem fruitionis manet impedita seu inexpedita in actu primo ad peccandum. = Tunc sic. Sed humanitas Christi ornata fruitione beatifica, habet omnia prædicata ipsi essentialia, et omnes eius proprietates. alias [struck] Christus affectus cum fruitione beatifica, quam habuit a primo conceptionis instanti, non esset perfectus homo, contra illud quod confitemur in Symbolo Athanasii, ergo si est una ex proprietatibus potentia ad peccandum, seu peccabilitas humanitas cum fruitione beatifica habet potentiam peccandi.

Rursus humanitas Christi etiam ornata fruitione beatifica habet hoc quod esse ex nihilo, ergo habet potentiam peccandi = Ulterius humanitas Christi, de facto ornata fruitione beatifica, fuit in eo ut assumpta ab ipso cum omni eo quod in ea Deus plantavit, Sed plantavit potentiam peccandi, ergo humanitas etiam in sensu composito fruitionis beatificæ habuit potentiam peccandi. ergo cum ista consequentia apud Scotistas bona non sit, nec apud nos potest esse bona consequentia ab ipsis efformata. quidquid ipsi respondebunt erit ipsorum argumenti solutio.

Respondeo ergo secundo solutione directa, et adæquata negando antecedens absolute. quia potentia peccandi absolute non solum dicit potentiam remotam peccandi, sed etiam proximam. et potentia proxima dicit potentiam expeditam in actu primo, coniungibilem cum peccato, quam non habuit humanitas unita Verbo. Ad primam probationem concessa maiori, nego simpliciter minorem, quia peccabilitas, vel potentia peccandi absolute prolata, sonat, et dicit potentiam proximam peccandi, et hanc non habuit humanitas Christi. – vel secundo claritatis gratia, distinguo minorem Sed una ex proprietatibus humanitatis, est peccabilitas, remota, seu potentia remota peccandi concedo minorem. peccabilitas seu potentia proxima peccandi nego minorem, et consequentiam, potentia enim proxima, est potentia expedita in actu primo, coniungibilis in sensu composito cum peccato, et illam expeditionem non habuit, nec potuit habere humanitas unita Verbo, etiam omni alio dono

supernaturali secluso. potentia autem remota. cum non dicat expeditionem. sed sit inexpedita non est inconveniens quod remaneat in humanitate Verbo unita, etenim ratione unionis impeditur ne aliquomodo, etiam attenta potentia absoluta, sit coniungibilis cum actu.

Et per hoc patet ad alias probationes. ad secundam enim respondetur distinguendo maiorem, & illam concedendo de potentia remota, & negando illam de potentia proxima. & concessa minori. distinguatur consequens eisdem terminis. =

Ad tertiam concessa maiori, distingues minorem. plantavit in nostra natura Deus potentiam proximam peccandi, nego minorem. potentiam remotam, subdistinguo, quo ad id quod dicit de formali & ut est potentia remota peccandi nego minorem. identice, & de materiali, secundum rationem positivam entis. in qua fundatur lis esse ex nihillo, seu potentia remota peccandi formaliter sumpta concedo minorem, & distinguo consequens, ut supra. = dicimus ergo quod etiam potentia remota peccandi potest sumi formaliter, seu pro defectibilitate quae fundat, & identice. identice, & materialiter, seu fundamentaliter, quo pacto est aliquid positivum. & hoc modo eam plantavit Deus in nostra natura. at vero sumpta formaliter. & ut ordinatur ad peccatum, sic non est a Deo, cum ut sic non sit effectus positivus, sed defectus. - Sicut philosofatur, de ipso peccato, in sententia asserente quod peccatum etiam formaliter, consistit in positivo, illud positivum pro explicito peccati non est a Deo, at vero implicite, & quo ad entitatem. est a Deo, cum omne ens positivum sit a Deo. vel sicut philosofatur, de decreto praedeterminante ad materiale peccati, influit in entitatem peccati. materialiter sumptam, non formaliter, ut fundat formale peccati, sic ergo dicimus de potentia remota peccandi.

Obiicies secundo. & est replica praecedentis doctrinae. Humanitas Christi Verbo unita, ex vi unionis non habet potentiam peccandi impeditam, in actu primo. ergo habet potentiam proximam peccandi, consequentia patet, & antecedens probatur primo. quia humanitas Verbo unita, ex vi unionis. omni alio dono supernaturali secluso, solum habet subsistere per subsistentiam Verbi, ut gerentem vices subsistentiae propriae creatae. quatenus videlicet eo quia continet perfectionem creatae subsistentiae, illam supplet. sed propria creata subsistentia, si adesset, non foret impedimentum ex parte actus primi ad peccandum. ergo nec subsistentia Verbi humanitati communicata est impedimentum ex parte actus primi ad peccandum, & per consequens humanitas Verbo unita, ex vi unionis, omni alio dono supernaturali secluso, non habet potentiam peccandi impeditam in actu primo.

Secundo probatur idem antecedens. quia subsistentia Verbi humanitati unitae non immutat modum intrinsecum operandi humanitatis, sed humanitas de se est indifferens in actu primo ad peccandum, ergo & Verbo unita, & per consequens, ex vi unionis, non est impedita in actu primo.

Tertio probatur idem antecedens. argumento Durandi. quia si humanitas ex vi unionis ad Verbum esset impedita in actu primo ad peccandum, esset perfectior in operando humanitate existente in puro homine, sed non est, ergo ex vi unionis non est impedita, probatur maior, probanda postea minor quia principium solius rectae operationis, seu principium unice potens bene operari, perfectius est, principio indifferenti ad bene vel male operandum.

ergo si humanitas Christi, ex vi unionis esset impedita in actu primo ad peccandum, humanitas Christi esset perfectior in operando, humanitate existente in puro homine. Iam ergo probatur minor. quia potentia quae in actu primo, seu in essendo, ~~[illegible]~~ alia perfectior non est, non potest esse perfectior pre illa alia in actu secundo, seu in operando in actu secundo, actus enim secundus supponit primum, et operari sequitur ad esse. Sed humanitas Verbo unita, seclusis donis supernaturalibus non est in actu primo, seu in essendo, vel in esse entis perfectior humanitate existente in puro homine, ergo neque in operando in actu secundo. Respondeo primo instando argumentum. quia humanitas Christi, ex sententia Scoti, et discipulorum eius, attento predicto argumento, est impeccabilis ex vi fruitionis beatificae. Si humanitas Christi in sensu composito unionis conservat potentiam proximam peccandi, eam debet conservare etiam cum fruitione beatifica, eadem ratione, ut consideranti patebit, ergo vel argumentum non convincit, vel illud tenentur solvere contrarij authores.

Respondeo secundo directe ~~[illegible]~~ negando antecedens, et ad primam probationem distinguo maiorem, solum habet substituere per subsistentiam Verbi, ut gerentem vices subsistentiae creatae, quo ad id quod perfectionis est, concedo maiorem, quoad id quod dicit imperfectionem in subsistentia creata nego maiorem, et concessa minori negatur consequentia. etenim humanitatem propria creata subsistentia gaudentem posse peccare provenit ex imperfectione ipsius subsistentiae creatae, cui eo quia finita et limitata est non repugnat coniungi cum peccato, quandoquidem non est prima regula in operando. Subsistentia autem Verbi. esto suppleat vices subsistentiae creatae, non tamen potest admittere id quod imperfectionis est in ipsa. Ad secundam probationem, negatur maior. quia modus intrinsecus voluntatis in operando, est operari cum indifferentia, tum exercitij, tum specificationis, subsistentia autem Verbi, licet relinquat indifferentiam exercitij, aufert indifferentiam specificationis, ad bonum, vel ad malum, ac proinde illam intrinsece immutat.

Ad tertiam probationem respondeo distinguendo maiorem, esset perfectior humanitas Christi, humanitate existente in puro homine, excessu virtutis nego maiorem, excessu complementi virtutis terminativo, concedo maiorem, et sub eadem distinctione minoris nego consequentiam. etenim ad hoc quod humanitas Christi ratione unionis reddatur impeccabilis, non requiritur quod ratione unionis seu ratione subsistentiae increatae cui unitur, humanitas constituatur formaliter ut quo potentior ad operandum, sed sufficit quod impediatur ad male operandum ad quod sufficit quod subsistentia increata cui humanitas unitur sit perfectior quae subsistentia creata si adesset, cum illa inseparabiliter sit prima regula operandi, quod repugnat subsistentiae creatae. et per hoc patet solutio ad probationem in contrarium, respondetur enim. vel negando absolute maiorem vel illam claritatis gratia distinguendo, potentia quae in actu primo, vel in essendo, non est perfectior pre alia, precise aequalitate virtutis, seu precise sine excessu virtutis operativae in actu primo cum excessu tamen in complemento ~~[illegible]~~ terminativo virtutis, non potest esse perfectior pre alia in actu secundo, nego maiorem, si adest aequalitas tam in virtute operativa in actu primo, quam in complemento terminativo virtutis concedo maiorem, et distinguo minorem, si humanitas Verbo unita, perfectior non est in essendo, pre alia, excessu virtutis, concedo minorem, excessu complementi terminativi virtutis, nego minorem. et consequentiam. sufficit enim ut reddatur impeccabilis ratione unionis, quod ratione unionis, vel subsistentiae increatae ipsi unitae impediatur ad male

operandum. Licet enim principium radicale, quod exse, & ratione sui est determinatum ad operandum unice bene, sit perfectius alio principio radicale quod ex se, & ratione sui est indifferens ad bene, & male operandum, principium radicale autem quod non ex se, sed ab extrinseco impeditur ad male operandum, non requirit quod excedat in virtute operativa radicali principium radicale non sic ab extrinseco impeditum, sufficit enim quod illud excedat ratione complementi impedientis malam operationem.

§. V.

Solvitur ratio dubitandi iuxta nra principia.

Conformiter ergo ad principia in Schola D. Thæ communiter admissa, facile respondetur ad rationem dubitandi in principio appositam. negando scilicet principium in quo fundabatur, videlicet quod subsistentia non sit essentialiter requisita ex parte actus primi ad operandum, unde non est excogitabile signum, in quo possit intelligi humanitas verbo unita, præscindens ab existentia, vel carentia unionis, potens operari libere, quia ut operari possit debet simpliciter & necessario intelligi subsistens, & existens, & subsistens, vel existens intelligi nequit pro signo præscindenti ab unione, vel eius carentia. – nec est simile de homine iusto pro signo præscindenti a gratia, quia gratia non requiritur simpliciter ad operandum, saltim male, eo modo quo requiritur subsistentia, aliqua, cum operationes sint suppositorum, & existentium. unde implicat quod pro signo præscindenti ab unione, possit Deus secum decernere, vel pacisci cum humanitate, quod si non peccat illi dabit unionem, & si peccat illam negabit. nec potest pro illo signo illi imponere præceptum, cum pro illo signo, non possit operari, nec libere, nec necessario. – & similiter non potest Deus secum decernere, nec pacisci cum humanitate, quod illi conservabit unionem si non peccat in instanti a. in quo sit unio, & ab ipsa præscindatur, & illi non conservabit eandem unionem si peccat, in eodem instanti a. in quo sit unio, & ab ipsa præscindatur, quia si adest unio, non potest præscindi ab illa, ut possit peccare, vel non peccare, sed simpliciter humanitas est non potens peccare, ratione unionis.

§. VI.

Secundo probatur conclusio iuxta principia in omni schola communia.

videlicet probatur ratione desumpta ex summa sanctitate.

Mirum non esset quod nostra Conclusio solum posset ostendi inhærendo principijs Angelici Magistri, quando quidem verum vero cohærere oportuerit. ceterum quia veritas nostræ conclusionis adeo est manifesta, ut etiam in omnium principijs manifestari queat, ideo placet ipsam manifestare, abstrahendo a principijs solum in Schola D. Thæ admissis. unde licet admittamus, quod natura existere possit sine subsistentia, & quod humanitas Christi non existat per existentiam Verbi, sed quod existat, per existentiam creatam, distinctam, vel indistinctam ab ipsa humanitate, & admisso quod præcisive ab unione possit humanitas libere operari saltim de potentia absoluta, licet connaturaliter natura operari non possit præcisive a subsistentia, tamen nostra conclusio verum continet. unde illam principijs communibus debemus probare – sumitur ergo prima ratio communis ex summa sanctitate substantiali, qua sancta est humanitas Xpti. & formatur sic.

Humanitas Xpti Domini ex vi unionis hypostaticæ, est substantialiter infinite sancta; sed sanctitas summa, & infinita non solum excludit peccatum, sed etiam

potentiam peccandi; ergo etiam in sensu diviso, & praecisivo unionis nequit manere in humanitate potentia ad peccandum. maior constat ex tract.u de Gratia Xpti, probatur minor, quia Sanctitas infinita, est infinita puritas, & summa elongatio a peccato, ergo opponitur non solum cum peccato, sed etiam cum potentia ad peccandum. consequentia probatur, quia exterminis maior sanctitas est, illa quae opponitur cum peccato, & cum potentia peccandi, quam illa quae solum opponitur cum peccato, & admittit potentiam peccandi, S.t sanctitas infinita, est sanctitas omnium maxima, ergo debet opponi etiam cum potentia peccandi.

Confirmatur, potentia expedita ad peccandum, seu potentia proxima peccandi est accidens naturae intellectualis potens ab ipsa separari, ergo debet dari, vel dabilis est forma positiva excludens illud accidens a natura intellectuali, videlicet ab humanitate. antecedens est notum, quando quidem potentia proxima, & expedita ad peccandum non est praedicatum essentiale naturae intellectualis, v. g. humanitatis, cum sit sine illa in Beatis, & in Christo, saltim ratione visionis, & fruitionis beatificae, ut sentit Scotus, ergo est accidens separabile, consequentia vero probatur. quia illud accidens, videlicet potentia proxima, & expedita ad peccandum non solum est separabile a natura intellectuali, per suspensionem concursus divini illud conservantis saltim per maiori alienitate, sed etia ratione alicuius formae, forma enim positiva, non solum potest non esse, per suspensionem divini concursus, sed etiam per aliam formam oppositam, ut potest etiam in ipsa potentia expedita, & proxima peccandi, quae desinit esse per existentiam visionis & fruitionis beatificae, Nunc sic ultra, s.t nulla alia forma est potentior ad excludendum illud accidens, quam Sanctitas infinita, ad extra communicata. ergo ab humanitate Christi excludit potentia proxima, & expedita peccandi, ratione Sanctitatis infinitae, quae est Sancta infinite, minor subsumpta patet, quia unio hypostatica dicit maiorem elongationem ab immunditia, & foeditate peccati, quam visio beatifica, cum illa sit quid divinum in se, & visio solum sit quid divinum terminative, non autem entitative.

Confirmatur Secundo Sanctitas infinita in subiecto in quo est per essentiam, nempe in Deo, excludit omnem potentiam tam proximam, quam remotam peccandi, ergo ad extra communicata, licet excludere non possit potentiam remotam peccandi, saltim quoad entitatem potentiae, cum prout sic sit praedicatum essentiale creaturae, & secum identificatum, cum sit ipsa creatura intellectualis, praestex nihillo, excludere tamen debet potentiam proximam, & expeditam peccandi simpliciter, & in omni sensu, videlicet, vel composito, vel diviso, vel praecisivo, vel quomodocumque sit excogitabilis.

Confirmatur Tertio. transgressio consiliorum non est peccatum, nec constituit subiectum, obiectum dignum displicentia Dei, & tamen infinita Sanctitas ad extra communicata excludit transgressionem consiliorum, ergo etiam si potentia peccandi peccatum non sit excludi debet ab infinita Sanctitate ad extra communicatas.

Confirmatur quarto quia iuxta adversarios ad infinitam Sanctitatem ad extra communicatam pertinet ~~reddere~~ reddere ex natura rei saltim, naturam impeccabilem, etiam in sensu diviso, ergo auferre potentiam proximam peccandi est perfectio de linea sanctitatis infinitae ad extra communicatae, ergo nec de potentia absoluta infinita Sanctitas ad extra communicata, potest privari ista perfectione, videlicet excludere potentiam proximam peccandi etiam in sensu diviso.

§. VII.

Solvuntur argumenta contra istam rationem.

Obicies primo Si doctrina data vera est sequitur quod ex vi unionis & ratione summæ & infinitæ sanctitatis ~~[illegible]~~ humanitati communicatæ, reddatur ipsa humanitas ita impeccabilis, ut excludat unio hypostatica ab humanitate omne peccatum, non solum præsens, sed & præteritum, & futurum, sed unio hypostatica non excludit ab humanitate, omne peccatum præteritum, & futurum, ergo nec omne peccatum præsens, præsertim in sensu diviso unionis. præmissæ indigent probatione, & in primis maior seu sequella probatur, quia ideo ex doctrina data, infinita sanctitas, quæ ex vi unionis humanitati communicatur, excludit & peccatum, & potentiam peccandi, etiam in sensu diviso unionis, quia cum infinita sanctitas communicata sit, debet habere quidquid pertinet ad lineam sanctitatis, seu debet habere omnem perfectionem pertinentem ad lineam sanctitatis. qualis utique est exclusio potentiæ peccandi, sed excludere peccatum non solum præsens sed & præteritum, ita ut numquam ~~[illegible]~~ exstiterit, & futurum, ita ut numquam existere possit est perfectio de linea sanctitatis infinitæ, ut patet in Deo, ergo vera est maioris sequella. deinde minor est nota, quia humanitati assumptæ non repugnat peccatum præteritum ita, ut humanitas existens, & subsistens primo in se per propriam subsistentiam, & existentiam creatam, peccasset, & deinde assumeretur a Verbo, relinquendo propriam creatam existentiam, & subsistentiam. ut de potentia absoluta accidere poterat; similiter eidem humanitati non repugnat peccatum futurum, cum unio non sit essentialiter indefectibilis, ergo deficiente unione non repugnat quod humanitas peccet.

Respondeo negando maiorem ob rationem in probatione minoris allegatam. etenim unio non est essentialiter indefectibilis. unde potest deficere ab humanitate de potentia absoluta, nec similiter unio quando existit, non existit ita taliter quod inferat semper extitisse. ac proinde non debet excludere peccatum præteritum, & futurum, quia forma seu quasi forma sanctificans substantialiter & infinite ~~[illegible]~~ non præstat, nec præstare potest suum effectum quando non est unita. & ad probationem in contrarium, respondetur, quod ad lineam sanctitatis infinitæ ad extra communicatæ non pertinet excludere peccatum præteritum, nec futurum, quia non communicatur ad extra ita ut inferat semper extitisse, nec extituram. in Deo autem est dispar ratio, quia ita est in Deo summa sanctitas, quod essentialiter inferat semper extitisse & semper extituram, imo in Deo non est extitisse, & extiturum, sed solum est, quia respectu Dei non datur præteritum, vel futurum. & cum nulla sanctitas infinita possit communicari ad extra humanitati, vel alteri naturæ intellectuali, nisi per unionem essentialiter defectibilem, hinc evenit quod sanctitati infinitæ ad extra communicatæ repugnet ita sanctificare quod excludat non fuisse peccati, si semel extitit, vel ita quod excludat peccatum futurum, si solvitur unio, & maneret humanitas secundum sua prædicata naturalia, et peccare velit. quod autem sanctitas infinita ad extra communicata, quando existit, excludat non solum peccatum, sed etiam potentiam peccandi, non solum non repugnat, verum exigitur ex vi conceptus sanctitatis infinitæ & summæ.

Obicies secundo, & est replica præcedentis doctrinæ. non repugnat formæ creatæ, quæ in primo sui esse, & existere pugnet essentialiter cum peccato præsenti, & futuro, sed hoc admisso. hæc repugnantia potiori titulo debet concedi sanctitati increatæ ad extra per unionem hypostaticam communicatæ humanitati, ergo ad sanctitatem infinitam & summam ad extra communicatam expectari debet excludere essentialiter extitisse, vel extiturum fore peccatum. maior in qua potest stare difficultas est nota, & facile probatur. in actu fidei divinæ, quo aliquis per testimonium

divinum clare cognitum, & ut dicitur cum evidentia in attestante, vel alio modo, sibi manifesto videlicet per revelationem, vel per propositionem Ecclesiæ, crederet se numquam peccasse, nec peccaturum fore, actus iste inquam fidei divinæ pugnat essentialiter cum peccato præterito, & futuro, alias actus fidei non esset certitudinis infallibilis, & posset subesse falsum, contra communem Theologorum sententiam, quam tenent specialiter Thomistæ, ad Tractatum de Fide. ergo non repugnat formæ creatæ quæ in primo sui esse, & existere, pugnet cum peccato præterito, & futuro.

Aliqui Autores hoc argumento convicti, concessa maiori, minori, & consequentia, affirmant Sanctitatem infinitam, per unionem hypostaticam, humanitati ad extra communicatam, pugnare cum peccato præterito, & futuro, sed hoc fundamento nituntur cum ut vidimus, sanctitas infinita ad extra communicata, solum quando est unita excludat peccatum, & potentiam peccandi, & cum essentialiter non sit indissolubilis, sed solvi posset unio de potentia absoluta, non repugnat, humanitatem sine unione peccare, sicut non repugnat de potentia absoluta, humanitatem quæ peccavit assumi ad subsistendum per subsistentiam divinam, quæ assumptio non destruit, nec destruere potest fuisse peccatum in illa humanitate. unde relicta ut falsa hac Solutione.

Respondeo distinguendo maiorem, pugnans ratione sui, subiective, & immediate, nego maiorem, mediate, & obiective, vel ratione termini cum quo connectitur concedo maiorem, & nego minorem, & consequentiam. dicimus ergo, quod ille actus fidei, qui utique possibilis est, pugnat cum peccato præterito, & futuro non ratione sui seu ratione suæ entitatis, & subiective, sed ratione obiecti repræsentati per ipsum, & ratione termini cum quo connectitur essentialiter, hoc est, ratione testimonii divini affirmantis, non fuisse nec extiturum fore peccatum. innititur enim ille actus fidei testimonio divino infallibili, & testimonium divinum, includit, vel supponit scientiam divinam, infallibiliter affirmantem, non extitisse, nec extiturum fore peccatum, et scientia Dei, habet hanc infallibilitatem, a divina voluntate, decernente non extiturum esse peccatum, et quæ decrevit, non extitisse peccatum. = excludere autem peccatum præteritum vel futurum hoc modo, non convenit unioni hypostaticæ quæ utique cum ratione sui dicat oppositionem cum peccato, solum quando existit illud excludit vel excludere potest.

Imo si argumentum factum aliquid convinceret, probaret etiam, quod sanctitas increata per unionem hypostaticam humanitati communicatam, excluderet omne peccatum, formaliter non solum in Christo, sed etiam in aliis subiectis, sequella probatur, nam actus fidei divinæ, quo quis crederet alium a se distinctum, nec peccasse, nec peccaturum fore, connectitur essentialiter cum non esse peccati præteriti, & futuri in illo, alias actus fidei posset subesse falsum, & non esset infallibilis, sed hoc est falsum, ut de se patet, ergo argumentum factum ex infallibilitate actus fidei divinæ, ad Sanctitatem increatam, non est ad rem.

Obiicies Tertio, si in Christo ex vi unionis, & rat. sanctitatis infinitæ, non esset potentia proxima, & expedita peccandi, non esset in Deo potestas permittendi in Christo peccatum, sed hoc est falsum, ergo in Christo, stante unione, & eius sanctitate substantiali infinita, est potentia proxima, & expedita peccandi. maior est nota, si enim Deus habet potentiam permittendi in Christo peccatum, in Christo esse necess. potentia proxima, & expedita peccandi. probatur ergo minor. primo, quia unio hypostatica, & sanctitas substantialis infinita Christi non est forma, auferens a Deo potentiam permittendi in Christo peccatum, cum ista potentia conveniat voluntati divinæ secundum se, ut autor universalis. — Secundo, quia potentia in Deo permittendi peccatum, solum potest pot.a consequenti auferri per decretum liberum ipsius Dei quo decernat se non permissurum esse peccatum, sed unio hypostatica, vel sanctitas substantialis, & infinita Christi, non est formaliter decretum Dei, quo decernat se non permissurum esse peccatum. ergo. = Tertio. quia licet ex vi unionis hypostaticæ, & ex vi sanctitatis infinitæ, sit debita humanitati negatio permissionis peccati, nihillominus Deus potest formare decretum permissivum peccati; sed si Deus format tale decretum, non potest non esse in Christo potentia proxima, & expedita peccandi, ergo. probatur maior. ratione unionis, & ratione Divinitatis sanctificantis substantialiter infinitæ humanitatem, sunt debita humanitati visio beatifica, & omnia dona supernaturalia in summo, unde Deus tenetur formare decretum conferendi illa, & tamen de pot.a absoluta Deus potest negare humanitati visionem beatificam, & alia dona, ergo licet rat. unionis sit debita humanitati negatio permissionis peccati, nihillominus Deus poterit contra talem connaturalem exigentiam formare decretum permissivum peccati.

Respondes concessa maiori negando minorem, & ad primam probationem respondes distinguendo antecedens, non est forma auferens a Deo potentiam permittendi peccatum, nec ~~supponit~~ requirit necess.o formam auferentem a Deo potentiam permittendi peccatum, nego; & ~~supp~~ arguit illam concedo. explicatur solutio, dicimus ergo, quod unio hypostatica, & Divinitas humanitati communicata, ut forma illam formaliter substantialiter sanctificans, cum sint Christo communicata ex vi voluntatis divinæ volentis Verbum assumere humanitatem ad unitatem personæ divinæ, arguit necessario in Deo alliud decretum efficax, quo vult, & decernit non permittere in Christo peccatum ex eo quia amante Deo unionem hypostaticam, amat omne illud quod est essentialiter connexum cum tali unione, & cum sanctitas infinita sit forma seu quasi forma connexa cum impotentia peccandi, inde oritur quod Deus sit necessitatus necessitate consequenti ad decernendum se non permissurum esse peccatum quod decretum oritur ex primo decreto libero decernente unionem. unde non derogatur ad rationem causæ universalis.

Ad secundam probationem respondes concessa maiori distinguendo similiter minorem, s. unio, l. sanctitas substantialis non est formaliter decretum Dei quo decernat se non permissurum esse peccatum, nec illud arguit, nego minorem. & illud arguit concedo. & nego consequentiam. Solutio patet ex dictis.

Ad tertiam respondes negando maiorem, & ad probationem, concessa maiori, & minori nego consequentiam. disparitas consistit in eo quod negando Deum humanitati unitæ personæ Verbi visionem beatificam, & alia dona supernaturalia, solum sequitur quod Deus operaretur

contra exigentiam connaturalem illius, quod potest Deus ratione supremi dominij facere at vero si contra exigentiam quam ex vi unionis, & sanctitatis infinitæ habet humanitas unita. ut Deus in illa non permittat peccatum, operaretur Deus formando tale decretum esset Deus autor specialis peccati, quod repugnat Deo ratione suæ sanctitatis essentialis quando quidem nulla alia causa specialis illius peccati esset præter Deum, etenim Deus non concurreret ad illud peccatum concursu generali, sed concursu speciali; concursus generalis est ille quo Deus concurrit iuxta debitum & exigentiam rerum.

Denique obiicies.

Si Christus ex vi sanctitatis infinitæ non haberet potentiam in actu primo expeditam ad peccandum. ergo quia illam excludit sanctitas infinita, sequeretur quod homo, ~~tione~~ semel lapsus in peccatum mortale, ratione illius peccati, constitueretur obstinatus in malo. et esset impotens ad se convertendum ad Deum. unde sequeretur non teneri ad se convertendum, cum nullus teneatur ad id quod non potest, & ad id quod est sibi impossibile; consequens est absurdum. ergo et illud ex quo sequitur. sequella probatur, quia ideo sanctitas infinita humanitati communicata illam constituit impotentem in actu primo ad peccandum, & proinde Christus non habet libertatem ad peccandum, quia de ratione sanctitatis infinitæ est excludere omnem potentiam ad peccandum, sed peccatum mortale est infinitum in ratione offensæ, et supra diximus. unde reddit hominem infinite offensum, & exosum Deo, & dignum odio infinito, ergo constituit hominem dignum carendi potentia proxima, & expedita ad se convertendum ad Deum, & proinde impotentem ad bonum, & absque libertate ad rectam operationem.

Respondeo negando sequellam, & ad probationem concessa maiori, & minori, nego consequentiam. ratio autem disparitatis consistit in eo quod humanitati unitæ, ex vi unionis & sanctitatis substantialis debetur determinatio ad bonum, ita ut ius adversus Deum fundetur in ipsa humanitate ratione sanctitatis, unde Deus tenetur ad concurrendum semper ad bonum cum humanitate operante, nec Deus aliter cum illa concurrere potest, impotentia utique consequenti, fundata in prima voluntate libera Dei. qua decrevit unionem hypostaticam. unde si Deus operaretur cum humanitate contra hoc debitum illam determinando ad malum. peccatum tribueretur ipsi Deo, cum operaretur Deus non ut Author generalis, & permissive se habendo, sed ut Author specialis amans & volens positive illam malam operationem. Debitum autem carendi sancta cogitatione, in homine semel lapso in peccatum mortale, resultans ex peccato, non fundatur in ipso peccatore, seu in iure quod peccator habeat adversum Deum, sed potius fundatur in iure residente in Deo adversus peccatorem, cui iuri potest Deus cedere absque imperfectione, imo ex infinita misericordia motus, peccatorem non puniendo iuxta debitum, propter offensam Deo irrogatam, partem pœnæ peccatori misericorditer condonando. unde solum sequitur Deum esse authorem specialem illius sanctæ cogitationis, ac proinde licet homo ratione peccati constituatur dignus carendi

omni sancta cogitatione, qua inclinetur ad bonum, & omni concursu Dei determinante ad bonum, non ideo homo constituitur impotens simpliciter ad rectam operationem quia si Deus illum ad bonum movere potest, homo moveri potest a Deo, ad bonum, & hoc quod est hominem posse moveri ad bonum est illud in quo consistit potentia proxima ad se convertendum ad bonum.

Potest et alia ratio disparitatis assignari. quia licet concedamus quod in peccatore resideat ius adversus Deum, ne moveatur ad rectam operationem. ex eo quod Deus operetur contra istud ius, illum a rectam operationem movendo, solum sequitur Deum operari ut authorem specialem, ipsique Deo attribui rectam operationem ut authori particulari, quod inconveniens non est.; ex eo autem quod Deus operaretur contra debitum humanitatis, & contra ius quod habet fundatum ratione sanctitatis, sequeretur carentiam rectæ operationis quæ est peccaminosa Deo ut authori speciali attribui, esseque Deum authorem peccati. quod implicat. ac per consequens homo ratione peccati non constituitur simpliciter impotens ad se convertendum ad Deum, humanitas autem ratione unionis hypostaticæ, & sanctitatis infinitæ redditur simpliciter impotens ad peccandum.

§. VIII.
Quidditas potentiae in actu primo ad peccandum explicatur.

Ad pleniorem intelligentiam præsentis difficultatis, & ad faciliorem solutionem aliorum argumentorum quæ fieri possunt contra supra stabilitam conclusionem habenda est præ oculis quidditas potentiæ proximæ, & expeditæ in actu primo ad peccandum, supponendum ergo est potentiam peccandi non esse de constitutivo libertatis. unde stare potest perfectissima libertas, cum impotentia ad peccandum. ut patet in Deo, qui naturaliter est perfectissime liber, & peccare non potest. similiter Beati sunt perfecte liberi, & proinde capaces præcepti rigorosi, & tamen sunt simpliciter impeccabiles. potentia ergo proxima peccandi est defectus libertatis in actu primo.

Secundo supponendum est. quod sicut libertas in actu primo proximo supponit necessario iudicium indifferens ad actum & ad omissionem, ita ut si tale iudicium non supponatur non possit stare libertas, sic potentia proxima ad peccandum supponit necessario, & infallibiliter iudicium indifferens ad bonum, & ad malum, & si tale iudicium ad bonum & ad malum indifferens repugnat, necessario repugnat potentia peccandi.

Ex quibus infertur quod in nullo instanti aut signo potest intelligi potentia proxima, & expedita ad peccandum non intellecta ~~[illegible]~~ carentia illius quod est inconiungibile cum peccato, quod probatur, quia alias præcisive a tali carentia. vel a forma positiva qua privat, posset intelligi potentia proxima & expedita ad peccandum, & consequenter potentia peccandi posset coniungi cum utroque extremo, scilicet, vel cum carentia formæ inconiungibilis cum peccato, vel ~~[illegible]~~ tali forma inconiungibili cum peccato, quod repugnat. sequella probatur, etenim quia homo secundum se intelligitur præscindens ab albedine, & eius carentia, potest coniungi realiter, & cum albedine, & cum eius carentia. Unde, si in Christo, seu in humanitate unita, esset potentia proxima peccandi, quia pro aliquo signo, intelligeretur potentia seu iudicium indifferens, ad hoc ut coniungeretur cum unione, ~~[illegible]~~ vel eius carentia, peccatum quod cum impossibile sit,

infertur, quod pro signo unionis, & Sanctitatis infinitae, etiam demus quod possit praescindi ab illa intelligi requirit potentia peccandi, alias ipsum peccatum posset coniungi cum unione, & cum Sanctitate infinita, unde ut intelligatur potentia peccandi, debet intelligi positive exclusa unio & Sanctitas infinita, & cum sit repugnans signum, in quo intelligatur Christus, seu humanitas unita Verbo, & alias intelligatur positive exclusa unio, & Sanctitas infinita, inde est, quod est inintelligibile quod in Christo sit pro aliquo signo potentia proxima peccandi.

Ex quo ulterius infertur esse omnino impossibile quod per peccatum destruatur unio, cum enim peccatum supponat iudicium indifferens omnino incompossibile cum unione, supponit proinde peccatum essentialiter exclusam unionem, ut pote supponens formam exclusivam, & incompossibilem cum eadem unione. videlicet iudicium indifferens ad bonum, & ad malum.

Ex quibus ulterius infertur quod licet pro signo praescindente ab unione intelligatur humanitas libera, & potens in actu primo, ad operationem bonam, & eius omissionem, non potest intelligi potens ad peccandum quia pro illo signo solum praescindente ab unione, & illam non excludente positive, non intelligitur iudicium indifferens ad bonum, & ad malum, etenim cum hoc iudicium dicat imperfectionem incompossibilem cum unione, & cum Sanctitate infinita, non potest intelligi pro signo praescindente ab unione, & eius carentia. alias esset coniungibile cum utroque extremo.

Replicabis. iudicium indifferens requisitum ad libertatem est compossibile cum unione, ergo & iudicium indifferens ad peccandum. probatur consequentia quia iudicium indifferens ad libertatem, si alias supponit praeceptum est iudicium indifferens ad actum praeceptum, & ad eius omissionem, sed omissio actus praecepti est peccaminosa, ergo indifferens ad peccandum est compossibile cum unione.

Respondeo concesso antecedenti negando consequentiam, & ad eius probationem distinguo maiorem, si alias supponit libertatem est iudicium indifferens ad actum praeceptum, & ad eius omissionem privativam, & culpabilem, nego maiorem. ad omissionem negativam, & inculpabilem concedo maiorem, & distinguo minorem eisdem terminis, & nego consequentiam. Solutio pendet ex ~~[illegible]~~ quaestione in qua inquiritur quomodo componatur cum impeccabilitate Christi adimpletio libera praecepti, quam quaestionem postea ex professo statuemus.

§ IX
Solvitur ratio dubitandi iuxta haec principia

Licet iam iuxta nostra, & Thomistarum communia principia maneat soluta ratio dubitandi a principio apposita, videlicet. §. 1. tamen quia veritas nostrae conclusionis etiam constat iuxta rationem factam, in qua praescindere possumus a principiis solum certis in scholis Thomistica, ideo, iuxta dicta placet illam aliter solvere. admittimus ergo quod humanitas possit intelligi constituta in actu primo potens libere operari pro signo praescindenti ab Unione, verum negandum est, quod pro illo signo possit intelligi potens peccare, & ratio est, quia licet pro illo signo possit intelligi iudicium indifferens ad actum, & ad omissionem illius, quod iudicium indifferens simpliciter requiritur, ad libere operandum, tamen pro illo signo non potest intelligi iudicium indifferens ad bonum, & ad malum quod iudicium requiritur ad peccandum, & signum in quo intelligatur iudicium indifferens ad bonum, & ad malum, non est signum praescindens ab unione sed illam excludens.

excludens. iudicium enim indifferens praescindens ab unione, potest coniungi, et cum unione et cum carentia illius, unde si humanitati sub illo signo praescindenti ab unione imponatur praeceptum de eliciendo actum, manebit libera ad actum, et ad eius omissionem pure negativam, non vero per hoc infertur quod possit peccare, ut patet in Beatis, si ipsis imponatur aliquod praeceptum. per iudicium ergo indifferens ad peccandum fit transitus ad aliud signum non praescindens, sed excludens unionem. Hac pro inde pro illo signo non potest Deus pacisci cum humanitate, vel sic apud se statuere: dabo tibi unionem hypostaticam si praeceptum impleveris; si autem peccaveris non dabo, hoc enim decretum supponit iudicium indifferens, seu indifferentiam ad peccandum, quae in illo signo non datur. Nec similiter potest Deus ratione peccati negare unionem, quia peccatum supponit essentialiter exclusam unionem per iudicium indifferens ad illud.

Et idem dicendum est de conservat. unionis, et eadem ratione. De potentia enim ad bene operandum non est eadem ratio, ac de potentia ad peccandum, quia illa non dicit iudicium indifferens incompossibile cum unione, vel eius carentia, atque adeo potest intelligi ~~pro~~ pro signo praescindenti, potestque Deus unionem conferre intuitu actus boni quia non supponit essentialiter unionem. unde si ~~potest~~ posset humanitas, pro signo praescindenti ab unione et subsistentia, ut modo supponimus, operari, posset mereri et congrue unionem. ista vero, scilicet potentia ad peccandum, supponit essentialiter exclusam unionem, ut iam diximus.

Nec valet dicere quod pro illo signo non intelligitur aliquid constituens naturam impeccabilem, quia pro illo signo non intelligitur unio, vel sanctitas substantialis, quae est forma impeccabilitatis, quia pro illo signo praescinditur. Non valet hoc, quia licet ex hoc convincatur quod non intelligitur positive impeccabilis, tamen non intelligitur positive peccabilis, quia etiam praescinditur; licet enim pro illo signo non intelligatur unio, sed ab illa praescindatur, tamen positive non excluditur. unde etiam praescinditur a iudicio indifferenti ad bonum, et ad malum. quod iudicium constituit potentiam peccandi, et quod praescindatur etiam ab hoc iudicio indifferenti patet. quia quod intelligitur pro illo signo, est coniungibile cum unione, et cum eius carentia.

Replicabis si pro illo signo non potest peccare, est impotens ad peccandum. ergo male dicitur quod pro illo signo praescinditur a potentia, et impotentia ad peccandum. — Ulterius si pro illo signo non potest peccare debet assignari forma ratione cuius non possit, at nulla est assignabilis forma, ergo male dicitur quod praescinditur a potentia ad peccandum. ~~[illegible]~~ probatur minor quia pro illo signo solum intelligitur natura expedita ad libere operandum neque aliud intelligitur. sed in natura sic expedita nihil intelligitur quod possit esse forma ratione cuius constituatur impeccabilis. ergo vera est minor. Rursus. tertio. Si naturae sic praescindenti pro illo signo ab unione, et carentia illius Deus neget in eodem instanti reali, sed pro signo sequenti, unionem, manet natura potens peccare, ergo falsum est quod pro illo signo praescindit a potentia peccandi. antecedens patet. et consequentia probatur, quia quidquid habet natura pro illo signo ipsi competit in toto instanti; et e contra. ergo, si in

illo instanti, negata unione, convenit ipsi posse peccare, implicat quod pro illo signo ipsi conveniat non posse peccare, alias duo contradictoria in eodem instanti verificarentur de eadem natura. videlicet, posse, & non posse peccare.

Respondeo explicando & distinguendo antecedens. est impotens ad peccandum peccato existenti pro illo signo, concedo ant. peccato existenti absolute, & pro alio signo subseq. nego ant. & consequentiam. & ratio est quia cum pro illo signo praescindatur a potentia, & impotentia ad peccandum, pro illo signo non potest esse peccatum, quod essentialiter supponit potentiam ad illud. Sicut pro signo praescindenti a iudicio indifferenti ad actus, & carentiam illius, non stat libertas, seu non intelligitur liberum arbitrium ad actum liberum existentem pro illo signo, qui essentialiter supponit iudicium indifferens ad illum, ex quo non infertur esse positive impotentem ad illum. cum signum illud non excludat positive iudicium indifferens ad illum a quo iudicio praescindit illud signum.

Ad secundum respondeo similiter, naturam humanam, non posse peccare pro illo signo: convenire ipsi ex natura sua. de cuius ratione est non posse peccare, pro signo, pro quo non intelligitur potentia ad peccandum, seu iudicium indifferens ad peccandum. quod etiam purificatur exemplo libertatis: esse enim naturam impotentem ad libere operandum, pro signo, pro quo praescinditur a iudicio indifferenti, est ipsa essentia naturae intellectualis. v. g. naturae humanae, id autem quod humanitati convenit ex gratia unionis, est non posse peccare absolute, & simpliciter. quia unio excludit iudicium indifferens, ad bonum, & ad malum, unde excludit potentiam ad peccandum, quam natura ex se non excludit.

Ad tertium respondeo, omisso antecedenti, negando consequentiam. quia non sequitur ipsi convenire duo contradictoria in eodem instanti, non enim opponuntur, non posse peccare pro signo praescindenti a potentia ad peccandum, & posse absolute peccare, sicut non opponuntur non esse album pro signo praescindenti ab albedine, et esse album absolute.

Respondeo secundo claritatis gratia aliis terminis ad replicam principalem. distinguendo etiam antecedens, eo modo quo non potest peccare pro illo signo, est impotens ad peccandum concedo. ant. alio modo negando. & consequentiam. in illo ergo signo, cum praescindatur a iudicio indifferenti, ad peccandum, ratione unionis, non excluso pro illo signo, licet ab illo praescindatur. non datur potentia ad peccandum, ex defectu requisiti essentialis ad ipsam, verum ista impotentia, non est impotentia positiva, causata, per formam dicentem perfectionem. quia etsi pro illo signo sit unio, quae illam causare poterat, tamen praescinditur unio, unde impotentia quae resplendet, solum est negativa. & pro inde, eo modo quo non potest, id est negative, sic est impotens, id est negative.

Et per hoc patet ad secundum. respondeo distinguendo, & explicando maiorem debet assignari forma rat. cuius non posset, &c. si non posset positive, impotentiae perfectionis. debet assignari forma, illam impotentiam constituentem. concedo maiorem, si solum non potest negative, nego maiorem, & concessa minori negatur conseq.

Ad tertium respondeo negando suppositum antecedentis. ~~quod~~ videlicet quod possit dari signum unionis humanitatis ad Verbum, in quo, praescindatur ab unione, et a carentia illius, et quod pro sequenti signo, in eodem instanti reali Deus negare possit unionem, hoc enim est impossibile quia signum unionis humanitatis ad Verbum, cum sit signus includens plurima existentia unionis exigit unum instans reale integrum et perfectum, unde illud non potest negare in alio signo, eiusdem instantis, alias verificaretur, quod unio existit, et non existit in eodem instanti, ad praecisionem dabitur ... rationem diversi signi, ad existentiam nequaquam, quia illa exigit totum instans ad ...

Si autem sensus in antecedenti contentus sit, quod pro signo humanitatis, et priori ad unionem, et carentiam intelligitur natura ~~...~~. respondet, potest etiam, quod pro illo signo, intelligitur natura, praescindens a potentia et impotentia ad peccandum, unde in toto illo instanti debet habere, vel potentiam positivam, vel impotentiam positivam. quia cum sit signum naturae, et solum includentis constitutiva naturae nec dicit potentiam positivam peccandi, nec impotentiam positivam, sed utrumque ei accidit in sequenti signo, seu in toto instanti videlicet potentia peccandi, si ei negatur unio hypostatica, vel alia forma causans impeccabilitatem, ~~...~~ si autem in alio signo intelligitur unio hypostatica, intelligitur positiva impotentia peccandi, in toto illo instanti, unde pro signo priori, in quo solum intelligitur humanitas, solum intelligitur impotentia negativa, hoc est nec intelligitur, potentia positiva, nec impotentia positiva.

§. X

Proponitur alia ratio pro nostra conclusione.

Ulterius probatur conclusio. ratione desumpta ex obligatione Verbi regendi humanitatem, quam etiam supra articulo praecedenti, tetigimus, quae aequaliter probat hanc conclusionem. et sic formatur, quia ex unione humanitatis ad Verbum consurgit in ipso obligatio regendi humanitatem ne peccet, non solum peccato cum unione composito, sed etiam peccato impediente, vel destruente unionem. ergo ex illo capite repugnat humanitatem assumptam peccare in sensu diviso unionis, hoc est peccato impediente, vel destruente unionem. antecedens probatur. quia alias peccatum attribueretur Verbo, sed hoc implicat. ergo ex unione humanitatis ad Verbum resultat in Verbo obligatio regendi humanitatem ne peccet peccato non solum cum unione composito, sed etiam peccato impediente vel destruente unionem. probatur maior, quia ideo ut ex supradictis constat, peccatum cum unione compositum attribueretur Verbo, quia Verbum ut Deus in se ipso tenetur gubernare humanitatem, sed Verbum ut Deus in se ipso non solum tenetur gubernare humanitatem ne peccet peccato cum unione composito, sed etiam ne peccet peccato impediente, vel destruente unionem, ergo peccatum impediens, vel destruens unionem etiam attribueretur Verbo. probatur minor. quia obligatio in Verbo, ut Deo gubernandi humanitatem colligitur, ex obligatione Patris gubernandi filios. Mariti uxorem, Domini servum, et aliorum similium. sed Pater v. g. et idem dicimus de marito respectu uxoris, et de domino respectu servi, et superiore

respectu subditi, non solum tenetur vitare in filio peccata cum patria potestate compossib. sed et peccata impedientia, vel dissolventia patriam potestatem, unde tale peccatum attribuitur patri. ergo pariter obligatio in Verbo, ut Deo, non solum est ad regendam humanitatem ne peccet peccato cum unione composs. sed etiam ne peccet peccato destruente, vel impediente unionem.

§. XI

Argumenta contra istam rationem militantia solvuntur

Obiicies primo. Obligatio in Verbo ad regendam humanitatem fundatur in unione, sed si humanitas peccaret peccato destruente unionem, in instanti in quo verificaretur primum esse peccati, non esset unio: ergo neque esset obligatio in Verbo in illo instanti.

Respondeo concessa maiori, distinguendo minorem, non esset unio in instanti peccati, et fuisset immediate antea concedo, et non fuisset nego min. et consequentiam. praeextitisse enim unionem in mensura immediate antecedenti ad illud instans, in quo est peccatum, sufficit ut ex unione convincatur esse in Verbo obligationem vitandi peccatum, sicut a pari patria potestas, et maritalis coniunctio licet non existerent in instanti in quo verificatur primum esse peccati in filio, destruente patriam potestatem, vel in uxore, destruente maritalem cohabitationem quo ad thorum, quia tamen existunt tempore immediate antecedenti ad instans peccati in filio, vel in uxore, fundant obligationem in Patre vitandi peccatum in filio, et in Marito vitandi peccatum uxoris, propter quod filius eximatur a patria potestate, et uxor a viri potestate.

Replicabis. Si Deus in instanti a per suum liberum decretum destrueret unionem humanitatis ad Verbum, et conservaret humanitatem, posset in eodem instanti a humanitas illa peccare, quin maneat aliqua obligatio in Verbo regendi humanitatem ne peccet in illo instanti, et tamen unio extitit in mensura immediate antecedenti ad illud instans, ergo extitisse unionem in mensura immediate antecedenti ad instans in quo verificatur primum esse peccati destructivi unionem non arguit obligationem in Verbo regendi humanitatem ne peccet in illo instanti.

Respondeo concessis praemissis negando consequentiam, et disparitatis ratio est manifesta, quia peccatum destruens unionem non supponit pro signo aliquo priori destructam unionem, sed potius illam causat et infert, unde potentia peccandi debet compati cum unione, peccatum vero non destruens unionem sed supponens illam destructam libere a Deo, supponit pro signo aliquo priori destructam unionem, unde datur locus ut intelligatur quod sola humanitas influat in peccatum, quin compatiatur etiam pro aliquo signo potentia peccandi cum unione ~~[illegible]~~, et ideo in primo casu fundatur in Verbo obligationem regendi humanitatem, secus vero in secundo.

Replicabis. quod licet verum sit quod peccatum destruens unionem, non supponat pro aliquo signo destruendam unionem, sed potius illam excuset, & inferat. tamen pro illo eodem signo, non supponit existentiam unionis, alias simul existeret unio cum peccato in eodem instanti reali, ergo in illo signo non est in Verbo obligatio vitandi peccatum destruens unionem. antecedens patet, & inter illud proponendum est probatum. & consequentia probatur, quia pro signo pro quo non intelligitur existentia unionis, non potest intelligi obligatio in Verbo in ordine ad regendam humanitatem.

Confirmatur. quia in illo signo non intelligitur ius in humanitate ut gubernetur a Verbo. ergo neque intelligitur in Verbo obligatio. consequentia patet, quia ius in uno, & obligatio in alio sunt correlativa. antecedens autem probatur, quia, pro signo pro quo non intelligitur unio, non potest humanitas fundare ius ut gubernetur a Verbo, cum ius fundetur in unione.

Respondeo concesso antecedenti negando consequentiam quia obligatio in Verbo regendi humanitatem, existens in illo signo, non fundatur in unione ut pro illo signo positive existente, sed in unione ut preexistente in antecedenti mensura, que unio connotat negationem destructionis ipsius unionis pro signo adhuc priori precedentis pro priori nature peccatum. quod ut diximus passim dicitur in patria potestate, obligatio enim que est in patre vitandi peccatum in filio, quod destruat patriam potestatem fundatur in ipsa patria potestate non ut existente pro priori nature ad existentiam peccati in filio destruentis ipsam patriam potestatem. sed ut existente in mensura immediate antecedenti ipsum Filij peccatum destruens ipsam patriam potestatem.

Et per hoc patet ad confirmationem. respondetur negando antecedens. ius enim humanitatis quod habet pro illo signo priori nature ad existentiam peccati, fundatur in unione, non ut existente pro illo signo, sed ut existente in mensura immediate antecedenti.

Replicabis adhuc. in illo signo pro priori ad peccatum existens in illo instanti non est in humanitate ius ad gloriam, vel ad alia dona supernaturalia, ergo neque est in humanitate ius ut gubernetur a Verbo ne peccet. antecedens est certum. quia ius ad gloriam, fundatur in gratia. sed in illo signo non intelligitur gratia, alias simul in eodem instanti existeret cum peccato. cum ea que pro diversis signis eiusdem instantis existunt, simul coexistant in eodem instanti. consequentia autem probatur quia ius ut gubernetur a Verbo est inseparabile a iure ad gloriam.

Respondeo concesso antecedenti ob rationem datam in argumento, & nego consequentiam, & ad probationem nego antecedens. ius enim ut gubernetur a Verbo, fundatur in unione que est, vel fuit in mensura immediate antecedenti, ius autem ad gloriam fundatur in unione que est, non que fuit. quia fundatur in gratia, que solum est & intelligitur, quando existit unio, & ad unionis gratiam sequitur gratia, & alia dona sequuntur.

Ratio vero discriminis assignati est, quia ius ad gloriam, & ad alia dona conferenda humanitati, ~~[illegible]~~ dicit ordinem ad instans reale adaequate sumptum unde non sufficit quod pro priori naturae & in signo priori ad peccatum intelligatur humanitas ut praescindens & ab unione, & a peccato, quia peccatum existens pro signo sequenti reddit humanitatem indignam gloriae, & aliorum donorum: ius autem directionis respicit principium operans pro priori ad actus primi ad operandum unde ius directionis ab alio; & obligatio dirigendi respiciunt principium operans pro priori ad operationem, quo pacto ut in aliquo instanti debeat in humanitate ius directionis a Verbo, & in Verbo obligatio regendi humanitatem, sufficit quod immediate ~~[illegible]~~ ante ad instans operationis extiterit unio, & pro priori ad instans operationis non intelligatur unio destructa.

Obiicies secundo & potest esse replica praecedentis doctrinae. ergo humanitas assumpta, in primo instanti in quo fuit assumpta peccare potuit in sensu diviso, peccato impediente unionem, & si non illam dissolvente. consequentia probatur. quia in hypotesi quod Deus sic decerneret: assumam humanitatem, & illam Verbo hypostatice coniungam, si in illo instanti humanitas non peccaverit: in hoc itaque casu si humanitas peccat, tale peccatum Verbo non imputatur: quod probo quia ideo imputaretur Verbo peccatum destruens unionem, quia tale peccatum supponit immediate antea unionem, ratione cuius in Verbo obligatio regendi humanitatem, ne incidat in peccatum destruens unionem, sed in hypotesi facta, tali peccatum non supponit unionem in tempore immediate antea existentem, ergo nec supponit in Verbo obligationem regendi humanitatem.

Respondeo ex dictis supra, quod etiam in tali hypotesi humanitas non potest peccare, quia pro signo praescindenti ab unione, etiam praescinditur ab illius carentia, & pro inde non est expedite potens peccare. quia potentia peccandi positive excludit unionem, & in illo signo. licet non intelligatur unio ut existens, non intelligitur unio ut positive non existens, seu ut exclusa, quae exclusio unionis requiritur ut intelligatur positive potentia peccandi. ac pro inde non recte illustrissimus Godoi convincitur ex hoc argumento ad asserendum quod in tali hypotesi non convincitur humanitatem non posse peccare propter istam rationem desumptam ex obligatione gubernandi humanitatem. sed ad illud argumentum solvendum recurrendum esse ad rationem desumptam ex summa sanctitate; si enim summa sanctitas in hac hypotesi potentiam peccandi excludit, non potest non insurgere etiam in Verbo obligatio regendi, & gubernandi humanitatem.

§. XII.

Corollarium ex dictis.

Ex dictis colliges & pro conclusione stabiles, quod etiam si humanitas Christi traxisset originem ab Adamo per seminalem propagationem, non contraxisset peccatum originale, nec habuisset debitum illud contrahendi.

Prima pars conclusionis probatur. quia ut contrahatur peccatum originale necesse est quod in instanti generationis nihil detur cum peccato originali incompossibile. sed in instanti generationis esset humanitas unita Verbo hypostatice, quae unio ut ex dictis constat, tam in sensu composito, quam diviso est cum peccato, imo, & cum potentia proxima peccandi, methaphisice incompossibilis, ergo etiam si humanitas originem traxisset ex Adamo per seminalem propagationem non contraxisset peccatum originale.

Secunda autem pars conclusionis probatur. Quia debitum contrahendi peccatum originale, nil aliud est, quam peccavisse in Adamo; sed humanitas Christi Verbo hypostatice unita in instanti generationis, licet esset in Adamo contenta, & originem duceret ex illo per seminalem propagationem non peccasset in Adamo, nec peccare potuisset, ergo non habuisset debitum peccati originalis contrahendi. probatur minor. impotens essentialiter ad peccandum in se peccato personali, non potest ut in alio contentus peccare, sed voluntas Christi est impotens essentialiter ad peccandum in se ergo ut in Adamo contenta, in illo peccare non potuit.

Obiicies primo. ideo nos peccavimus in Adamo, quia in illo ut in capite fuimus praecontenti, sed in hypothesi facta, Christus in Adamo ut in capite contineretur, ergo peccasset in illo. probatur minor, ideo nos in Adamo ut in capite fuimus praecontenti, quia ab illo per seminalem propagationem originem trahimus, sed in hypothesi facta Christus ab Adamo per seminalem propagationem originem traheret. ergo contineretur in Adamo ut in capite.

Respondeo distinguendo maiorem. quia in illo ut in capite fuimus praecontenti, ut in capite fisico praecise, nego maiorem, ut in capite phisico, & morali concedo maiorem, & distinguo minorem. sed Christus in Adamo ut capite contineretur. ut in capite pure physico concedo minorem, phisico & morali nego minorem, & consequentiam. & ad probationem, distinguantur praemissae eadem dist. & negetur consequentia.

Replicabis. ideo nos fuimus praecontenti in Adamo ut in capite morali, quia fuimus in illo ut in capite physico praecontenti, sed iuxta solutionem datam, contineretur in tali hypotesi in Adamo ut in capite phisico, ergo, etiam contineretur in illo ut in capite morali.

Respondeo negando absolute maiorem. etenim quilibet nostrum fuit præcontentus in suo genitore, & in Avo, & proavis, & non in illis ut in capite morali fuit præcontentus. unde ideo in Adamo fuimus præcontenti ut in capite morali, quia sic fuit voluntas dei potentis transferre nostras voluntates in voluntatem protoplasti, & si ut nostras voluntates transferret esset congruentia, quod esset nostrum caput physicum.

Obiicies secundo.

Parvuli in instanti generationis non possunt peccare peccato personali, ut pote usu rationis carentes, & tamen omnes in Adam peccaverunt, ergo ex eo quod humanitas Christi ratione unionis ad esse personale Verbi non potuerit peccare in instanti generationis non infertur quod in Adamo non potuisset peccare.

Respondeo.

concessis præmissis negando consequentiam. & ratio disparitatis est manifesta, nam parvuli ex accidenti non possunt peccare peccato personali in instanti generationis ex defectu videlicet usus rationis, qui defectus suppletur per usum rationis Adami, etenim usus rationis Adami reputatur ut proprius parvulorum. at vero Christus non ex accidenti, sed essentialiter est impotens ad peccandum ratione summæ sanctitatis, quæ opponitur cum peccato non solum personali, sed capitali, imo & cum potentia peccandi, cum ista non possit convenire personæ divinæ.

Obiicies tertio. Si homo purus v.g. Petrus in primo instanti suæ generationis, elevaretur ad visionem beatificam & ratione illius constitueretur impeccabilis, ut docet communis sententiam, quamvis non posset defacto contrahere peccatum originale, tamen ille homo defacto peccasset in Adamo, unde licet non contraheret peccatum originale, contraheret tamen debitum contrahendi peccatum originale. visio enim dei quam haberet in primo instanti suæ generationis non impediret quod in Adamo peccasset; & tamen ille homo esset impeccabilis ab intrinseco, ergo licet Christus esset impeccabilis ab intrinseco, & proinde de facto non contraxisset peccatum originale, tamen in suppositione quod originem duceret ex Adamo per seminalem propagationem posset peccare in Adamo. & proinde habuisset debitum contrahendi peccatum originale.

Respondeo admisso antecedenti, nego consequentiam. Ratio disparitatis est manifesta. quia beatitudo est accidentalis illi homini. v.g. Petro in primo instanti generationis. unde contineretur ille homo in Adamo non ut beatus, sed ut homo & ut sic peccaret in Adamo, cum non intelligeretur aliquid ratione cuius excluderet peccatum, & proinde quando generaretur, etsi haberet beatitudinem, quæ excluderet peccatum originale, non excluderet debitum illud contrahendi, at vero in Christo, esse Deum hominem, non est quid accidentale, sed essentiale ipsi, unde non potest contineri

ta et in illo peccare posset. ad summum enim potest praecontineri in Adamo huma nitas et praecisa ab unione ad Verbum, et humanitas cum esse sine persona operari non possit non potest in Adamo peccare. et in aliorum sententia, etiam si hu manitas pro priori ad subsistentiam possit operari, tamen illa humanitas non posset in Adamo peccare, quia deberet praeintelligi humanitas pro priori ad subsistentiam prioritate excludente unionem ad subsistentiam Verbi; quam non intelligitur exclu dere, et si illa positive non includat, praescindendo utrique et ab unione et a carentia ut iam diximus. unde non posset peccare in Adamo.

§. XIII

Aliud corollarium in obsequium, et reverentiam Beatiss. Semperque Virginis Deigenitricis Mariae.

Infertur Beatissimam Virginem non contraxisse peccatum originale, quia etsi originem trahat ex Adamo per seminalem propagationem tamen fuit in primo instanti phisico suae generationis, praeventa per gratiam, quae in communiori et probabiliori Thomistarum sententia est incompossibilis cum peccato, etiam de potentia absoluta. imo, et quia in aliquorum piissima sententia Beatissima Virgo non solum fuit in gratia concepta sed etiam in gloria in primo instanti physico sui esse. quae gratia potuit concedi Beatissimae Virgini ex meri tis Christi ut praevisi in signo priori prioritate causae finalis.

Infertur secundo non solum non contraxisse peccatum originale actualiter, sed etiam probabilissime et mihi pie certo, non contraxisse debitum contrahendi peccatum originale. unde nec in Adamo peccasse pie affir mo, quia in Adamo fuit praecontenta, reduplicative ut mater, et proinde ut electa ad hanc dignitatem, et proinde ut gratia ornata, quae ut afficiens Virginem ut praecontentam in Adamo fuit obex ut in Adamo peccaret, quia eadem ratione, qua originale peccatum ut actualiter contractum negatur in Beata Virgine, quia videlicet, fuit praeventa per gra tiam ex meritis Christi ut praevisi in genere causae finalis, ex eisdem meritis Christi in genere causae finalis praevisi potuit praecontineri in Adamo non ut cumque et ut ~~[illegible]~~ foemina, sed ut mater et ut electa, et reduplicative ut gratia ornata, et gloria munita quae gratia, et gloria, seu visio beata, fuit obex ut in Adamo peccaret. quae omnia mihi probabiliora sunt. etsi ex corde correctioni sanctae Matris Ecclesiae iudicium meum sub mittam.

§. XIV

Dubia incidentia solvuntur.

Sit Conclusio. in hypotesi quod humanitas propria personalitate creata retenta

uniretur Verbo hypostatice, sive unio fuisset in natura creata, identice se habente personalitate creata, sive, unio fuisset facta immediate in personalitate creata, & mediate in humanitate, adhuc illa humanitas esset impeccabilis. supponimus hypothesim implicatoriam

Ceterum dato isto impossibili —— Probatur rationibus supra factis cum illa humanitas esset Sancta substantialiter per sanctitatem increatam ipsi unitam, & cum Verbum teneretur gubernare illam humanitatem, & personam creatam eo quod ~~itaque~~ etsi Verbi personalitas mediate uniretur humanitati, illam posset immediate sanctificare substantialiter. ~~patet~~. nam de facto Voluntas Christi, cui mediate est unita personalitas Verbi ~~illam~~ sanctificatur immediate a Persona Verbi, non pro explicito relativo ut diximus supra, sed ratione Deitatis implicite inclusa in personalitate Verbi.

Sit alia Conclusio.

in hypothesi quod Personalitas Verbi assumeret aliquam humanitatem infectam peccato, eo quia antea illud commiserat in sua propria personalitate creata, illam constitueret Sanctam infinite, & illam redderet impeccabilem in primo instanti unionis.

Patet ex dictis. cum in primo instanti haberet sibi unitam Sanctitatem infinitam, ergo & excluderet peccatum praeteritum, & illam sanctificaret infinite. consequentia patet, quia non potest intelligi aliquam formam seu quasi formam esse communicatam, quin intelligatur eius effectus formalis communicatus. sicut in instanti in quo infunditur gratia sanctificans excludit peccatum. & sanctificat animam.

Articulus III.

Utrum haec impotentia, qua Christus Dominus est impotens ad peccandum, tam in sensu composito quam in sensu diviso unionis, sit physica, vel tantum moralis?

§ I

Referuntur sententiae, & statuitur conclusio.

Fuisse hanc impotentiam in Christo solum moralem docuit Molina. 1. p. q. 19 ar. 3 disp. 13. Suarez in praesenti disp. 37. sect. 3. Amicus disp. 29. sect. 3. —

Communis tamen sententia docet esse physicam, & non tantum moralem impotentiam ita communiter in Schola S. Th.

Sit nostra conclusio. praedicta impotentia ad peccandum est moralis, physica, & methaphisica, & theologica. cum hac tamen distinctione quod attenta prima ratione qua supra demonstravimus impeccabilitatem Christi tam in sensu composito quam diviso, haec impotentia est phisica philosophica;

attenti autem alijs rationibus, est physica theologice. prima pars probatur, quia impotentia physica philosofice, est illa, quæ provenit ex defectu alicuius principij phisici, vel ex aliquo phisice in actu primo actum secundum impediente, sed iuxta primam rationem supra efformatam impotentia quæ est in humanitate Christi ad peccandum sive in sensu composito, sive diviso, provenit ex defectu subsistentiæ & existentiæ createæ & propriæ. ~~ratione~~ & ex eo quia terminatur, & completur ad operandum per subsistentiam, & existentiam Verbi, unde in actu primo phisice impedit operationem. ergo attenta ex isto capite talis impotentia est impotentia phisica philosophica.

Secunda autem pars etiam probatur, quia iuxta alias rationes, impotentia peccandi; quæ Christo convenit est ratione summæ sanctitatis, & ratione obligationis in Verbo regendi, & gubernandi humanitatem. sed illa est impotentia [illegible] physica theologice. ergo. probatur minor, nam impotentia phisica philosofice, est illa quæ provenit ex principio pure phisico naturali, & impotentia theologice phisica quæ provenit ex principio phisico & reali, supernaturali, & divino, sed talis impotentia provenit ex principio phisico reali, & vero, supernaturali, & divino ut patet ergo est impotentia physica theologice.

Quod autem talis impotentia non sit tantum moralis, præterquam quod ex dictis patet facile probatur, quia impotentia tantum moralis est illa quæ licet ita difficile ~~sit~~ quod ponatur ~~in~~ actu, ut raro, vel numquam sit contrarium. quod autem in actu ponatur, & eveniat non dicit repugnantiam, & implicationem, ut patet in victoria gravis tentationis sine speciali gratia. quæ licet sit ita difficilis quod eveniat quod de facto numquam eveniet, tamen non est metaphisice, & essentialiter impossibilis. at Christum peccare, non solum est difficile, sed et metaphisice impossibile. ergo est impotentia non tantum moralis, sed & phisica metaphisica, & theologica.

DISPUTATIO DECIMA OCTAVA.

DE MORALI CHRISTI PERFECTIONE.

Articulus. I.

Utrum Christus quatenus homo potuerit de potentia absoluta esse moraliter imperfectus per transgressionem consiliorum?

§. I.

Praenotantur aliqua, et referuntur sententiae.

Angelicus Magister 2.2. q.184. ar.3 explicat gradus in quibus consistit Christiana perfectio, & illos ad quatuor reducit, & cum eo sic communiter Theologi. Primus consistit in Charitate per quam excluditur omne peccatum mortale. Unde taliter conservare gratiam & Charitatem, quod non interrumpatur per peccatum mortale, est gradus primus perfectionis Christianae religionis, nam substantialiter perfectio moralis Christiana consistit in unione cum Deo per gratiam, & Charitatem. quod privilegium conservandi videlicet Charitatem, & gratiam, sine eo quod numquam per peccatum interrumpatur, aliquibus Sanctis est concessum. Secundus gradus perfectionis est conservare Charitatem & gratiam, ita ut ejus fervor non interrumpatur per peccatum veniale cum advertentia, & plena deliberatione commissum. qui gradus etiam aliquibus est concessum, & praesertim in aliqua determinata materia vitare venialia dicitur de aliquibus Sanctis, ut de S. Joanne Baptista, & de D. Joseph Virginis Deiparae Sponso. — tertius gradus est conservare fervorem Charitatis ita ut non interrumpatur per peccatum veniale etiam inadvertenter commissum, & non cum plena deliberatione. Quartus denique & omnium perfectissimus est ita conservare gratiam & Charitatem & ita esse unitum cum Deo, ut non solum sit exclusio omnis peccati, sed etiam detur omnimoda consonantia in exequendo divinum beneplacitum, obtemperando, & sequendo divinam voluntatem, non solum ut imperantem, sed etiam ut consiliantem.

Fuisse ergo in Christi Domini humanitate tres primos gradus perfectionis ex dictis constat, imo constat ex dictis quod nec de potentia absoluta potuit componi cum ejus summa sanctitate aliquod peccatum quantumvis leve.

unde solum restat indagare de quanto perfectionis gradu, & quantum ad hoc id certum & indubitatum supponimus Christum Dominum de facto habuisse illum perfectionis gradum. unde de facto inter voluntatem humanam Christi, & voluntatem divinam consiliantem fuit omnimoda & summa consonantia, quia patet Christus ut homo nullum consilium est transgressus, sed omnino consiliis divinae voluntatis obtemperavit. quae suppositio est Theologorum communis. & facile probatur ex illo Ioann. 8. quae placita sunt ei, facio semper. & ex illo Ioann. 6. descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. quod et postea magis constabit ex nostra conclusione.

Difficultas ergo devolvitur ad potentiam absolutam an videlicet summa sanctitas Christi non solum constituat humanitatem impeccabilem, sed etiam impotentem ad transgredienda consilia?

Prima sententia docet humanitatem Christi de potentia absoluta potuisse transgredi consilia. citatur pro hac sententia Godoy, Vazquez, Valentia, Arriaga, Lorca, & alii. Secunda docet nec de potentia absoluta potuisse transgredi consilia, ita omnes Thomistae, & ex Patribus Societatis Suarez, Cardinalis Lugo, Ragusa, & alii ut Prudentius.

§. II.

Statuitur conclusio.

Sit nostra conclusio. Implicat humanitatem Christi in sensu composito, vel in sensu diviso Unionis hypostaticae ommittere actum consiliatum, & recedere a maiori beneplacito Dei sibi manifestato, ut de facto erat manifestata Christo in Verbo per visionem beatificam voluntas divina de qualibet actione ab ipso fienda.

Probatur conclusio ratione desumpta ex summa Sanctitate. quia humanitati Verbo unitae repugnat ratione summae sanctitatis non solum peccatum, seu malitia moralis, sed etiam moralis imperfectio; sed in eo quod est recedere a consiliis, licet non sit malitia moralis, est moralis imperfectio, ergo non potest recedere a consiliis. probatur maior probanda postea minor quia moralis imperfectio, digna est reprehensione. sed summae sanctitati repugnat quod digna sit reprehensione, ergo ratione summae sanctitatis repugnat imperfectio moralis.

Secundo. quia non repugnat ~~ratione cuius repugnat~~ sanctitas ratione, cuius repugnet subiecto illam ~~habenti~~ habenti, moralis imperfectio, sed alicui sanctitati haec moralis imperfectio ratione repugnat maxime summae sanctitati, ergo humanitati Verbo unitae repugnat ratione summae sanctitatis moralis imperfectio. minor patet, cum illa sanctitas eo quia summa est infinita, & divina, ergo si ratione alicuius sanctitatis repugnat subiecto illam habenti moralis imperfectio, maxime erit summae sanctitati; & maior est nota, cum inveniri quod detur sanctitas cui repugnet moralis imperfectio non appareat repugnantia.

Probatur ergo minor principalis, quia subditum recedere a voluntate Superioris manifestantis se velle subditum facere aliquod opus, esto illud non præcipiat sub præcepto obligante ad aliquam culpam, imo neque ad pœnam, licet non sit opus intrinseca malum, nec sit peccatum, adhuc veniale, tamen est actus moraliter imperfectus sed hoc quod est recedere a consilijs, est recedere a Voluntate Superioris manifestata de aliquo opere faciendo. ergo est actus, licet non peccaminosus, moraliter imperfectus. ergo. maior est nota, cum subditus ille possit reprehendi a superiore

Secundo probatur eadem minor. quia transgressio legis pœnalis nimirum legis non ad culpam, sed pœnam obligantis, licet non sit actus peccaminosus etiam venialiter, est actus moraliter imperfectus, ut patet in nris Religionis legibus, quæ ad pœnam, & non ad culpam obligant, unde si Christus esset capax huius legis pœnalis illam transgredi non potuisset ut fatentur communiter Theologi, sed hoc quod est recedere a Consilijs, licet non obligent consilia ad culpam, vel ad pœnam, est similiter actus reprehensione dignus, ergo est actus moraliter imperfectus

Tertio probatur eadem minor, quia negari non potest quod dari possit moralis imperfectio, ut condistincta a morali malitia, sed eo ipso, non potest consistere in alio quam in actu transgrediente consilia intimata, ergo recedere a Consilijs intimatis est actus moraliter imperfectus. maior patet in actu intrinsece malo, & excusato a malitia ob ignorantiam legis, vel ob deffectum libertatis, qui actus esto non sit peccatum, est moraliter imperfectus, unde repugnat Christum illum actum exercere esset enim moralis indecentia actum illum exercere

§. III

Soluuntur Argumenta

Obiicies primo. si propter aliquam rationem repugnaret humanitati Verbo unitæ, recedere a consilijs maxime quia recedere a consilijs intimatis, & cognitis esset actus moraliter imperfectus, sed hoc est falsum. ergo non repugnat humanitati Verbo unitæ recedere a Consilijs divinis sibi cognitis, & manifestis. probatur minor quia recedere a Consilijs potest quis per actum non peccaminosum, sed positive bonum; sed actus positive bonus non est moraliter imperfectus, ergo recedere a consilijs non est actus moraliter imperfectus, maior est nota, quia si alicui consilia[illegible] ~~[illegible]~~ v. g. quod oret, & loco orationis, ponit exercitium alterius virtutis, v. g. eundi in carcerem visitandi, & consolandi oppressos, iste ponit actum positive bonum, ergo quis potest recedere a consilijs per actum positive bonum. & minor etiam est manifesta cum actus positive bonus, imperfectus non sit.

Respondeo concessa maiori negando minorem, et ad probationem omissa maiori distinguo minorem, si actus positive bonus non est moraliter imperfectus absolute concedo minorem, comparative, et in sensu compositi consilij, nego minorem, et sequentiam. Dicimus ergo, quod verum est quod actus cuiusvis virtutis est simpliciter, et secundum se positive bonus. verum, supposito consilio, de omissione unius, et de elicientia huius, et nunc alterius, melius elicere consiliatum, quam non consiliatum, unde actus non consiliatus relative, ad actum quem omittit est ~~[illegible]~~ minus perfectus, qui etsi purae creaturae non repugnat tamen Christo repugnat.

Replicabis, ille actus etsi sit minus perfectus, non est imperfectus positive, sed ad summum negative, sed actus solum negative imperfectus, seu non perfectissimus Christo non repugnat, ergo absolute Christo non repugnat recedere a consilijs, maior videtur nota, cum ut dicebamus ille actus absolute sit bonus, sed actus bonus non potest esse positive imperfectus, ergo non est positive imperfectus.

Solutio, et respondeo negando maiorem, quia licet absolute actus bonus et perfectus sit, in circumstantijs, videlicet in sensu composito consilij, est dignus reprehensione, unde est positive imperfectus.

Replicabis, nec in sensu composito consilij est positive malus; ergo nec positive imperfectus. antecedens est notum cum etiam in sensu composito consilij sit positive bonus, et idem actus simul non potest esse positive bonus, et positive malus.

Solutio, et respondeo distinguendo antecedens, non est positive malus malitia morali, ~~[illegible]~~ aequivalenti peccato etiam levi, concedo antecedens. malitia aequivalenti imperfectioni morali, seu indecentiae morali, nego antecedens, et sequentiam. est enim actus ille dignus reprehensione unde est actus ille non bonus comparative, idest imperfectus moraliter.

Replicabis, ille actus non est debitus, ergo non est positive imperfectus moraliter. antecedens patet notando distinctionem inter consilium, et praeceptum, ~~[illegible]~~, ut notat D. Th. 1.2. q. 90. ar. 3. et q. 92. ar. 2. et q. 93. ar. 2. et q. 100. ar. 9 et 2.2. q. 99. ar. 1. quia praeceptum inducit obligationem, secus consilium. consequentia autem probatur solum operatur cum imperfectione quando quis potest, tenetur, et non facit.

Solutio, et respondeo distinguendo antecedens, ille actus non est debitus debito stricto, et legali, concedo, debito largo sumpto et ~~debito~~ morali nego antecedens, et sequentiam, quia ut notat etiam idem Angelicus Magister 2.2. q. 80. ar. 1. debitum est duplex legale, et morale debitum legale, attenditur a virtute Iustitiae, debitum autem morale attenditur ab alijs virtutibus, quae sunt ad aliud, unde iuxta leges amicitiae, quae est inter sanctos, et Deum decens est, quod et consilijs divinis ~~[illegible]~~ obtemperent, unde in homine sancto,

qualis est Christus, et cum est quod operetur iuxta beneplacitum divinum sibi manifestum & operari contra illud beneplacitum esset imperfectio moralis positiva.

Obicies secundo

& potest esse replica praecedentis doctrinae. potuit Christus de potentia absoluta elicere actum minus perfectum, omisso perfectiori consiliato, ergo potuit recedere a maiori beneplacito Dei. probatur antecedens, potuit Christus de potentia absoluta elicere actum amoris Dei intensum v.g. ut duo, omisso actu amoris Dei intenso ut quatuor, si actus intensior erat Christo sub consilio, ergo potuit elicere actum minus perfectum omisso perfectiori consiliato. maior poterat probari ex eo quia ille actus amoris ut duo, est positive bonus, ergo illum elicere poterat, sed iam diximus ad hoc, quod supposito consilio ille actus esset moraliter imperfectus, & relative ambonus, vide alibi

Probatur maior

quia potuit Christus de potentia absoluta omni dono supernaturali carere, v.g. gratia sanctificante, virtutibus, & omni auxilio, ergo etiam potuit carere illa maiori perfectione, quae est in actu ut quatuor relate ad actum ut duo.

Secundo probatur eadem maior. quia stante consilio potuit Christus carere praemotione ad actum ut quatuor & illam habere ad actum ut duo.

Respondeo negando antecedens, & ad probationem nego maiorem. & ad primam probationem concedo antecedens, & nego consequentiam seu claritatis gratia distinguo consequens: in sensu composito consilii quod eliceret actum amoris ut quatuor, nego consequentiam, si non esset tale consilium concedo consequentiam. carentia ergo omnis gratiae, & cuiusvis doni supernaturalis in illa hypothesi esset tantum carentia negativa, cum non teneatur humanitas ad habenda dona supernaturalia, nisi communicata ipsi a Deo, carentia autem intensionis ut quatuor in actu amoris esset positiva, cum posset & iuxta leges amicitiae teneretur ad amandum Deum in intensione gratiae vel in intensione consiliata.

Ad secundam probationem Respondeo, negando antecedens, quia stante consilio Deus tenetur ad praeferendam praemotionem ad actum intensum ut quatuor, quae obligatio consurgit in Deo ex sua voluntate, consiliante quod faciat actum amoris intensum ut quatuor. quo consilio stante negat Deus non praestare concursum praemoventem ad illum actum ut consiliatum.

Replicabis Deus potest eligere minus bonum, relicto meliore, ergo & Christus potuit eligere actum minus intensum relicto intensiori,

Respondeo concesso antecedenti nego consequentiam, & ratio disparitatis

manifeste, quia cum Deus sit supremus dominus, & supremum agens, & proinde non habeat superiorem cuius consilijs debeat stare, potest eligere quodcumque bonum sive magnum, sive parvum, cum eo ipso quod sit bonum, sit eligibile, Christus autem ut homo, cum habeat Deum ut superiorem, & eius consilijs debeat stare ne transgrediatur leges amicitiæ, inde est quod non potest omittere actum consiliatum, ut eliciat alium actum, & si alias bonum.

Replicabis, demus quod Christus sit consiliatus ad eliciendum actum amoris ut duo, & quod alias posset elicere, & eliciat actum amoris intensum ut quatuor, in hoc casu omittit actum consialitum, & non elicit actum imperfectiorem,

Respondeo, quod hypothesis est impossibilis præcipue de potentia ordinaria, cum consilia omnia sint ad actus perfectiores, quo pacto Christus elicuit de facto semper actum amoris intensissimum videlicet in eadem intensione ac erat gratia quam habebat, verum si velimus admittere hypothesim, respondeo quod in casu illo esset perfectior actus ut duo quam actus ut quatuor, cum esset iuxta maius beneplacitum divinum.

§. IV.

speciale argumentum ex lesione libertatis proponitur.

Si Christus Dominus non potuit omittere actum consilij, & non potuit recedere, a maiori Dei beneplacito sibi manifesto, sequitur quod in nulla sua actione, fuit liber, consequens non solum est falsum, sed etiam contra fidem, etenim si ~~[illegible]~~ consequens esset verum, in nulla actione meruisset, ergo Christus cum cognitione de maiori Dei beneplacito de aliquo opere faciendo potuit discedere a tali maiori Dei beneplacito & opus non consiliatum elicere. omnia patent præter maiorem, seu sequellam, quæ sic probatur. Si Christus non potuit omittere actum consiliatum, nec recedere a maiori Dei beneplacito sibi manifesto, in eliciendo actus consiliati non erat liber libertate contrarietatis, nec libertate contradictionis. ergo in nulla eius actione erat liber, probatur antecedens, ut esset liber libertate contrarietatis, erat necessarium quod posset elicere actum contrarium, & ut esset liber libertate contradictionis, erat necessarium quod posset elicere actum contradictorium, seu ponere omissionem actus consiliati. sed si Christus non potuit recedere a maiori Dei beneplacito sibi manifesto, nec omittere actum consiliatum, non potuit ponere actum contrarium, nec contradictorium, seu omissionem actus consiliati, ergo non erat liber nec libertate contrarietatis, nec libertate contradictionis. maior est nota, quia libertas contrarietatis

consistit in indifferentia ad actum, & ad contrarium illius, & libertas contradictionis in indifferentia ad actum, et ad eius negationem.

Minor vero probatur quia iudicium seu notitia qua Christus regulabatur ad elicientiam actus erat notitia certa actus consiliati, seu erat iudicium cognoscens evidenter consilium Dei, & actum eliciendi representans pro int. actum consiliatum et eliciendum hic & nunc, & cum impotentia eliciendi actum contrarium, vel contradictorium, si Christus non poterat recedere a consilijs. Sed iudicium quod requiritur ad libertatem contrarietatis vel contradictionis, est iudicium indifferens equaliter, & ad actum, & ad contrarium, vel contradictorium, ergo si Christus non potuit recedere a maiori beneplacito Dei sibi manifesto non potuit ponere actum contrarium vel contradictorium. maior supponitur, cum per scientiam beatam Christus evidenter cognovisset voluntatem divinam, & proinde consilium Dei de opere ab ipso eliciendo, ergo si Christus ratione summae sanctitatis non poterat recedere a maiori beneplacito Dei habebat iudicium regulans elicientiam actus, representans ~~pro~~ actum ut eliciendum hic, & nunc, cum impotentia ad actum contrarium, vel contradictorium.

Confirmatur Christus Dominus eliciendo de facto actum contrarium consilio, vel non eliciendo actum consiliatum quem de facto eliciebat, de facto discederet a maiori Dei beneplacito, ergo si posset vel elicere actum contrarium, vel omittere actum quem de facto eliciebat, posset discedere a maiori Dei beneplacito, & consequenter si non potest discedere a maiori Dei beneplacito, non potest elicere actum contrarium, vel contradictorium. haec ultima consequentia ex prima infertur, & prima probatur, nam antecedens est manifeste verum. quia quod praestat actus actu vel negatio actualis actus, praestat possibiliter actus, vel negatio possibilis. ergo si de facto existens in actu actus contrarius consilio, vel negatio actus consiliati esset actualis discessus a maiori beneplacito Dei, actus contrarius possibilis, vel possibilis negatio, erit possibilis recessus a maiori beneplacito Dei.

Hoc argumentum his vel alijs terminis propositum, movet authores sententiae contrariae ad suam tuendam opinionem, verum non est ita palmare, quod nos cogat ad nostram conclusionem relinquendam. imo in Thomistarum sententia manifestissimam habet solutionem. unde potius nostram conclusionem firmat, & stabilit. & e contra solutio cuiuslibet argumenti praesentis, quae in via D. Thomae non procedit, inefficax est. unde relinquendi sunt vari modi respondendi ad hoc argumentum.

§ V

Refertur, & impugnatur unus modus respondendi

Pater Suarez in simili de precepto Christi, disp. 37. sect. 3. occurrit ad hoc argumentum. dicens. quod ideo Christus Dnus liber fuit in obtemperando, & obsequendo consilijs. quia licet ratione unionis hypostaticę essentialiter, & metaphisice illi repugnet consiliorum transgressio, tamen unio, & consilia non immutabant intrinsice modum operandi voluntatis sed solum extrinsece, quia voluntas. quę est potentia proxime operativa, exigebat specialissimam providentiam, perquam Deus prębere humanitati auxilia congrua, prevvisa per scientiam conditionatam, seu mediam, cum actu consiliato prevvia coniuncta, quibus voluntas Christi constituitur proxime potens. & illam indifferentem relinquebant, quia licet unio reddat impotentem humanitatem ut a consilijs recedat, unio, detenet ex parte principij radicalis. & non requiritur essentialiter unio ad operandum, sed accidit humanitati esse unitam Verbo.

Sed Contra. quia implicat quod principium proximum qualis est voluntas possit remanere indifferens, nec habere auxilia equaliter coniungibilia cum actu consiliato. & cum contrario, vel contradictorio, si principium radicale est determinatum ad unum extremum videlicet ad actum consiliatum, ergo solutio tradita subsistere nequit. probatur antecedens. quia principium proximum proportionatur essentialiter cum principio radicali, sed iuxta solutionem datam, principium radicale ratione unionis, est determinatum ad unum, ergo principium proximum erit necessario determinatum ad unum, & nullo modo indifferens. ad actum consiliatum. & ad eius contrarium, vel contradictorium. maior probatur, quia principium proximum dimanat a principio radicali, & omne esse principij proximi est emendicatum a principio radicali ergo principium proximum omnino debet proportionari cum principio radicali.

Secundo impugnatur quia in sententia huius Authoris consilium, sicut & preceptum non fuit impositum Christo dependenter ab eius voluntate. unde non potuit ab humanitate vitari, ut docet Suarez, sed consilium infert infallibiliter actum consiliatum, in voluntate incapaci moralis imperfectionis, & proinde impotente recedere a consilijs, ergo non potest intelligi voluntas cum indifferentia. unde in isto modo dicendi redditur inefficax principium alias infallibile in sententia Societatis, etenim in sententia Societatis, antecedens infallibiliter connexum cum uno extremo libertatis, si non est in potestate libertatis createque ponere vel auferre antecedens, aufert libertatem, sed consilium, vel preceptum, in voluntate impeccabili, & moralis imperfectionis incapaci, est antecedens infallibiter connexum cum uno extrem. libertatis, ergo non potest intelligi voluntas cum indifferentia proxima ad actum consiliatum, vel ad eius contrarium, vel contradictorium.

Tertio impugnatur quia in sententia communi ad libertatem requiritur quod potentia proxima sit expedita per modum actus primi ad actum. & ad contrarium, & ad utriusque omissionem

sed stante consilio inferente essentialiter actum consilitum, non potest in voluntate intelligi talis potentia proxima sic expedita, si semel ratione unionis humanitas est radicale principium essentialiter connexum cum actu consiliato. ergo in isto modo dicendi, non componitur libertas cum incapacitate imperfectionis moralis per recessum a consilio. cetera patent, & probatur minor. quia si esset talis expeditio maxime ad actum consiliatum in sensu composito consilij, vel in sensu diviso. sed neutro modo, ergo non intelligitur talis expeditio, probatur minor 1° quoad sensum compositum, quia si posset simul componi cum unione, & cum consilio ad actum a, omissio illius, posset recedere a consilio, ut evidenter constat. unde esset potentia ad moralem imperfectionem. imo esset potentia ad peccandum, cum eodem modo posset simul componere cum praecepto ad actum a. eius omissionem, quod utique est posse peccare.

Pro secunda ergo parte probatur antecedens. quia si esset potentia in sensu diviso posset dividere omissionem actus a consilio, vel a praecepto, si actus esset praeceptus. sed illam non potest dividere a consilio, vel praecepto. ergo non est potentia in sensu diviso. maior est communis doctrina, & intelligentia sensus divisi in schola Societatis, probatur ergo minor. posse dividere omissionem a consilio, vel praecepto, est posse ponere omissionem cum negatione consilij, vel praecepti, sed non potuit ponere omissionem cum negatione consilij vel praecepti. ergo illam dividere non potuit a consilio vel praecepto, probatur minor, nam cetera patent ex eorum doctrina. quia posse ponere omissionem cum negatione consilij, vel praecepti; est posse ponere utrumque. quae propositio est universaliter verum in sententia Societatis, imo habetur quasi principium, ad physicam praedeterminationem impugnandam. & minor conceditur in isto modo dicendi. cum consilium sit independenter a libera Christi voluntate.

§. VI.

Refertur, & impugnatur alius modus respondendi.

Eminentissimus Cardinalis Lugo disp. 20. sect. 10. respondet quod ideo conciliatur libertas in voluntate Christi, quia impotentia quae in ea datur ad recedendum a consilijs, est impotentia moralis, non physica, unde physice potest recedere a consilijs, quod sufficit ad libertatem.

Sed contra quia impotentia quam habet Christus, ad recedendum a consilijs, est talis, etiam de potentia absoluta, sed ad id quod quis nec de potentia absoluta potest, requiritur quod impotentia sit etiam physica, ergo impotentia ista est non solum moralis, sed etiam physica. minor constat ex dictis explicando impotentiam peccandi, quae est in Christo Domino.

Secundo impugnatur, quia impotentia tantum moralis est illa, quae moraliter loquendo fieri non potest, at vero metaphysice

loquendo fieri potest. s[ed] Christus impotens est ad peccandum, & ad moralem imperfectionem seu ad recedendum a consilijs. etiam metaphysice, cum repugnet etiam de potentia absoluta. ergo etiam est physice impotens,

Tertio impugnatur. quia si physice non esset impotens ad recedendum a consilijs physice posset recedere. ergo physice posset esse moraliter imperfectus. quod dici nequit, cum illi repugnet recessus a consilijs, etiam de pot[entia] absoluta.

Quarto impugnatur quia impotentia recedendi a consilijs, praestatur a gratia unionis, seu a sanct[itate] infinita quae sanctus substantialiter est. imo. et praestatur. a visione beatifica, & ab amore beatifico quo Deum amat etiam super omnia moraliter imperfecta, s[ed] ista forma, imo istae formae: sunt physice, ergo & impot[enti]a est physica.

Quinto impugnatur, quia amor Dei super omnia opponitur cum peccato. tali oppositione ut nec de potentia absoluta possit vinci, amor Dei, constituit impotentiam physicam ad se coniungendus cum peccato. ergo similiter.

§ VII

Refertur, et impugnatur alia responsio.

Pater Puente Hurtado disp. 62. sect. 6. subsect. 2. n. 171. docet ideo Christum liberum fuisse, quia licet stante consilio non posset de potentia absoluta ab illo recedere, tamen potuit dispensationem consilij. vel abrogationem impetrare.

Sed contra primo, quia consilia, sicut & praeceptum. data fuerunt Christo ut homini. a Deo ut superiori. ergo modo quo consilia a superiori communiter dantur, s[ed] dantur independenter a volunt[at]e inferioris, ergo sic Christo ut homini data fuerunt.

Secundo impugnatur. quia alias sequetur quod Christus non fuit formaliter liber in actibus consiliatis, s[ed] tantum causaliter, quatenus videlicet tales actus fuerunt liberi in causa, nimirum in voluntate non petendi dispensationem, & abrogationem consequens est falsum, ergo, & illud ex quo sequitur. sequella patet, quia si Christus operetur ex consilio, debet supponi consilium non abrogatum, nec dispensatum, s[ed] stante consilio stat connexio infallibilis cum uno extremo libertatis, nempe cum actu consiliato. cum impot[enti]a ad aliud extremum, ergo ipse actus consiliatus non erit formaliter liber, sed ad summum in causa, quatenus voluit petere dispensationem vel abrogationem.

Tertio quia Christus per scientiam beatam clare cognoscebat quid magis Deo placeret, petere, videlicet. vel non petere dispensationem, ergo si cognoscendo quod magis Deo placebat non petitio, petebat, operabatur contra consilium, vel si cognoscebat, quod petitio placebat magis, debuit petere, unde similiter operatus fuisset contra consilium. & cum alias dispensationem non petijsset seq[uitur] quod cognovit quod non petere dispensationem magis Deo placebat, ergo illam non potuit petere, alias posset operari contra consilium.

§. VIII.

Refertur, & reiicitur alia responsio.

Pater Bernal disp. 59. sect. 5. § 1 & 2. respondet quod ideo Christus Dominus liber fuit in eliciendo opere consiliato, quia consilium non fuit ipsi datum de aliquo opere determinato, sed in communi, nimirum ut eligeret quidquid voluisset, unde semper operabatur ex consilio, & perfectissime iuxta maius beneplacitum Dei.

Hanc suam existimationem probat primo ex varijs textis Sacrae paginae. 1° ex illo Matth. 11. omnia mihi tradita sunt a Patre meo. idest ut ipse interpretatur omnium actionum, consiliorumque determinatio fuit meae voluntati concessa... 2° ex illo Matth. 28. Data est mihi omnis potestas in caelo, & in terra. 3° ex illo Ioann. 13. Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus... Ex quibus testimonijs, sic format argumentum. illud signum omnia, & omnis, quod continetur in praedictis testimonijs, est universale, unde distribuit complete, ita ut nihil sit excludendum iuxta communem intelligentiam in sacris litteris, nisi aliqua absurditas manifeste sequatur, sed in eo quod omnium consiliorum ratio fuerit voluntati Christi commissa nulla continetur absurditas: ergo accipienda sunt illa signa cum omnimoda amplitudine, ita ut verificetur sensus supradictus.

Secundo illam probat testimonio ex D. Anselmo lib. 1. cur Deus homo cap. 1. ubi loquendo de Christo sic ait: * Quoniam idem ipse est Deus, & homo secundum humanam, ex qua fuit homo sic accepit a divina natura, quae alia est ab humana, esse suum, quod habebat, ut nihil deberet dare nisi quod volebat. sed si accepisset consilia de actibus in particulari, hoc non verificaretur, ergo iuxta D. Anselmum, nullum consilium de actibus particulari accepit.

Tertio illam probat ratione quia ad gratiam unionis quae est omnium suprema, sequitur, equitur dominium universorum, & universale, quam maxime Deo simile, sed Deus ratione supremi dominij habet ut quidquid eligit perfectissime eligat, absque aliqua imperfectione morali ergo humanitas idem debet habere eamdemque dignitatem.

Sed Contra, quia de ratione consilij est versari circa materiam, & circa actiones in particulari ergo praedicta intelligentia est sine fundamento, antecedens probatur primo, quia consilium est sententia et iudicium subsequens inquisitionem, sed iudicium, & sententia huiusmodi, est circa materiam, & actiones in particulari, ergo & consilium. Secundo quia, si quis petenti consilium diceret, quod faceret quidquid voluerit, certe vel non diceretur dare consilium vel solum irrisorie diceretur consiliare. ergo est quia debet esse de actibus in particulari.

Tertio probatur idem ant. quia praeceptum debet esse circa actiones in particulari, ergo & consilium. antecedens patet, quia inepte praeciperet superior si diceret, praecipio tibi ut facias quidquid volueris. consequentia autem patet a paritate rationis, quia ideo praeceptum est circa actiones in particulari, quia est sententia iudicij determinantis inferiorem, similiter est consilium sententia, ergo.

Quarto probatur idem antecedens ad hominem contra istum autorem, quia ipse P. Bernal impugnans modum dicendi P. Hurtado asserentis ex una parte fuisse datum Christo consilium de non petenda dyspensatione praecepti de subeunda morte, et ex alia fuisse Christo manifestum, quod aeque gratum foret Deo si dispensationem peteret, ait praedictus autor quia si hoc esset verum, esset idem ac si nullum Deus Christo dedisset consilium, unde relinquit illius dicendi modum. ergo vel inefficaciter ipse arguit contra P. Hurtado, vel hujus modus dicendi est inanis.

Quinto, quia iste autor contra Patrem Hurtado arguit sic, si aeque gratum foret Deo quod Christus peteret, vel non peteret dispensationem a praecepto, nullum erit firmum fundamentum ad asserendum, quod Christus omnia praecepta adimplevit, cum potuisset petere dispensationem, unde concludit ergo implicat quod habeat consilium de non petenda dispensatione, & quod sit Christo notum, quod esset aeque gratum Deo si dispensationem peteret, ex quo sic arguo contra ipsum, ergo si Christus habuit consilium de faciendo quod voluisset, & non determinate de eligendo, & faciendo meliora, nullum est fundamentum ad asserendum quod Christus semper operatus fuit in amore Dei eliciendo eligendo actum intensiorem, seu intensissimum iuxta intensionem habitus Charitatis, & gratiae, probo consequentiam, quia aeque gratum foret Deo si eligeret elicere actum amoris remissum. quod dici nequit, cum negari nequeat quod adest consilium de eliciendo actum amoris Dei in maiori intensione possibili, idest ad minus iuxta intensionem Charitatis, & gratiae. cui Deus pro suo libito posuit terminum phisicae intensionis, eo quia repugnat qualitas phisice infinita.

Hec motiva seu fundamenta pro sua sent.a stabilienda, quia interpretatio ad praedicta testimonia ex Sacra pagina quam iste autor ex suo cerebro relinquenda est, et standum est interpretationi Sanctorum Patrum. videlicet Chrisostomi, Hieronimi, Hilarij, & Augustini, ex quibus D. Th. super praedicta evangelia docet, quod intelligunt de Christo ut Deo, non ut homini. cui per aeternam generationem omnia dedit Pater.—

Secundo dato quod intelligantur de Christo ut homini, dicendum est quod inconveniens maximum & evidens sequitur si intelligantur modo ab isto autore praeconcepto, & inconveniens est, quod detur consilium contra essentiam Consilij, quod petit supposita in rebus dari de re in particulari.

Ad autoritatem quam adducit ex D. Anselmo respondeo, quod ex illa solum convincitur, quod Christus non debeat dictis inferentibus timorem poenae, non vero quod non debeat dicto, amicitiae, imo & in... cum quo quam maxime salvatur eius libertas, & impeccabilitas.

Unde licet ... & alijs modis respondendi ad argumentum, omissis, devenire placet ad genuinum, & legitimum, ~~.....~~ ex doctrina thomistarum, sit ergo.

§. IX.

Stabilitur vera solutio.

Ad argumentum factum ex lesione libertatis, relictis alijs modis dicendi extra scholam D. Thomæ respondetur iuxta doctrinam istius scholæ Angelicæ, negando maiorem, & adeius probationem, negatur antecedens quoad secundam partem, præcipue. dico præcipue quoad secundam partem, quia etiam est falsum quoad primam, poterat enim potentia antecedenti elicere actum contrarium, nam in sensu diviso consilij actus consiliati, v.g. si actus consiliatus erat actus caritatis et odio, poterat in sensu diviso consilij elicere alium actum charitatis inferioris intensionis, qui aliquo modo est contrarius intensiori, quatenus videlicet remissus excludit, vel infert non intensiorem, verum si pro actu contrario intelligatur solum odium ad illum nulla potentia poterat. & proinde concedo quod non habuit libertatem contrarietatis, habuit tamen libertatem contradictionis, quia voluntas Christi secundum se inspecta poterat omittere actum intensiorem, præcisive a consilio, & præcepto, & poterat elicere actum inferioris intensionis ex quo infertur non esse actus intensioris,

Et ratio huius est quia cum consilium versetur erga libertatem, et circa materiam propriam pro signo anteriori ad consilium intelligitur voluntas potens potentia antecedenti [illegible] ponere utrumque actum, & intensum, & remissum verum in signo consilij non aufertur illa potentia antecedens, sed potius infertur cum consilium solum petat se exercere circa libertatem, at vero in voluntate incapaci imperfectionis moralis facit, quod in sensu composito consilij voluntas coniungenda sit consequenter cum actu consiliato, unde non aufert potestatem quæ erat pro signo libertatis, et ut actus aliquis sit liber, sufficit quod potentia secundum se & præcisive a circunstantijs accidentaliter advenientibus potentiæ, possit in utrumque extremum.

Dices iudicium quo regulatur voluntas ad eliciendum actum consiliatum cum sit ex parte actus primi, si est determinate repræsentans unum extremum aufert potestatem etiam antecedentem ad alium extremum, atqui iudicium quo regulatur voluntas Christi ad eliciendum actum consiliatum, est iudicium non indifferens sed determinate repræsentans actum consiliatum, & actum non consiliatum reddit impossibilem, cum sit moraliter imperfectus. ergo aufert potestatem antecedentem

Respondeo, quod iudicium illud, etsi in sensu composito consilij, sit determinatum, tamen, absolute relinquit potentiam liberam, quia relinquit potentiam ad habendum aliud iudicium. et eo quia illud primum iudicium est accidentaliter conveniens potentiæ, unde relinquit sufficientem indifferentiam ad libertatem idest in sensu diviso primi iudicij

Secundo quia iudicium compositum cum consilio, seu iudicium repraesentans actum consiliatum, repraesentat actum consiliatum ut libere exequendum; unde ex vi illius iudicij in voluntate incapaci moralis imperfectionis, non potest non esse actus consiliatus ut cum repraesentatur ut libere ponendus, erit infallibiliter, sed erit infallibiliter libere. Quare autem iudicium repraesentans actum consiliatum debet illum repraesentare ut libere & infallibiliter eliciendus est quia consilium respicit materiam liberam unde supponit capacitatem habendi aliud iudicium repraesentans non eliciendum substantiam illius actus, seu repraesentans illum & aliam cum omnimoda indifferentia.

Unde ad argumentum in forma respondetur distinguendo ut dixi antecedens de potentia in sensu composito, & in sensu diviso, et ad probationem quatenus solutioni datae obstare potest respondeo distinguendo similiter maiorem, ut esset liber libertate contradictionis erat necessarium quod posset potentia antecedenti ponere contradictorium actus consiliati concedo maiorem, quod posset etiam potentia consequenti nego, imo implicat in terminis. & distinguo minorem eisdem terminis, et nego consequentiam.

Ad probationem minoris quatenus huic solutioni obstare potest explico, seu distinguo maiorem, illud iudicium cognoscens evidenter consilium Dei repraesentat actum consiliatum ut eliciendum hic, & nunc, ut eliciendus libere, concedo, ut eliciendum necessario, nego maiorem, illud enim iudicium est accidentaliter adveniens libertati, unde illam relinquit quoad essentialia ipsius, & proinde cum capacitate ad utrumque, & distinguo minorem sed iudicium quod requiritur ad libertatem est iudicium indifferens aequaliter ad actum, & ad omissionem, vel permittens indifferentiam, quae alias est, concedo, ut requiritur quod iudicium sit indifferens in se, & non solum permittens indifferentiam nego minorem, & consequentiam.

Explicatur solutio dicimus enim, quod iudicium repraesentans actum consiliatum in voluntate ~~[illegible]~~ incapaci moralis imperfectionis, licet ex se repraesentet actum consiliatum ut determinate exequendum, tamen cognoscit etiam quod voluntas ex se regulatur alio iudicio indifferenti quod proponit actum consiliatum, vel eius omissionem ut ponendam secundum se, & in sensu diviso ab actu consiliato, & a iudicio illum determinate repraesentante, quod sufficit ad libertatem, & quod iudicium repraesentans actum consiliatum ut determinate ponendum componatur cum alio iudicio proponente actum & omissionem ut ponendam in sensu diviso. ~~[illegible]~~ actus consiliati; & iudicii repraesentantis actum consiliatum, patet ex ipsa natura consilij, quod exigit versari circa materiam liberam.

Replicabis sed tale iudicium repraesentans actum consiliatum non supponit iudicium aliud repraesentans actum consiliatum, & eius omissionem ut in sensu diviso consilij ponendam, ergo nulla est solutio. probatur antecedens.

ideo Christus cum iudicio representate determinate actum consiliatum non habet aliud iudicium quod in sensu composito primi iudicij representet actum consiliatum, & eius omissionem indifferenter. quia illud iucium representans actum consiliatum, reddit impossibilem omissionem. S. etiam reddit impossibilem omissionem in sensu diviso, ergo iudicium representans actum consiliatum non relinquit nec supponit aliud iudicium representans indifferenter omissionem etiam in sensu diviso.

S.d Ista et respondeo neg. antecedens, & ad eius probationem distinguo maiorem. quia reddit impossibilem omissionem, impossibilitate conseq. concedo, alio modo nego maiorem, & minorem.

Replicabis ideo omissio est impossibilis in sensu composito quia Christus stante iudicio representante actum consiliatum non potest componere cum illo omissionem. S. etiam non potest dividere omissionem a iudicio illo, ergo non potest etiam in sensu diviso.

Sed Contra, & distinguo minorem Non potest dividere omissionem a tali iudicio, divisione physica, & positiva concedo minorem, divisione praecisiva nego minorem & consequentiam etenim positivum non esse consilij non requiritur quod sit, ut salvetur cum consilio potestas ad omissionem. S. ipsum consilium, seu ipsum positivum esse consilij, & positiva cognitio existentiae iudicij consilij admittit potentiam ad utrumque extremum libertatis, & cognitionem talis potentiae, cum consilium ex natura sua exigat versari circa materiam liberam quae non potest stare non stante potentia ad utrumque extremum.

Et per hoc iam patet solutio ad Confirmationem supra positam concesso antecedenti negatur consequentia. quia arguitur de sensu composito ad divisum, vel claritatis gratia distinguatur consequens ergo si posset elicere actum contrarium, vel omittere actum quem de facto eliciebat posset discedere a maiori beneplacito Dei, si posset potentia conseq. & in sensu composito concedo, si solum posset potentia antecedenti, & in sensu diviso praecisivo nego consequentiam.

Sicut similiter non valet ista consequentia negatio consensus actu existens praesupposita efficaci praemotione ad consensum est actualis frustratio praedeterminationis, ergo si praesupposita efficaci praemotione ad consensum, est possibilis negatio consensus, est possibilis frustratio efficacis praemotionis. Nec similiter ista consequentia valet negatio actus praescitii de facto est actualis frustratio scientiae Dei, ergo si est possibilis negatio actus praesciti etiam praesupposita scientia affirmativa actus, est possibilis falsificatio scientiae Dei, antecedens est verum, & consequens falsum, in omnium sententia, & ratio nulla alia assignari potest nisi quia arguitur a sensu composito ad divisum.

quae omnia clariora fient ex doctrina sequentis disputationis. unde alias replicas et ista replicas quae possunt fieri omittimus.

✠ DISPUTATIO ~~DECIMA~~ NONA

DE CONCORDIA LIBERTATIS CHRISTI CUM EIUS IMPECCABILITATE.

Articulus. 1.

Utrum Christus Dominus habuisset præceptum strictum, & rigorosum de morte subeunda?

§. 1.

Proponitur ratio dubitandi.

Pluries in antecedentibus poterat fieri argumentum de lesione libertatis Christi sed consulto illud omisimus usque ad præsens, quia eget magna discusione unde modo lato calamo debemus explicare quomodo componatur cum impeccabilitate Christi. libertas in præceptorum adimpletione, & præsertim in adimpletione præcepti positivi de morte subeunda.

Ratio ergo dubitandi ea que urgentissima pro parte negativa, est quia Christus Dominus ab intrinseco fuit impeccabilis, ut cum communi theologorum sententia supra stabilitum relinquimus, & fuit utique impeccabilis, tum ratione Unionis hypostaticæ, tum ratione Visionis beatificæ, ut ad tract. de Beatitudine pro nra tenuitate explicuimus. que impeccabilitas ex visione communis est omni beato, ergo Christus Dominus liber non fuit ad obediendum, & non obediendum præcepto, v.g. de morte subeunda, & per consequens non meruit. probatur consequentia, quia libertas in obedientia ad præceptum petit potentiam utique expeditam ad non obediendum, sed Christus non habuit potentiam ad non obediendum, si fuit impeccabilis. ergo si fuit impeccabilis non fuit liber ad obediendum, & non obediendum probatur minor, quia potentia ad non obediendum, est potentia ad peccandum sed in Christo non erat potentia ad peccandum, ergo neque ad non obediendum. probatur maior quia actu non obedire præcepto, est actu peccare, ergo posse non obedire est posse peccare. Arguitur sic

Sed Christus Dominus liber fuit in adimplendo mortis præceptum, & libere pro nobis satisfecit moriendo, & exercuit libere actum obedientiæ & meruit in illo. ergo vel non fuit impeccabilis, vel præceptum positivum de morte subeunda non habuit.

§. II.

Referuntur Sententiæ.

Prima sententia est negativa. et docet ista sententia. quod licet Christus Dnus fuerit subiectus præceptis legis naturalis. et supernaturalis ordinis, quæ ratione dignitatis non erant illi disconvenientia. non tamen habuit strictum, et rigorosum positivum præceptum de morte subeunda, obligans inconscientia, ut nos redimeret morte, et passione sua, sed solum habuit notitiam et insinuationem decreti divini, quod ipse libere curavit implere, non obligatione, sed ferventi charitate, quod large vocatur mandatum, seu præceptum, sufficiens tamen ad virtutem obedientiæ, unde licet Christus sit ab intrinseco impeccabilis, potuit mortem non subire, et illam non acceptare, cum hoc peccatum non sit, et idcirco fuit liber in eius acceptatione, et in morte subeunda. Hæc sententia fuit quorumdam quos sine nomine refert M. Vincentius de Gratia Christi. q. 5. ar. 3. tenet hanc sententiam doctissimus Mag. Victoria relatus a M. Medina in hac. 3. p. q. 47. ar. 2. Eam pro viribus defendit M. Lorca in præsenti. disp. 13 pro se referens Paludanum in 3. dist. 12. q. 2. ar. 3. Dionysium Cistercienciem in 3. q. 3. ar. 2. conclusione 6. refert etiam Beatum. et simul Magnum Albertum cap. 3. de Virtutibus.

Secunda sententia est affirmativa. quæ utique est communis Theologorum. docet ergo ista sententia Christum Dominum habuisse verum, propriissimum, strictum. et rigorosum præceptum de morte subeunda. ita communiter omnes Thomistæ, Scotistæ, et Societatis Doctores. licet valde discrepent inter se. in modo conciliandi libertatem in adimpletione præcepti cum Christi impeccabilitate, de quo postea dicemus. præceptum ergo illud fuisse rigorosum, et strictum docet D. Thomas, in hac. 3. p. q. 19 ar. 3. et q. 20. ar. 1. et q. 47. ar. 2.

§. III.

Præfertur sententia affirmativa.

Sit nostra conclusio cum communi Thomistarum hæc secunda sententia affirmativa. Et probatur ex illo Joann. 10. hoc mandatum accepi a Patre meo. nimirum mandatum ponendi animam, et moriendi pro hominum salute. et ex cap. 14. et sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio. et ex cap. 15. si præcepta mea servaveritis manebitis in dilectione mea, et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in eius dilectione. et ex cap. 24. sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio. quæ verba intelligenda esse de stricto, et rigoroso præcepto constat, et insuper probatur communiter ex eo quod ex huiusmodi intelligentia nullum sequitur inconveniens. Secundo probatur ex eo quod in sacris litteris quammaxime commendatur

obedientia Christi in subeunda morte, & patet ex illo Pauli ad Philip. 2. Humiliavit se met ipsum factus obediens usque ad mortem. & ad Roman. 5. Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam iusti constituti sunt multi.

Respondet pro sententia contraria Ill. Lorca quod verba sacræ paginæ significantia mandatum, & præceptum intelligenda sunt de præcepto lato sumpto. quod utique non est strictum, & rigorosum præceptum, verba autem significantia obedientiam. stricte, & rigorose accipienda esse, primum suadet ex eo quod verba significantia mandatum, a Patribus accipiuntur pro lato præcepto. ergo sic intelligenda sunt, & præterea, quia intellecta de stricto, & rigoroso præcepto. sequitur inconveniens, videlicet quod Christus non fuerit liber in eius adimpletione, & verba sacræ paginæ intelligenda sunt in sensu stricto & rigoroso, si aliquod inconveniens sequitur, & proinde intelligenda sunt de præcepto lato ex qua intelligentia nullum sequitur inconveniens, quia prout sic potest Christus libere non mori. cum non mori non sit peccaminosum. & contra strictum præceptum.

Secundum suadet ex eo quod ad strictam, & rigorosam obedientiam non requiritur strictum. & rigorosum præceptum, sed sufficit latum. seu voluntas Patris insinuata. & manifesta Christo. quod probat ex B. Alberto Magno cap. 3. de virtutibus, ubi docet quod ad perfectam obedientiam sufficit voluntas prælati subdito insinuata. ait enim: Verus obediens numquam præceptum spectat. sed solum voluntatem Prælati sciens. vel credens ferventer exequitur pro præcepto, exemplo Domini Iesu Christi cui voluntas Patris summum præceptum fuit.

Sed nulla ex his solutionibus officit nostræ conclusioni. nec favet sententiæ contrariæ. non prima quia ut modo videbimus Sancti Patres potius stant pro nostra sent.a Secundo quia illud inconveniens non sequitur ut modo manifestabitur. non secunda, quia falsum assumptum proponit, ut etiam manifestabitur. & præterea, si ex stricto præcepto aliquod inconveniens sequitur, etiam sequitur ex præcepto lato. quæ omnia seorsim et cum claritate procedamus probanda & stabilienda sunt.

§ IV.

Ex SS. PP. suadetur hoc strictum præceptum.

Probatur ergo primo ex Magno Parente Augustino tom 4. lib. 2. de Sermone Domini in monte, ubi postquam de observantia Consiliorum dixerat, versans illa verba: Fiat voluntas tua: sermonem instituit de observantia præceptorum

& illa primo explicat de Angelis, & hominibus adimplentibus divinum beneplacitum, quamvis preceptum non sit. Deinde secundam adhibet explicationem his verbis: * Fiat voluntas tua, recte intelligitur: Obediatur preceptis eius sicut in Coelo, & in terra. id est sicut ab Angelis, ita ab Hominibus: nam fieri voluntatem Dei cum obtemperatur preceptis eius, ipse Dominus dicit: cum ait: meus cibus est ut faciam voluntatem eius, qui misit me. Et cum ait: ecce mater mea, & fratres mei, & quicumque fecerit voluntatem Dei, hic mihi est frater. & mater, & soror. *

His ergo in verbis D. Aug. distinguit preceptum a consilijs, & docet preceptum, ita consilio distinctum, & consequenter strictum & rigorosum preceptum esse in Angelis Beatis, non obstante eorum impeccabilitate ratione visionis beatę. & in Christo Domino, in quo non solum admittit precepta naturalia, sed preceptum positivum mortis. Constatque ex illis verbis: * Nam fieri voluntatem Dei cum obtemperatur preceptis eius, ipse Dominus dicit cum ait: meus cibus est. &c. ibi enim Christus loquitur de hominum redemptione.

Et manifeste apparet ex illo Ioann. 4. unde sumpta sunt illa verba: * Meus cibus est ut faciam voluntatem eius, qui misit me, ut perficiam opus eius * Opus autem Dei Christo Domino commissum est hominum Redemptio. & Satisfactio perfecta, divinę iustitię ęsse per peccatum. quod opus perfectum fuit quando moriens in Cruce dixit: Consumatum est.

Ex quibus verbis Sancti Patris Augustini sic efformo argumentum: iuxta Augustinum illa voluntas Dei, quo Christo commissum fuit opus Dei, nimirum hominum redemptio, est voluntas preceptiva, ut contra distincta a voluntate consiliativa, unde hac preceptum contradistinguitur a Consilio, & a simplici Dei beneplacito. Sed voluntas preceptiva, ut contradistincta a consiliativa, est voluntas stricte, & rigorose preceptiva, ergo in Christo fuit strictum, & rigorosum preceptum de morte subeunda.

Rursus probatur ex eodem S. Augustino tom. 9. tract. 79 in Ioann. ubi ex professo admittit in Christo Dno preceptum strictum, & rigorosum. ex quo precepto Arriani intendebant probare inferioritatem Filij respectu Patris, Et expressius tom. 6 lib. contra sermonem Arrianorum. cap. 7. & 11. ubi respondens Arrianorum argumento, quo ex precepto Christo imposito, et ex obedientia ad Patrem Filij minoritatem, & inequalitatem deducere connabantur, hęc habet verba: * Iam quod superius respondimus etiam adversus ista similiter valent. quod enim voluntati, & precepto Patris obediens est Filius nec in hominibus demonstrat diversam, imparemque naturam,

Deinde addit hæc verba: * Huc accedit quod Christus non tantum Deus est, qua natura æqualis est Patri, sed etiam Homo qua natura maior est Pater, cuius etiam non solum Pater, sed Dominus est * ubi non solum admittit Sanctus D.r præceptum strictum, sed et rationem assignat quare illius sit capax Christus D.nus qua ratione postea, & nos utemur.

Deinde probatur ex D. Anselmo lib. 1. Cur Deus homo. cap. 9. per hæc verba: * Potest etiam dici, quia præcepit illi mori Pater, cum hoc præcepit unde incurreret mortem. * id est præcepit Pater ea, videlicet Passionem ex qua mors occasionem desumpsit:

Vlterius probatur ex D. Dionysio Areopagita lib. de cælesti Hierarchia cap. 4. Et ex D. Athanasio Sermone ad illa verba: Anima mea turbata est: relato in 6 Synodo generali act.º 6. prope finem.

Denique probatur ex D. Thoma in Ioan. 15 lect. 2. ubi exponens illa verba: Sicut ego Patris mei præcepta servavi: ait * Christus enim per hoc ostendit, quod mansit in dilectione Patris, quia per omnia mandata eius servavit, nam & mortem sustinuit, quæ intelligenda sunt de Christo, secundum quod homo * ubi eodem modo, & eodem tenore verborum loquitur Angelicus Præceptor, de præcepto mortis subeundæ, ac de alijs præceptis legis naturæ, quæ esse stricta, & rigorosa dubitari nequit. Idem docet Angelicus Mag.r locis supra citatis. §. 2. & insuper in Ioann. 16. lect. 4. ad Roman. lect. 2. prope finem. & lect. 5. etiam prope finem. & ad Philipenses 2. lect. 2 in fine ad illa verba: factus obediens usque ad mortem. ubi sic ait: * Sed quod magna, & commendabilis sit hæc obedientia, patet, quia tunc est obedientia magna quando sequitur imperium alterius contra proprium motum, * ▲

§. V.

Patrum testimonia pro sententia contraria relata explicantur.

Opponunt 1.º D. Ioannem Chrisostomum Homilia 59 in Ioann. explicans illa verba: hoc mandatum accepi: ait: * Nihil aliud præceptum hoc loco significat quam cum Patre concordiam * ▲ Et hom. 75. explicans illa verba: Sicut ego Patris mei præcepta servavi: sic ait: * Humano more loquitur; non enim legislatorem legi subditum esse oportet * ▲ Et tom. 4. hom. 28 in Epist. ad Hebr. ad illa verba: Qui proposito sibi gaudio: ait: * Licebat illi nihil pati si voluisset. * ▲

Opponunt Secundo D. Cyrillum Alexandrinum lib. 10. in Ioann. cap. 20. ubi ait: * Habes in obedientia voluntaria Paterni consumationem consilij quod mandati loco tradi sibi significat * ▲

Opponunt 3.° Theophilactum exponentem illud Joann. 19: Hoc mandatum dedit mihi Pater: ubi ait: * mandatum hoc, hoc est, quod placitum illi, et decretum est ab eo, suscipio, et perficio *

Opponunt 4.° D. Anselmum, Opusculo de meditatione Redemptoris. ibi * Nec natura humana in isto homine passa est aliquid ulla necessitate, sed sola libera voluntate, nec ulla cogente obedientia sed potente disponente sapientia * ▲ Quod et docet lib. 1. Cur Deus homo cap. 8. et 9.

Opponunt denique D. Th. in Joann. 19. lect.ª 5. qui exponens quomodo Pater mandavit Christo, ut moreretur ait * Animae eius inspiravit necessarium esse humanae saluti, ut in natura humana moreretur. * ▲

In quibus Patrum autoritatibus, non continetur praeceptum strictum, sed quaedam insinuata voluntas, vel consilium, ergo ex Patribus non colligitur strictum, et rigorosum praeceptum.

Respondeo D. Chrisostomum loquutum fuisse de Christo quatenus Deo., sic enim non fuit capax praecepti, sed tantum concordiae cum voluntate Patris, erat enim eadem Patris, et Filij voluntas. quae interpretatio est maxime consentanea menti Chrisostomi. in secunda allata ex ipso authoritate. in qua affert causalem negandi in Christo praeceptum. quia nimirum legislatorem legis subditum esse non oportet, quae causalis vera esse non potest nisi de Christo ut Deo, quia Christus ut homo subditus erat legi naturali, et aeternae, quod non potest negare iste Sanctus Pater. unde similiter in ultimo testimonio quando dicit licuisse Christo nihil pati, si voluisset, intelligendus est similiter de Christo ut Deo, sub qua ratione, illi licebat, si voluisset voluntate divina nihil pati. poterat enim alio modo providere de hominum redemptione.

Quam interpretationem admittunt verba Cyrilli, et Theophilacti ▲ Ratio ergo sic interpretandi Chrisostomum, et alios SS. PP. est quia disputabant contra Arrianos, qui ut ex Augustino vidimus ex praecepto Christo imposito inferebant non fuisse eiusdem naturae cum Patre. quod ut vitarent negabant praeceptum impositum Christo ut Deo.

Ad autoritatem D. Anselmi respondeo ipsum negasse in Christo praeceptum inferrens, et imponens necessitatem unde sine ulla necessitate, sed sola libera voluntate, mortuus est. et illud strictum et rigorosum praeceptum. ut postea videbimus, relinquit immunem, et indemnem libertatem, unde non cogente obedientia, id est. non obedientia necessitante, et auferente libertatem, sed illam conservante, mortuus est, praeceptum enim infert mortem. necessitate consequentiae, non necessitate consequentis.

Quo pacto D. Th. 1. p. q. 23. ar. 1. ad 1. explicuit Damascenum lib. 2. de fide cap. 30. asserentem Deum omnia præcognoscere, non tamen omnia prædeterminare, de prædeterminatione auferente libertatem; unde asserit Angelicus Magister Damascenum non negavisse prædeterminationem libertatem conservantem, & causantem. Sic ergo similiter Patres negant præceptum destruens libertatem, non autem præceptum libertatem inferens, & causans.

Respondeo secundo ad autoritates ex Sanctis Patribus notando quod præceptum habet duplicem vim, nempe directivam unam, & coactivam aliam per comminationem pœnæ, & culpæ. Christus ergo incapax fuit præcepti, quo ad vim coactivam; non vero quo ad vim directivam. & quia præceptum, etsi strictum, quandoque solum obligat quo ad directionem, absque vi coactiva, melius nomine voluntatis insinuatur explicatur. ideo Patres in contrarium adducti a nomine rigorosi præcepti abstinuerunt, quæ interpretatio maxime congruit Chrisostomo, & Anselmo. & sic habetur etiam responsio ad D. Th. loco allegato & præsertim iste Sanctus & Angelicus Doctor nequit non sic intelligi in loco allegato cum strictum præceptum admittat locis pro nobis allegatis.

Sed replicabis contra istam solutionem ad autoritatem D. Anselmi. quia quidam eius discipulus obiiciebat contra præceptum Christi in hunc modum ut habetur apud eumdem Anselmum lib. 1. Cur Deus homo. cap. 8. aiebat discipulus in argumento sic: * Nam si aliter peccatores non potuit salvare, quam iustum damnando, ubi est Omnipotentia? si vero potuit, sed noluit, quomodo defendemus Sapientiam eius, atque iustitiam? * Cui argumento respondit Anselmus: * Deus Pater non quemadmodum videris intelligere, hominem illum tractavit, aut innocentem pro nocente morti tradidit; non enim illum invitum ad mortem ille coegit, sed idem ipse sponte suam mortem sustinuit, ut homines salvaret. *

Respondeo quod potius ex ista responsione Anselmi ad argumentum discipuli, confirmatur nostra solutio quatenus admittit præceptum non necessitans, sed conservans libertatem.

Sed urgentius replicabis ex replica facta a discipulo contra solutionem Anselmi, & ex responsione huius Sancti Doctoris ad replicam a discipulo factam. replicat ergo in fine cap. 8 citati & ait: * Etiam si non invitum, quoniam voluntati Patris consensit, quodammodo tamen illum coegisse videtur, præcipiendo; dicitur enim quia Christus humiliavit se metipsum factus obediens usque ad mortem, &c.

Cui argumento respondet Anselmus cap. 9. per hæc verba: * Non ergo coegit Deus Christum mori, in quo nullum fuit peccatum; sed ipse sponte sustinuit mortem, non per obedientiam deserendi vitam; sed propter obedientiam servandi iustitiam, in qua tam fortiter perseveravit, ut inde mortem incurreret *

Hæc D. Anselmus, ex quibus contra solutiones a nobis datas sic replicabis: Sanctus Doctor, & concedit præceptum Christo impositum servandi iustitiam; & negat præceptum sustinendi mortem; . Sed præceptum servandi iustitiam non fuit coactivum, per comminationem pœnæ, aut culpæ, sed tantum directivum, & cum libertate compositum. ergo respectu huius quod est sustinere mortem, non solum negat præceptum quo ad vim coercivam, sed etiam quo ad vim directivam; alias nullum esset discrimen ab ipso assignatum inter id quod est servare iustitiam, & sustinere mortem.

Respondes mortem dupliciter sumi posse nimirum in facto esse & in fieri antecedenti instans intrinsecum mortis in facto esse, quatenus videlicet mors est in suis causis illam inducentibus, causantibus, & inferentibus, unde etiam sustinere mortem etiam est dupliciter, nempe sustinere mortem in fieri, quod nihil aliud est quam subiici causis mortem naturaliter inducentibus, & in facto esse. quod nihil aliud est quam ipsum mori. quando ergo Anselmus negat præceptum etiam quo ad vim directivam, circa hoc quod est sustinere mortem, loquitur de morte in facto esse, non autem de morte ut in fieri.

Quæ solutio lucidetur ex eisdem verbis D. Anselmi, quando enim negat præceptum circa hoc quod est sustinere mortem, explicat per hæc verba: * deserere vitam * deserere autem vitam proprie, & in rigore loquendo, non est subiici causis inducentibus naturaliter mortem. Sicut patet in religioso, v. g. Carthusiano, qui abstinens a carnibus ipsa sua abstinentia infert mortem, & non dicitur quod ipse voluntarie deserit vitam, sed quod voluntarie subiicitur voto suæ regulæ, ex qua subiectione sequitur mors.

Confirmatur, quia idem Anselmus addit ad illa verba non per obedientiam deserendi vitam, sed per obedientiam servandi iustitiam, in qua tam fortiter perseveravit: in quibus verbis denotat fuisse obedientiam, & præceptum circa hoc quod est servare iustitiam, idest reddere & offerre suam satisfactionem, per passionem in qua tam fortiter perseveravit satisfaciendo, & sustinendo causas inductivas mortis, ergo circa mortem in fieri admittit præceptum.

Quod urgentius comprobatur ex verbis sequentibus in eodem cap. 9 citato. addit enim S. Anselmus & ait: * Potest etiam dici, quia præcepit illi mori Pater cum hoc præcepit Pater, unde incurrerit mortem * præcepit ergo Pater passionem sustinendam, quod est idem ac præcipere mortem inferri.

Rursus comprobatur ita solutio ex eodem S. Anselmo, qui cap. 9 citato, ad illa verba: Factus obediens usque ad mortem &c. propter quod & Deus exaltavit illum &c. hæc habet * Potest hoc & eodem modo intelligi, quo idem Dominus legitur, profecisse sapientia & gratia apud Deum, non quia ita erat, sed quia ille sic se habebat, ac si ita esset, nam si post mortem exaltatus esset, quasi propter illam fierent hæc. * ex quibus verbis sic formo argumentum: de illo negat Anselmus præceptum, de quo negat Christum sui exaltationem meruisse, Sed de morte inferi hoc negare non potest, nec vere, nec tute, etenim mors inferri, idem est ac mors in causa, & passione sua, in qua passione stat meritum utique infinitum, & nostra redemptio, & satisfactio ad divinam iustitiam læsam per peccatum, quod negare nequit tantus Doctor, ergo quando negat præceptum circa mortem, est circa mortem in facto esse.

§ VI

Ratione suadetur hoc strictum præceptum

Quia verba Sacræ Scripturæ & Patrum attribuentia Christo præceptum in morte subeunda intelligenda sunt in sensu proprissimo, stricto, & rigoroso, si ex illo non sequitur aliquod inconveniens, sed accipiendo verbo significantia præceptum, & mandatum in stricto, rigoroso, & proprissimo sensu, nullum sequitur inconveniens, ergo dicendum est Christum Dominum habuisse strictum, & rigorosum præceptum de morte subeunda. maior continet regulam universalem approbatam ab Aug.° & admissam communiter a Theologis. & consequentia infertur unde solum restat probanda minor quæ sic probatur. quia si propter aliquam rationem non possent intelligi in sensu rigoroso, maxime quia stante stricto & rigoroso præcepto de morte subeunda, non esset Christus liber in eius adimpletione, Sed manet liber, ergo in tali acceptione nullum sequitur inconveniens. maior continet fundamentum sententiæ contrariæ probatur ergo minor.

Primo quia licet Christus Dominus fuerit exemptus, & liber a præceptis veteris Legis, ut ostendit D. Th. in hac 3 p. q. 37. ar. 3. & 4. vere tamen in quantum homo fuit obligatus Lege naturali, & æterna, ut etiam ostendit idem Angelicus Magister. 1. 2. q. 93. ar. 4. v g. fuit obligatus a præceptis in quibus præcipitur

Amor Dei super omnia, cultus Deo debitus, actus se humiliandi Deo &c. sed in istorum observantia liber fuit, quandoquidem meruit per actus virtutis Charitatis, Religionis, humilitatis, & aliarum, unde cum istis præceptis, & sine eo quod posset illa transgredi, componitur libertas, ergo etiam cum stricto præcepto de morte subeunda componitur libertas in eius adimpletione.

Dices cum autoribus sententiæ contrariæ Christum Dominum non fuisse liberum in adimpletione præceptorum naturalium & legis æternæ, secundum substantiam actuum; non enim instante v.g. præcepto dilectionis Dei, & proximi, poterat diligere, vel non diligere: sed tantum fuisse liberum quoad circumstantias intensionis, vel huius, vel alterius actus, vel motivi, vel aliarum circumstantiarum. unde ex paritate adducta præceptorum legis naturalis, & æternæ ad præceptum strictum de morte subeunda, adsummum convinceretur, Christum fuisse liberum. & meruisse in morte subeunda, quoad circumstantias similes, non vero in ipsa substantia actus adimpletivi talis præcepti. Et cum alias constet ex sacris litteris Christum Dominum meruisse in ipsa substantia mortis subeundæ, ut patet ex illo Isaiæ 53. si posuerit animam suam, vel quia posuit animam suam, videbit semen longævum. & ex illo ad Philip. 2. Propter quod, & Deus exaltavit illum, in quibus verbis denotatur meruisse, & nos redemisse, quia mortuus est, & quia passus est, & non solum quia sub his, vel alijs circunstantijs passus & mortuus est, infertur pro inde quod ipse actus quoad substantiam quo passus, & mortuus est. fuit liber, & proinde non præceptus.

Sed contra primo, quia dissonum videtur, quod actus Charitatis Christi, & actus aliarum virtutum solum sit liber quoad circumstantias, & non quoad substantiam, Charitas enim Christi maxime commendatur, etiam quoad entitatem, & substantiam actus, dicitur enim Ioann. 15 [hoc est præceptum meum ut diligatis invicem [...] dilexi [...]] maiorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Similiter loco citato, ex illo ad Phylip. 2. humilitas Christi quoad substantiam commendatur, dicitur enim humiliavit semet ipsum, factus obediens. &c. propter quod &c. ergo actus Charitatis & aliarum virtutum quoad substantiam fuit liber, non obstante præcepto affirmativo legis æternæ quo præcipiuntur. ergo idem poterit affirmari de actu adimpletivo præcepti mortis subeundæ.

Contra secundo. quia admisso, & non concesso quod stante præcepto stricto moriendi, non componatur libertas quoad substantiam in actu adimpletivo præcepti, sed tantum quoad circunstantias, potius est hoc asserendum, quam præceptum strictum, & rigorosum de morte subeunda negandum, ergo solutio tradita, non bene negat præceptum strictum & rigorosum de morte subeunda.

antecedens probatur, quia illa sententia est præferenda, quæ cum minori impropietate salvat verba sacræ paginæ, 3a. sententia, quæ cum præcepto stricto, & rigoroso de morte subeunda compinit libertatem, & meritum, in actu adimpletivo præcepti, saltim quo ad circunstantias, & si non quoad substantiam actus, cum minori impropietate salvat testimonia sacræ scripturæ quæ attribuunt meritum morti Christi quo ad substantiam quam sententia negans præceptum strictum & rigorosum, ergo illa, est huic præferenda. probatur minor. quia sententia quæ salvat scripturam sacram in aliquo propria, & vero sensu, & si non omnino rigoroso, & stricto, cum minori impropietate salvat scripturam sacram, quam sententia, quæ in nullo proprio sensu illam accipit; sed sententia quæ non admittit strictum, & rigorosum præceptum moriendi, in nullo proprio sensu accipit testimonia exprimentia præceptum; sententia vero componens cum præcepto stricto libertatem saltim quo ad circunstantias mortis, in aliquo proprio sensu, etsi non omnino rigoroso accipit testimonia attribuentia meritum morti Christi quo ad substantiam, ergo hæc cum minore impropietate salvat testimonia scripturæ sacræ. probatur minor. Sententia negans strictum & rigorosum præceptum, solum admittit simplicem, insinuatam, & non præceptivam voluntatem, ergo testimonia significantia præceptum, in nullo proprio sensu accipiuntur ab ista sententia. Sententia vero admittens strictum, & rigorosum præceptum, salvat testimonia attribuentia meritum morti Christi ita ut meritum sit in actu etiam quo ad substantiam, & si non replicative, saltim specificative, sed esse mortem meritoriam quo ad substantiam saltim specificative, est aliquis verus et proprius sensus etsi non rigorosus, ergo in sententia negante præceptum rigorosum in nullo proprio sensu salvat testimonia significantia præceptum, & sententia admittens præceptum in aliquo proprio sensu salvat testimonia significantia meritum in morte Christi.

Confirmatur, sententia concedens Christo libertatem solum quo ad circunstantias in adimpletione præceptorum legis naturalis, & æternæ cum minore impropietate salvat meritum in adimpletione istius legis quam sententia negans Christum fuisse subiectum præceptis legis naturalis, & æternæ salvarent testimonia admitentia Christum fuisse subiectum præceptis strictis legis naturalis scilicet, & æternæ. ergo pariter sententia admittens præceptum strictum de morte subeunda, cum minore impropietate salvat testimonia sacræ paginæ attribuentia meritum morti Christi, quam salvat sententia negans præceptum strictum & rigorosum, testimonia sacræ paginæ attribuentia Christo præceptum in morte subeunda. ergo dato & non concesso quod stante stricto, & rigoroso præcepto non componatur libertas quo ad substantiam in actu adimpletivo præcepti sed tantum quo ad circunstantias potius est hoc asserendum, quam negandum strictum, & rigorosum præceptum de morte subeunda.

Secundo probatur eadem principalis minor. quia in nostra & communi Thomistarum sententia, imo & in sententia Magistri Lorca, qui preceptum strictum, & rigorosum de morte subeunda negat ob lesionem libertatis, gratia ab intrinseco efficax non obstante infalibili connexione cum operatione, non aufert libertatem ipsius operationis cum qua connectitur, & quam infert, & causat, ut docet ipse Lorca. l. 2. tract. de gratia disp. 21. conclusione 2. Sed non minus gratia ab intrinseco efficax infert infalibiliter consensum, v. g. ad quem ordinatur in voluntate nostra, quam preceptum positivum inferat in voluntate impeccabili Christi operationem preceptam. ergo similiter licet istud preceptum inferat infalibiliter operationem preceptam, tamen poterit componi cum libertate eiusdem operationis.

Tertio probatur eadem principalis minor in principijs scientie medie. qui licet eius defensores unanimiter conveniant in eo quod gratia ab intrinseco efficax destruat libertatem, tamen plures & inter defensores scientie medie, magne autoritatis, admittunt in Deo predefinitiones efficaces, regulatas utique per scientiam mediam, & decreta efficacia infalibiliter connexa, cum operatione absolute futura, v. g. cum consensu absolute futuro, quin hoc decretum, vel ista predefinitio aliquod preiudicium inferat in libertate, eo quia decretum istud efficax, & predefinitio efficax, non coniungitur immediate cum operatione, sed executioni mandatur medijs auxilijs congruis ab intrinseco inefficacibus, & solum ab extrinseco efficacibus, nempe ex scientia media, seu ex prescientia nostrarum operationum in statu conditionato; sed preceptum de morte subeunda Christo impositum, licet sit strictissimum, & omnino rigorosum, debet in principijs istius scientie medie, non coniungi immediate cum morte precepta sed medijs auxilijs congruis, & solum ab extrinseco efficacibus, videlicet ex prescientia in statu conditionato operationis precepte; ergo licet in voluntate impeccabili Christi inferat infalibiliter operationem preceptam, potest, & debet admitti preceptum hoc, strictum, & rigorosum, quin officiat libertati, & merito operationis precepte.

Quarto probatur eadem principalis minor Voluntas efficax Dei de morte sustinenda a Christo. eidem Christo manifestata, in sententia Patris Lorca libertatem a Christo non abstulit in eadem morte sustinenda, Sed ista voluntas Dei efficax de morte sustinenda, Christo manifestata, non minus connectitur cum acceptatione mortis, quam Christus per suam voluntatem posuit, quam connectatur preceptum strictum, & rigorosum cum eadem acceptatione a Christo posita, vel ponenda. ergo si non obstante infalibili connexione voluntatis efficacis Dei, Christo manifestate, cum morte sustinenda, compatitur, & componitur libertas in morte sustinenda, similiter, non obstante infalibili connexione precepti rigorosi in voluntate impeccabili Christi, cum morte sustinenda, poterit componi libertas

Dices primo, quod ideo componitur libertas in morte subeunda a Christo, cum voluntate efficaci Dei de morte sustinenda a Christo, licet sit illa voluntas efficax Dei Christo manifestata, quia voluntas efficax Dei supponit in statu conditionato acceptationem Christi, & executioni mandatur in statu absoluto medijs auxilij ab intrinseco inefficacibus, & solum efficacibus ex ipso consensu praevio in statu conditionato. ac proinde ideo libertatem non aufert.

Sed contra, & inprimis ista solutio non potest favere Patri Lorca, patrono sententiae negantis strictum praeceptum. Secundo, in illis principijs scientiae mediae, idem potest theologizari de praecepto stricto, unde salvari poterit libertas in morte subeunda stante rigoroso praecepto.

Dices secundo cum Lorca contra doctrinam supra datam, quod ideo voluntas Dei efficax de morte sustinenda a Christo, Christo manifestata, ideo non aufert libertatem, quia non se tenet ex parte actus primi respectu actus quo Christus mortem acceptavit, vel acceptaturus erat, at vero praeceptum strictum si daretur, se teneret ex parte illius actus primi unde cum alias sit in voluntate impeccabili infallibiliter connexum cum consensu, non posset non auferre libertatem illius consensus. assumptum probas ex eo quia illa voluntas Dei efficax Christo manifestata solum esset applicativa voluntatis Christi acceptantis mortem, quae voluntas Christi, alias de se in actu primo est potens complete ad acceptandum, & non acceptandum.

Sed contra, quia voluntas Dei efficax Christo manifestata non minus se tenet ex parte actus primi respectu actus quo Christus acceptavit mortem, quam se teneat praeceptum ergo si hoc non obstante, illa voluntas Dei efficax Christo manifestata non aufert libertatem actus acceptantis mortem, nec praeceptum illam auferret probatur antecedens, ideo praeceptum, ut cognitum, concurrit ex parte actus primi quia est regula ex cuius conformitate constituitur actus obedientiae, sed etiam voluntas Dei efficax Christo manifestata, est regula ex cuius conformitate constituitur actus in specie obedientiae. etenim in sententia quam impugnamus ad obedientiam sufficit voluntas superioris subdito manifestata & si non sit voluntas stricte imperativa, ergo eodem modo concurrit ex parte actus primi.

Dices tertio contra rationem supra efformatam. quod est magna disparitas inter praeceptum rigorosum de morte subeunda, ex una parte, & inter voluntatem efficacem Dei de morte sustinenda a Christo, eidem Christo manifestata, ex alia. & disparitas consistit in eo.

per præceptum, actus, vel omissio opposita præcepto, videlicet non mors, seu non acceptare mortem, seu omissio mortis, constituitur peccaminosa, & proinde ponitur extra sphæram obiecti voluntatis impeccabilis Christi, & cum in nulla virtute detur potentia, nec antecedens, nec consequens, ad attingendum id quod est extra sphæram sui obiecti, inde est, quod stante stricto præcepto in voluntate impeccabili Christi, nulla datur potentia, nec antecedens, nec consequens ad non acceptationem mortis, unde cum ad libertatem in acceptatione mortis requiratur potentia & ad acceptationem, & ad non acceptationem inde est quod ex stricto præcepto sequitur læsio libertatis, at vero voluntas efficax Dei de morte sustinenda a Christo, licet Christo sit manifestata, cum non sit voluntas præceptiva, non constituit peccaminosam non acceptationem mortis, & proinde illam relinquit intra sphæram obiecti voluntatis Christi, & proinde stante illa voluntate Dei efficaci, stat in voluntate Christi potentia in actu primo, ad acceptationem, & ad non acceptationem mortis, & per consequens manet illæsa libertas.

Sed contra, quia si supposito præcepto, non mors redditur peccaminosa, ita supposita voluntate efficaci Dei, non mors redditur frustrativa eiusdem voluntatis efficacis, & sicut si de facto stante præcepto poneretur non mors, esset peccatum, ita stante illa voluntate efficaci, si poneretur non mors, esset actualis frustratio voluntatis Dei, sed non minus est extra sphæram voluntatis impeccabilis peccatum, quam sit extra sphæram voluntatis creatæ frustrare voluntatem efficacem Dei, ergo similiter non mors erit extra sphæram voluntatis Christi, etiam solum stante voluntate efficaci Dei, de morte sustinenda a Christo, licet non esset illa voluntas rigorose præceptiva ergo vel cum illa voluntate efficaci non compatitur libertas, vel compatitur cum rigoroso præcepto.

§ VIII

Alia ratione suadetur hoc præceptum strictum, et rigorosum

Quia materia præcepti positivi est actus liber, et honestus, hoc enim est quod Christo præcipitur, nimirum quod libere ponat animam suam, ergo non potest destruere libertatem actus præcepti, alias se ipsum destrueret, quod est impossibile. antecedens est certum quia obiectum obedientiæ est actus præceptus seu materia præcepta. Sed obiectum obedientiæ est actus liber, & materia libera, nullus enim in necessarijs dicitur obedire, quo pacto actus necessarii præcipi nequeunt, etenim motus cordis, digestio, & nutritio, & alij actus naturales nequeunt præcipi, sicut nec visio beatifica, vel amor beatificus. & hoc non alia

ratione. nisi quia tales actus non sunt sub dominio voluntatis, ergo cum quia materia precepti est libera. ergo preceptum positivum libertatem non potest destruere,

Confirmatur

quia decretum Dei efficax. & physica predeterminatio. qua Deus decernit, & predeterminat nostros actus liberos. non potest libertatem actus destruere. ut late probatur & defenditur a Thomistis. ad q.19 & 19. primæ partis, & alibi, ergo similiter quia preceptum positivum habet pro materia actus liberos, non potest libertatem actus precepti destruere.

Dices, preceptum cadere supra actum qui alias esset liber si non preciperetur. seu dices quod materia precepti est libera antecedenter ad preceptum. non vero consequenter. cum supposito precepto in voluntate impeccabili, actus precepti constituatur necessarius. & non possit non esse.

Sed contra primo, quia preceptum seu materia ut precepta est obiectum virtutis obedientiæ. sed obedientia cum sit virtus electiva. & eius actus sit electio, necessario respicit libertatem in actu. ergo materia precepti non solum est libera antecedenter ad preceptum, sed etiam supposito precepto. actus enim quo quis adimplere potest preceptum. est actus liber. libertate propria actus secundi, virtus enim electiva, & eius actus nimirum electio, supponit inquisitionem. & consilium, & consilium cadere non potest circa actus necessarios

Contra secundo

quia si materia precepti positivi posset esse non libera consequenter, nulla esset ratio ob quam, actus necessarius non posset precipi quod nullus sane mentis potest asserere, assumptum probo. quia capacitas, vel incapacitas alicuius actus ad cadendum sub precepto ex illius fine est desumenda, qui est executio rei preceptæ, sed si semel conceditur preceptum posse adimpleri, seu executioni mandari. per actum non liberum nulla est ratio. ob quam actus non liber. sed necessarius non possit cadere sub precepto. ergo preceptum cadere debet supra actum. qui non solum sit liber independenter. & antecedenter ad preceptum, sed qui etiam sit liber in actu secundo. & in exercitio. & consequenter ad preceptum.

Confirmatur quia vel finis precepti, & eius adimpletio, est adimpletio determinate libera, vel est adimpletio abstrahens. a libera & necessaria, si hoc secundum dicatur, ergo potest adimpleri preceptum per actum necessarium. & consequenter actus necessarius poterit cadere sub precepto. si dicatur primum, ergo debet in actu precepto conservari libertas. etiam consequenter ad preceptum.

§. VIII.

Alia ratione suadetur hoc strictum præceptum.

Vlterius efficacissime suadetur dari in Christo strictum, & rigorosum præceptum de subeunda morte. Quia Christus Dominus proprissima, stricta, & rigorosa obedientia fuit Patri obediens, ut constat ex illo ad Romanos. 5.* Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam iusti constituuntur multi.* & ex illo ad Philipenses. 2.* Humiliavit semet ipsum, factus obediens usque ad mortem*. quæ testimonia intelligenda esse de stricta, & rigorosa obedientia fatetur Lorca. præcipuus Patronus sententiæ contrariæ. Sed obiectum formale obedientiæ, exigit præceptum strictum, & rigorosum, ergo Christus Dominus habuit, verum, strictum, proprium, & rigorosum præceptum de subeunda morte.

Minor est certa, & insuper late probatur ab Angelico Magistro. 2.2. q. 104. ar. 2. & super illud Pauli ad Rom. 5. lectione 5. ubi Santus Doctor asserit obiectum obedientiæ, secundum quod specialis virtus est, esse præceptum superioris, sicut obiectum Religionis est superioris excelentia, distinguitque Angelicus Præceptor duplex præceptum, aliud tacitum; expressum aliud, & aliquod illorum necessarium esse affirmat ad propriam, & strictam obedientiam, & utrumque esse strictum præceptum constat, quia disonum valde, & maximum absurdum esset asserere Christum Dominum potuisse transgredi præceptum etiam tacitum.

Dices cum authoribus sententiæ contrariæ specialiter cum Magistro Lorca. quod obiectum obedientiæ strictæ, & propriæ est præceptum, vel strictum, vel latum, acceptum nimirum pro voluntate insinuata superioris nullatenus obligante. & pro inde ut salvetur stricta obedientia, & quod ex obedientia passus, & mortuus est sufficit præceptum latum. ergo ex eo quod habuisset strictam obedientiam. non arguitur habuisse strictum, & rigorosum præceptum. assumptum probat ex Beato Alberto Magno cap. 3. de Virtutibus, verbis supra §. 3. prope finem relatis.

Sed contra primo quia ut ex Angelico Magistro vidimus loco proxime allegato stricta obedientia respicit ut obiectum præceptum superioris sive expressum, sive tacitum. ait enim, *Vnde obedientia est specialis virtus. & eius speciale obiectum est præceptum tacitum, vel expressum; voluntas enim superioris quomodocumque innotescat, est quoddam tacitum præceptum. Sed Christus nec tacitum præceptum potest frangere. ergo cum ista impotentia compatitur libertas, & pro inde, cum impotentia ad transgrediendum expressum rigorosum præceptum debet etiam componi libertas.

Vlterius idem Angelicus Magister loco citato ex 2.2.q.104.ar.2.ad 1. ait: * Sic igitur ratio precepti, quam attendit obedientia concurrit cum actibus omnium virtutum; non tamen cum omnibus virtutum actibus, quia non omnes actus virtutum sunt in precepto ut supra habitum est* videlicet. 1.2.q.96.ar.3. ex quibus verbis sic arguitur: si obedientia, que est specialis virtus non respicit strictum, & rigorosum preceptum, sed solum voluntatem Superioris, seu divinum beneplacitum, ratio precepti, quam attendit obedientia concurreret cum omnibus actibus omnium virtutum, quod est contra Angelicum Magistrum, & contra rationem abipso propositam, ergo obedientia, que est specialis virtus respicit ut obiectum preceptum strictum, & rigorosum, & non solum divinum beneplacitum, seu latum preceptum non obligans. Sequella maioris probatur, quia omnes actus omnium virtutum sunt iuxta divinum beneplacitum, ergo obedientia que est specialis virtus concurreret cum omnibus omnium virtutum actibus.

Rursus idem assumptum suadetur, obedientia que est specialis virtus duo respicit, & Superiorem, & illius preceptum, sed propria obedientia non est que non respicit Superiorem proprie, & stricte talem, ergo, & que non respiciat preceptum proprie, & stricte tale

Confirmatur non minus est de ratione obedientie ordo ad Superiorem personam, quam ordo ad preceptum, sed non salvatur propria obedientia, nisi in ordine ad personam superiorem proprie talem, ergo nec salvari poterit sine ordine ad preceptum proprie, & stricte tale.

Confirmatur secundo, quia Religio habet pro obiecto formali cultum persone excellentis, non salvatur essentia religionis nisi proprium & strictum cultum respiciat in persona, proprie, & stricte excellente. ergo quia obedientia proprie talis respicit Superiorem precipientem, seu subiectionem ad personam Superiorem precipientem, non salvavitur vera, & propria obedientia, que non respiciat, & Superiorem proprie talem, & preceptum proprie, & stricte tale.

Confirmatur amplius quia licet persona, alias Superior, & in dignitate constituta, suam voluntatem explicet sibi non subdito, executio, qua homo ille illi non subditus, illam voluntatem executioni mandaret, non esset vera obedientia, ergo est, quia ut voluntas Superioris sit obiectum obedientie, debet esse superioris, ut talis, & ut exercentis suam iurisdictionem in sibi subditum. Sed voluntas non preceptiva sed tantum simplex, et consiliativa, licet alias sit hominis Superioris, non est voluntas exercens iurisdictionem aliquam in subditum, ergo non potest esse obiectum obedientie.

Denique confirmatur quia Subiectio Subditi ad Superiorem secundum se inspectum, & nihil praecipientem est actus virtutis humilitatis, vel virtutis Religionis ergo non est actus strictae obedientiae ergo est quia non respicit Superiorem ut praecipientem. ergo obedientia respicit ut obiectum strictum, & rigorosum praeceptum. antecedens patet. quia in illa voluntate consiliativa non distinguitur superior, a non Superiore. aequalis enim. & inferior consiliare possunt, et operari ex consilio dato ab aequali, vel ab inferiore est illi humiliari.

Insuper haec ratio probativa stricti praecepti in Christo ex obedientia, formatur ex alio capite. ~ Quia non stat stricta inobedientia nisi contra strictum praeceptum, ergo nec stricta obedientia stare potest nisi stante stricto praecepto cui conformetur obediens. antecedens est certum, & consequentia probatur, quia obedientia, et inobedientia respiciunt idem obiectum, solum stante diversitate conversionis. & aversionis, ut patet in omni virtute, & in oppositis vitijs. sed inobedientia semper & unice est contra voluntatem Superioris praecipientis, ergo, & obedientia eamdem respicit Superioris voluntatem praecipientis.

Confirmatur, Quia iuxta illud Pauli ad Galatas. 5. *Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi ita per unius obedientiam iusti constituti sunt multi.* Sed inobedientia nostri primi Protoparentis, per quam peccatum intravit in mundum fuit vera inobedientia. contra strictum & rigorosum praeceptum. ut patet ex illo Genes. 2. *Praecepitque ei dicens; ex omni ligno paradisi comede: De ligno autem scientiae boni, & mali ne comedas. in quo cumque enim die comederis ex eo morte morieris.* ergo obedientia per quam passus & mortuus est Christus Dominus ad nos redimendum fuit iuxta strictum, & rigorosum praeceptum de morte Subeunda. consequentia infertur ex illa duplici praemissa de fide, alias, illud *Sicut* ex Apostolo non verificaretur.

Confirmatur Secundo ex quadam congruentia, quam etiam affert Angelicus Magister in hac. 3. p. q. 47. ar. 2. quae sumitur ex his authoritatibus Sacrae paginae. Quia congruum erat Christum Dominum habuisse strictum & rigorosum speciale praeceptum circa mortem, ut sicut per inobedientiam contra speciale strictum, & rigorosum praeceptum in primo homine genus humanum perierat, ita per impletionem obedientiae ad speciale, strictum, & rigorosum praeceptum, Secundus homo, videlicet Christus idem genus humanum salvaret, & redimeret. ergo debuit habere strictum & rigorosum praeceptum. circa mortem Subeundam ~

§ IX

Denique suadetur hoc strictum præceptum retorquendo in adversarios idem inconveniens contra nos oppositum

Formatur ergo ista ratio hoc discursu. Si in Christo Domino non stat libertas ad eliciendum actum, ex stricta obedientia respiciente strictum preceptum, & si non stat libertas, & indifferentia ad eius omissionem, nec etiam stare poterit libertas & indifferentia ad actum, & ad omissionem obedientiæ propriæ, quam per respicientiam ad latum preceptum, seu ad divinum beneplacitum admittit sententia contraria. ergo eadem difficultas restat ipsis solvenda, vel si in sententia contraria nullum sequitur inconveniens, nec in nostra. ans probatur, idea non staret libertas ad actum stricte preceptum, eliciendum ex obedientia, ex motivo se conformandi precepto, quia ad huiusmodi actus elicientiam requiritur ex parte actus primi cognitio, & advertentia precepti, cum qua Christus nequit coniungere carentiam actus obedientiæ, sed etiam ad actum obedientiæ admissæ ab ipsis, requiritur ex parte actus primi cognitio, et advertentia decreti divini, seu divini beneplaciti. quod vocatur preceptum latum, cum quo Christus nequit coniungere carentiam actus obedientiæ admissæ ab ipsis, ergo si non stat libertas ad eliciendum actum ex stricta obedientia respiciente strictum preceptum, nec stat ad illud eliciendum ex obedientia, quam admittunt, videlicet per actum obedientiæ respicientis preceptum latum, seu divinum beneplacitum.

Minor in qua est difficultas duas habet partes probandas. Prima est quod ad obedientiam ab ipsis admissam requiritur ex parte actus primi cognitio, et advertentiæ divini decreti. seu divini beneplaciti. Secunda est quod Christus nequit coniungere cum hac cognitione, nec cum divino decreto. seu divino beneplacito carentia obedientiæ admissæ a sententia contraria.

Probatur ergo prima pars, probanda postea secunda. Quia actus obedientiæ a sententia contraria admissus, est & debet esse, actus obedientiæ elicitus ex motivo se conformandi divino beneplacito, seu precepto lato. Sed ut sic elici non potest sine advertentia, & cognitione divini beneplaciti, ergo ad actum obedientiæ admissæ a sententia contraria requiritur ex parte actus primi advertentia, & cognitio divini decreti, seu divini beneplaciti. maior huius discursus est certa, quia actus obedientiæ debet respicere tamquam obiectum formale, vel preceptum strictum iuxta nostram sententiam, vel latum in sententia adversariorum, Vel si adversarij ad obiectum formale obedientiæ dicunt

quod non requiritur ex parte actu primi advertentia. & cognitio præcepti etiam lati, (quod dicere nequeunt, cum sit falsum,) idem & nos poteximus dicere de præcepto Ameto. probatur ergo minor, quia cognitio & advertentia obiecti formalis attingendi per actum voluntatis requiritur necessario ex parte actus primi ad actum voluntatis eliciendum, ergo si decretum, seu divinum beneplacitum, quod dicitur præceptum latum, est obiectum formale obedientiæ, eius cognitio, & advertentia requisita est ex parte primi ad actum obedientiæ.

Probatur ergo secunda pars, quam probandam reliqui. quia coniungere omissionem actus obedientiæ cum cognitione, & advertentia decreti, & divini beneplaciti, est implicatorium ex terminis. Sed ad id quod est implicatorium ex terminis, nulla datur potentia: qua ratione adversarij contendunt Christum Dominum non posse coniungere omissionem stricte obedientiæ cum cognitione præcepti stricti, & rigorosi, ergo nulla datur potentia in Christo ad coniungendam omissionem obedientiæ propriæ, cum cognitione decreti, & divini beneplaciti. Maior probatur coniungere omissionem actus obedientiæ propriæ cum cognitione decreti seu divini beneplaciti, est illam coniungere cum decreto, seu divino beneplacito. Sed coniungere illam cum decreto est implicatorium, cum sit frustrare decretum, & divinum beneplacitum, ergo illam coniugere cum cognitione, & advertentia decreti, & divini beneplaciti est implicatorium.

Imo cognoscens decretum efficax circa aliquem actum, si connaretur ad omissionem actus non posset excusari a peccato imprudentiæ, & temeritatis.

Dices: Christum Dominum posse coniungere carentiam seu omissionem actus obedientiæ cum cognitione decreti, quia est solum decretum inefficax, seu divinum beneplacitum non imperans, & obligans, sed consilians. atque adeo coniunctio talis omissionis cum illo non est implicatoria.

Sed contra est primo quia decretum mortis, seu approbatio, & acceptatio illius ex parte Dei, non potest non esse decretum efficax in Deo. sive sit, sive non, imperativum. quia efficaciter prædeffinivit omnes actus liberos bonos, & præcipue actus Christi Domini, tot titulis aliorum Sanctorum actibus excellentiores

Contra secundo qui licet tale decretum moris Christi sit ineffica x, & solum sit voluntas in Deo Consiliativa, tamen cognitio, & advertentia, qua Christus Dominus cognovit hoc decretum inefficax est inconiungibilis in Christo cum

carentia, & omissione actus obedientiæ. ergo solutio est nulla. antecedens probatur, quia hoc decretum iuxta adversarios est præceptum latum, vel illud includit; Sed coniungere cum cognitione præcepti etiam lati carentiam, seu omissionem actus præcepti est implicatorium in Christo, ergo verum est ans, probatur minor, quia talis coniunctio est saltim imperfectio moralis, seu moralis indecentia, est enim talis coniunctio frustrativa voluntatis consiliantis, sed ad imperfectionem, & indecentiam moralem & ad transgresionem consiliorum est impotens Christus Dominus, ut iam supra late probatum est. ergo coniungere cum cognitione præcepti etiam lati omissionem actus præcepti est implicatorium in Christo. maior ex dictis disput. præcedenti constat. quia transgredi præceptum non obligans sub peccato, imperfectio, & indecentia moralis est. qua propter, ut supra dicebamus, Religiosus transgrediens regulam seu constitutionem non obligantem sub peccato etiam levi, dignus est reprehensione.

Dices secundo, et replicabis iterum ex alio capite, dari quidem decretum efficax in Deo circa mortem Christi cum cuius cognitione Christus non potest coniungere carentiam, seu omissionem actus obedientiæ; cæterum quia hoc decretum supponit scientiam mediam, potest Christus facere per omissionem actus obedientiæ, quod tale decretum non sit, nec stiterit.

Sed contra quia hæc solutio etiam est insufficiens. Et omissa pro nunc impossibilitate scientiæ mediæ, & implicatione quæ in tali modo discurrendi continetur. videlicet quod possit fieri aliquo modo possibile ne sit, nec stetexit tale decretum, impugnatur sic.

Primo, quia etiam supposita scientia media, non potest per omissionem actus præcepti facere, quod non existat decretum, & ratio est quia supponitur quod omissio libera debeat coniungi cum cognitione decreti, iuxta dicta, & non potest si datur cognitio decreti non coniungi cum decreto. ergo scientia media etiam si detur, illud excludere non potest.

Secundo, quia eadem ratione si daretur strictum præceptum excludi posset per omissionem actus. sicut per eamdem omissionem excluderetur per scientiam mediam præceptum latum, quod admittit ista sententia. ergo adhuc nulla datur disparitas inter strictum, & latum præceptum, ans est manifestum quia strictum præceptum posset supponere, & deberet supponere scientiam mediam actus, sicut præceptum latum. ergo si latum præceptum posset excludi per omissionem actus. pariter præceptum strictum. consequentia est nota apud autores istius

scientiæ mediæ, & antecedens probatur, quia licet cognitio præcepti lati requiratur ex parte actus primi ad actum obedientiæ propriæ, potest latum præceptum supponere scientiam mediam actus propriæ obedientiæ, ergo etiam si cognitio præcepti stricti supponatur ex parte actus primi ad actum strictæ obedientiæ, poterit præceptum strictum supponere scientiam mediam actus strictæ obedientiæ.

§. X.

Argumenta contra strictum præceptum diluuntur.

Obiicies primo ideo ponendum esset in Christo strictum, & rigorosum præceptum de morte subeunda, quia in scriptura nomine præcepti, & mandati explicatur eius obligatio, sed in sacra scriptura nomen præcepti multoties non stricte, sed large accipitur, vel pro consilio, vel pro voluntate simplici, ergo propter testimonia scripturæ non est cur debeat in sensu stricto, & rigoroso explicari. probatur minor, primo ex illo Marci 1. n. 44. ubi dicitur: * Et dicit ei (scilicet Iesus) vide nemini dixeris, ex quibus verbis constat Christum præcepisse, ut taceret miraculum, quem hominem utique obligare in conscientia non intendebat. Secundo ex illo Ioann. 6. * facite homines discumbere, * ex quibus verbis constat præcepisse discipulis, ut turbas facerent discumbere, & discipulos obligare non intendebat. Tertio ex illo Ioann. 10. ubi dicitur * potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam, hoc mandatum accepi a Patre meo,* ex quibus verbis infertur manifeste mandatum seu præceptum non solum fuisse, ut poneret animam, id est, ut moreretur, sed etiam, ut iterum assumeret resurgendo, sed nullus dixit habuisse Christum Dominum strictum & rigorosum præceptum resurgendi, ergo circa mortem non debemus strictum præceptum affirmare.

Respondeo primo negando minorem, & ad primum, ex illo Marci, constat solutio, cum ibi statim non de verbo præcepit, sed de verbo dicit, & consilium etiam dicitur. Ad secundum ex illo Ioann. 6. similiter dico, quod utitur de illo verbo facite, quod & ad consilium rigorose accipiatur, quando enim alicui consilium præbetur, dicitur facite, hoc, vel illud.

Respondeo secundo concessa etiam minori, vel illa omissa, negando consequentiam, ex eo enim quod aliquando illud nomen præceptum, vel illud verbum præcepit accipiatur pro consilio non infertur, quod semper sic debeat accipi, & quod aliquando accipi non debeat pro stricto & rigoroso præcepto. Signum ergo ad cognoscendum, quando stricte & quando late debeat accipi, sumitur ex modo, vel ex materia, si enim illa est politica, vel œconomica accipitur de præcepto lato, cum sit in materia non magni ponderis, sed parvi momenti, quando autem est ratione iurisdictionis spiritualis, & circa materiam gravissimam non est cur non debeat intelligi de præcepto stricto. & in casu, materia est omnium gravissima, cum sit in ordine ad satisfactionem rigorosam præstandam diunæ iustitiæ pro peccatum, & ad redemptionem generis humani.

Et insto argumentum. quia si propter quamdam aliquam particularem intelligentiam, quam solum admittant aliqua testimonia ex Sacra pagina, liceret arguere intelligentiam cuiuslibet alterius textus. et inferre quod debeat similem explicationem sortiri, Sequeretur. quod illa voluntas preceptiva. qua precepta est mors Christi. esset voluntas. solum permissiva, et neutiquam rigorose preceptiva, vel consiliativa. Sed hoc est falsum, etiam in sententia contrariorum. ergo ex eo quod aliqua testimonia preceptiva intelligenda veniant de precepto lato, non ex eo debet inferri quod voluntas preceptiva mortis Christi debeat esse preceptiva solum precepto late sumpto. Sequella maioris probatur ex illo 2. Reg. cap. 16.* Dominus enim precepit ut malediceret Dabid.* & ex illis:* Dimittite ut maledicat iuxta preceptum Domini.* quando Semei maledicebat Dabid. ubi cum materia peccaminosa sit, preceptum non potest indicare voluntatem positivam, & approbativam in Deo; Sed tantum permissivam. ergo pariter ex eo quod preceptum aliquando solum indicet voluntatem consiliativam Dei, non licet inferre mortem Christi. & eius acceptationem fuisse Solum consiliatam.

Ad tertiam probationem desumptam ex illo Ioannis 10. respondeo negando, quod ly mandatum, ad utrumque referatur, sed Solum ad primum, quia sic est communis expositio. & intelligentia Theologorum, que innititur fundamento gravissimo, cum non legatur in scriptura Christum ex obedientia resurrexisse, cum aliunde sit patens & manifestum in scriptura ex obedientia mortuum fuisse, & cum obedientia. & preceptum eamdem materiam respiciant, si obedientia solum fuit in morte Subeunda, & non in resurgendo, Sic preceptum Solum extenditur ad mortem subeundam, & non ad resurgendum.

Obiicies Secundo.

paritate Iustitiæ: Testimonia ex Sacris litteris asserentia in Deo esse iustitiam in premiando, & Satisfactione Christi acceptanda, clariora, & urgentiora sunt testimonijs asserentibus. & significantibus preceptum erga mortem acceptandam; & tamen Sententia negans in Deo strictam & rigorosam iustitiam. est communior, verior, & plausiblior. quam sententia iustitiam strictam in Deo admittens, ergo Sententia negans hoc rigorosum preceptum erit probabilior pre affirmante.

Respondeo imprimis negando minorem, iuxta dicta a nobis Supra de Satisfact.e Christi. disp. 2 ar. 11. § 2. & 3. Secundo respondeo prætermissa maiori, & minori, negando consequentiam, & ratio disparitatis est manifesta. nam ratio quare in illa probabili sententia negatur in Deo stricta iustitia. fundatur ~~negand~~ in eo quia ad strictam iustitiam requiritur debitum legale cuius est Deus incapax. ut contendit illa. sent.a ratio autem ad negandum strictum preceptum

fundatur a contrarijs in argumento ex lesione libertatis quae aequaliter militat in adimple tione praeceptorum legis naturalis, & aeternae, unde & si difficilis sit, etiam a contrarijs de bet solvi, & quilibet iuxta sua principia sic, vel sic illam solvit, & in principijs thomistarum explicatur pulcherrime, unde est maius fundamentum ad negandam in Deo strictam iustitiam, quam ad negandum in Christo strictum praeceptum. praeter quam quod pondus authoritatis, ex quo etiam opinionum probabilitas sumitur, est maius in admittendo praeceptum strictum.

Obiicies tertio. paritate Voti. In Christo non fuit nec potuit esse Votum, ut docet D. Thomas. 2. 2. q. 88. ar. 4. ergo nec ipsi imponi potuit praeceptum. consequentia probatur: ideo non fuit capax voti, quia votum per se primario ordinatur ad firmandam voluntatem voventis in bono, & Christi voluntas ex se erat in bono firmata, ut docet D. Th. ubi supra, & ex eius impeccabilitate arguitur manifeste. ergo eadem ratione ipsi non potuit imponi praeceptum. consequentia probatur tum paritate facta, tum ratione, quia praeceptum etiam cum ordinetur ad firmandam voluntatem in bono voluntas iam in bono firmata capax praecepti non erit.

Aliqui hoc argumento convicti, negant antecedens, quod putant non esse contra D. Thomam loco citato, quia ibi solum affirmat quod non expedit Christum vovêre, non autem docet votum esse impossibile.

Ultra quam quod votum in Christo videtur admitti iuxta illud Psalmi 21. * Vota mea reddam in conspectu timentium eum * & iuxta illud Psalmi. 115. Vota mea Domino reddam coram omni populo eius * & illud * Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi eius. * ita Suarez. tom. 2. de Religione. lib. 31.

Sed haec solutio & non solvit argumentum, & est falsa. primum suadetur. quia restat reddere disparitatem, quare expediat praeceptum, & non expediat votum. Secundum etiam probatur. nam ratio D. Th. circa votum, probat fuisse in Christo impossibile, ut ex dicendis constabit.

Insuper. Angelicus Magister super illud Psalmum 21. & 115. interpretatur illa verba quae in persona Christi proferuntur, de Corpore Christi quod est Ecclesia.+ vel ut volunt. Illustrissimus Araujo in praesenti. dub. 3. ad 2. contra Lorca. & Illustriss. Godoy disp. 49. § 9. n. 89. Angelicus Mag. super illud Psalmi, intelliget nomine voti, propositum operandi iuxta voluntatem, & praeceptum divinum.

+ ita. ss. Bolibar.

Relicta ergo hac solutione, & admisso antecedenti, negatur consequentia. & ratio disparitatis desumitur ex D. Th. in corpore articuli citati.

ar. hæc habet verba * Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est (videlicet ar. 1. & 2.) votum est promissio Deo facta. Alia autem ratione promittitur aliquid homini, & alia ratione Deo. Homini quidem promittimus aliquid propter eius utilitatem, cui utile est, & quod ei aliquid exhibeatur, & quod eum de futura exhibitione prius certificemus; sed promissionem Deo facimus, non propter eius utilitatem, sed propter nostram * quod ex Augustino probat, & concludit corpus articuli per hæc verba * ita etiam promissio, qua Deo aliquid vovemus, non cedit in eius utilitatem, qui a nobis certificari non indiget, sed ad utilitatem nostram, in quantum vovendo, voluntatem nostram immobiliter firmamus ad id quod expedit facere.*

Ex quibus verbis constat disparitas. de ratione enim promissionis. in qua situm est votum, est ordinari in utilitatem vel illius, cui fit promissio, vel ipsius promittentis, in quo a simplici proposito distinguitur, homini autem cui fit promissio utilis est, quia illi aliquid exiberi utile est, et consequenter etiam est utile certificari ex vi promissionis de futura exhibitione; Deo vero non fit promissio propter eius utilitatem, nullo enim indiget, neque omnia sciens indiget promissionibus nostris, ut certus fiat vel propositi interioris, vel futuræ exhibitionis, atque adeo votum Deo factum solum ordinatur in utilitatem voventis, quatenus per votum voluntas promittentis in bono, quod primittit, firmatur. hoc autem in voluntate impeccabili Christi Domini locum non habet, quæ ad firmitatem in bono, voto non indiget....

Præceptum autem ad hoc non ordinatur; sed ut a Superiori dirigatur, & ut illius superioritatem recognoscat obediendo, & cum Christus capax sit directionis, & recognoscendi in Deo Superioritatem, ideo in Christo potuit esse præceptum. & non potuit esse votum.

Contra quam doctrinam plura opponi possunt; quorum solutio spectat ad 2.2æ. ad præcitatam q. 88. nunc autem sic breviter obiicies, & dices primo, quod votum dirigit ad cultum Deo exhibendum ergo si hoc non obstante non fuit in Christo capacitas ad votum, neque ad præceptum. quamvis præceptum dirigat ad actum obedientiæ. consequentia videtur nota. cum non sit maior ratio quare Christus dirigi posit ad actum obedientiæ per præceptum, & non posit dirigi per votum ad actum religionis.

Confirmatur primo effectus voti non solum est firmare voluntatem in bono, sed cultum Deo præbere, & quamvis in Christo sit capacitas ad cultum, quia tamen eius voluntas non indiget firmari in bono, non indiget voto, neque est capax illius, ergo quia in præcepto non solum datur dirigere, sed firmare voluntatem in bono media obligatione, non erit capax illius.

Confirmatur 2°. in præcepto non solum datur vis directiva, sed coerciva, sed Christus est incapax præcepti quoad vim coercivam, ergo absolute est incapax præcepti. consequentia ex dictis manet probata, & insuper probatur. Quia si Christus esset incapax præcepti, quoad vim directivam, etiam esset incapax illius absolute ergo si est incapax illius, quoad vim coercivam, est incapax illius absolute.

Secundo obiicies, & dices ex alio capite, quia ultra firmitatem voluntatis in bono est etiam alia utilitas in vovendo, licet non respectu Dei, respectu tamen voventis; ergo etiam si ad ~~[illegible]~~ existentiam promissionis requiratur utilitas, vel illius, cui fit promissio, vel ipsius promittentis, est in Christo Domino capacitas ad votum atque adeo ex hoc capite non recte excluditur votum in Christo Domino, & admittitur præceptum. Assumptum probatur, primo, quia ipsa promissio Deo facta est actus religionis, qui licet Deo nullam afferat utilitatem, promittenti tamen valde utilis est, sicut quilibet actus cuiusvis virtutis.... Secundo, quia voluntate in bono firmata, utile est iterum firmari, per formam supervenientem, sicut licet humanitas Christi sit impeccabilis ex vi unionis, non inutiliter redditur etiam impeccabilis per visionem beatam.

Respondeo ad primam obiectionem, & replicam admisso antecedenti negando consequentiam & ratio disparitatis. quia votum per se primo, & essentialiter ordinatur ad firmandam voluntatem in bono, unde hoc fine deficiente deficit quod est essentiale ad votum, & votum inutile redditur, sicut promissio facta homini omnino inutilis redditur, si in illius cui fit utilitatem non cedat. ut ex D. Th. loco citato vidimus.... Præceptum etiam si alias ex vi illius, & eius obligationis firmetur voluntas in bono, tamen ad hoc non ordinatur per se sed primario ordinatur ad dirigendam voluntatem, ut ex obedientia, & ut subdita operetur ex directione alterius, atque adeo voluntas Christi, quamvis impeccabilis, est capax præcepti, sicut & directionis.

Ad primam Confirmationem Respondeo de ratione voti esse præbere cultum Deo, non qualemcumque, sed firmando voluntatem in bono, unde hoc deficiente, cultus proprius voti necessario deficit.. Præceptum autem, esto ut diximus firmet voluntatem in bono, finis tamen proprius & primarius illius non est iste, sed est dirigere ita ut voluntas cui imponitur præceptum operetur ut subdita, & ex obedientia, & ex directione superioris, quod supponendo in voluntate firmitatem, & illam non præstando potest facere

Ad secundam confirmationem respondeo, quod licet utraque vis in præcepto reperiatur, tamen est

cum magna differentia, nam vis directiva primo & per se, & conceptu primario & quidditativo convenit. Vis autem coerciva, ex consequenti, & de conceptu secundario &, non essentiali, unde solum potest exerceri respectu subiecti potentis deficere moraliter a directione. & per hoc constat ad probationem consequentiæ. Subiectum enim capax effectus formalis primarij formæ capax est formæ, unde licet incapax sit effectus secundarij, non exinde probatur esse incapacem formæ.

Ad secundam obiectionem seu replicam respondeo negando antecedens, seu assumptum. & ad primam eius probationem respondeo distinguendo antecedens, est actus religionis, qui sit actus proprius voti, si utilis sit ad firmandam voluntatem in bono concedo ant. hac utilitate deficiente nego antecedens, & consequentiam. Sicut homini promittere omnino est inutile, & otiosum si ipsi, cui fit, utilis non est... & sicut quia iuramentum ordinatur ex natura sua ad confirmandam veritatem in animo audientis, hoc fine deficiente, vel quia verum non dicitur, vel quia necessarium non est ad istum finem, iuramentum non est cultus, nec actus religionis. Sic ergo similiter dicendum in voto, scilicet, quod quia promissio Deo facta, ordinatur ad firmandam voluntatem in bono, hoc fine deficiente votum non est actus religionis, sed est actus otiosus.

Ad secundam probationem respondeo firmitatem præstitam a voto supponere voluntatem vertibilem in bonum, & in malum votum enim fit, ut voluntas potens deficere, firmetur in bono, unde non potest supponere indefectibilitatem... Sicut facilitas quam præstat habitus, supponit indigentiam illius, ut potentia cum facilitate operetur, quapropter potentia perfecta, seu ex se determinata ad actum capax non est habitus. Et hac ratione ad tractatum de attributis divinis formalitas habitus non admittitur in intellectu divino, neque in voluntate divina, quia potentia intellectiva, & volitiva Dei ex se perfectissima est... & similiter non admittitur habitus in potentia visiva, quia de se est determinata ad actum media specie.

An autem in Christo potuerit esse iuramentum dubitari potest? Si affirmativa pars teneatur, disparitas inter iuramentum & votum est manifesta. & ex dictis deducitur. quia iuramentum ordinatur ad firmandam veritatem in animo audientium, & quia non omnes cognoscebant Christum Dominum nec fallere, nec falli posse, potuit ad hunc finem dari in eo iuramentum, non autem votum ob rationem datam.

In Deo autem proprie iuramentum non datur, quia est actus religionis, & inferioris confirmans veritatem superioris testimº.

quod Deo repugnat.

De promissione hominibus facta maior videtur difficultas. an Deus possit proprie promittere? & videtur quod non. quia simplex propositum seu intentio in Deo conferendi bonum hominibus, facit in Deo quidquid faceret promissio. ex eo quia intentio efficax Dei, et eius propositum est invariabile, & infrustrabile, unde pro hominibus eque utilis est intentio Dei, quam promissio, ergo promissio propria inutilis est in Deo... Verum mihi affirmative videtur respondendum, ex eo quia promissio addit ad propositum efficax Dei, & eius intentionem efficacem, manifestationem. ex qua oritur utilitas quedam specialis hominibus, ergo absolute non est ociosa in Deo promissio... Preterea. Si homini decedenti in gratia Deus denegaret gloriam, non solum esset Deus inconstans in proposito, sed etiam esset infidelis, ergo in Deo non solum est propositum, & intentionem conferendi gloriam decedenti in gratia, sed etiam promissio, que utilis est hominibus ratione iuris quod ipsis prestat. Sed de hoc. ad 1.2. 2.2. q. 88.

§. XI.

Alia argumenta ratione petita solvuntur.

Obiicies primo Christus Dominus est incapax precepti positivi. ergo ipsi impositum non fuit circa mortem. antecedens probatur, de essentia precepti rigorosi est obligatio sub reatu culpe & perconsequens & pene. Sed Christus est incapax culpe, & comminationis pene. ergo est incapax precepti positivi. maior videtur colligi ex Apost. ad Timoth. 1. Lex iusto non est imposita. & ad Galatas 3. Quid igitur Lex? propter transgressionem posita est. & C.^{us} D. Hieronimus lib. 2. contra Iovinianum iustos probat posse peccare, ex eo quod illis Lex imposita est. ergo Lex imponi non potest nisi potenti illam transgredi.

Respondeo 1.º instando argumentum in Lege naturali, & eterna. quarum preceptis fuit Christus obligatus. quorum aliqua sunt positiva. Secundo insto in Lege veteri quia in communi Theologorum sententia, dum inquirunt an Christus Dominus fuerit subiectus Legi veteri? etsi negativa pars sit certa & communior, tamen non desunt qui sint pro parte affirmativa, verum omnes videntur supponere Christum Dominum fuisse capacem subiectionis ad legem veterem. ergo Christus Dominus capax est precepti positivi.

Respondeo 2.º negando antecedens, & ad probationem ~~[illegible]~~ nego maiorem vis enim coerciva non est de conceptu primario precepti, sed de secundario. ut supra diximus. vel secundo distinguo maiorem est obligatio sub reatu culpe, & comminatione pene absolute possibilis, nego maiorem, pene possibilis absolute, vel ex aliquo capite & absolute impossibilis concedo maiorem. & distincta minori

eodem modo nego consequentiam... Itaque dicimus quod de conceptu præcepti, seu Legis est obligatio sub reatu culpæ, et sub comminatione pœnæ, quatenus ex vi Legis omissio actus præcepti si daretur esset peccaminosa, et ex vi legis omissio esset illicita, et hoc in quocumque subiecto, atque adeo etiam in Christo. cum quo salvatur esse ipsi impositum præceptum solum quo ad vim directivam, non tamen quo ad vim coercivam, et comminationem pœnæ terrentis, et retrahentis voluntatem a transgressione præcepti, et Legis. ad hoc enim necessarium erat quod pœna, quæ esset, si daretur transgressio esset possibilis ut in nobis. et non solum ratione humanitatis secundum se, et præcisive a persona, quæ possibilitas etsi sufficiat ad timorem securum. quem admittimus in Christo, non sufficit ad ad reatum culpæ, et comminationem pœnæ quam includit vis coerciva præcepti. unde etsi in Christo non repugnet ex capite humanitatis tamen absolute repugnat, unde illi non potest terreri comminatio pœnæ, quæ est absolute impossibilis.

Ex quibus testimonium Pauli explicandum est de lege quo ad vim coercivam, et comminationem pœnæ, prout sic enim iusto non imponitur, quia ex se ipso movetur ad bene agendum, ut docet D. Th. ibi lect. 7. sic quo verificatur Legem quo ad vim coercivam impositam esse propter vitandas transgressiones... Ad D. Hieronimum dicendum est loqui de præceptis ut communiter hominibus imponuntur, ex quibus recte infertur potentia ad peccandum, quia imponuntur quo ad utramque rationem directivam, et coercivam.

Obiicies secundo si Deus posset Christum obligare præcepto stricto esset ratione supremi dominij, tam proprietatis, quam iurisdictionis quod Deus habet in Christum, sed ex hoc capite non probatur. ergo..... maior est ratio insinuata ab Augustino ubi supra. et efficax a nobis reputatur ad probandam possibilitatem præcepti... Minor autem probatur Deus ratione supremi dominij potest permittere peccatum puro homini; et tamen Christo non potest, salvo manente supremo dominio in ipsum, ergo etiam si ratione supremi dominij possit ~~permittere~~ puris hominibus ~~peccatum~~ præcepta imponere, non propterea debet inferri posse etiam Christo Domino.

Hoc argumentum quo aliqui utuntur contra nostram, et communem sententiam, nimium probat... et instatur in lege naturali, et æterna, qua Christus obligatur, et contra quam Deus Christo non potest permittere peccatum.

Respondetur ergo admissa maiori, negando minorem, & ad probationem concessa maiori, & minori negatur consequentia, & disparitas est manifesta & constat ex dictis Deus enim ratione supremi dominij potest facere, ut homo faciat quidquid potest, & proinde potest permittere peccata, quæ patrare potest. & quia purus homo potest bene, & male operari, potest Deus facere ut bene operetur, vel permittere quod male operetur... Christus autem est potens ad bene operandum, non tamen ad peccandum, atque Deus ratione supremi dominij potest facere quod bene operetur, & hoc ipsum illi præcipere; non tamen potest illi permittere peccatum.

§. XII.

Refertur, et impugnatur unus modus conciliandi libertatem in Christo Domino, supposito stricto, et rigoroso præcepto circa mortem subeundam.

P. Vazquez in præsenti disp. 74. cap. 5. Valentia 3. p. q. 19. punct. 2. et alij ex Societate, et ex Thomistis Ill. Arauso. ~~in præsenti~~ 3. p. q. 19. ar. 3. docent ideo supposita impeccabilitate Christi Domini, fuisse liberum in acceptanda morte sibi præcepta, quia præceptum Christo impositum solum fuit de moriendo quo ad substantiam, non autem quoad circunstantias, ex quibus aliqui excludunt a præcepto circunstantiam finis, seu motivi, alij circunstantiam temporis, alij circunstantiam intensionis, et alij omnes circunstantias. Unde inferunt in mortis acceptatione fuisse Christum Dominum liberum, quia licet substantiam mortis non potuerit non acceptare, circunstantiæ erant ipsi liberæ quia non cadunt sub præcepto. Et Arauso docet ideo fuisse liberum quia potuit isto vel illo affectu acceptare vel non acceptare mortem.

Fundamentum pro isto modo dicendi potest sumi primo ex D. Tho. q. 29. de verit. ar. 6. ad. 1. ubi ait: * dicendum quod licet anima Christi Domini esset determinata ad unum secundum genus moris, scilicet ad bonum, non tamen erat determinata ad unum simpliciter, poterat enim hoc, vel illud facere, et non, et ideo libertas in eo remanebat, quæ requiritur ad merendum. * ergo ex Angelico Magistro ideo Christus Dnus fuit liber in acceptatione mortis, quia licet ratione suæ impeccabilitatis esset determinatus ad bonum morale in genere, et proinde supposito præcepto, esset determinatus ad mortem quoad substantiam non tamen erat determinatus ad speciem moralem actus, nec ad eius individuationem sed si præceptum caderet etiam circa circunstantias mortis, voluntas Christi ex vi præcepti esset determinata, ad speciem, et individuationem actus, ergo iuxta doctrinam Angelici Doctoris dicendum est quod circunstantiæ non fuerunt sub præcepto.

Secundo ratione probatur hoc idem. quia præcepta affirmativa communiter imponuntur non præscribendo circunstantias actus adimpletivi præcepti, unde quando obligamur sub præcepto ad audiendum sacrum, vel ad recitandum, vel faciendam eleemosinam, imo et ad Deum amandum, non præcipitur nobis quod quilibet actus adimpletivus cuiuslibet istius vel similis præcepti fiat cum hac, vel illa intensione, et hoc vel illo motivo, et hoc vel illo tempore, ergo absque fundamento affirmatur mortem Christi fuisse ipsi præceptam quoad omnes circunstantias.

Tertio hoc idem paritate probatur quia sicut Christus Dominus fuit impeccabilis

simpliciter semper, & pro omni instanti. Angelus fuit impeccabilis in primo instanti suę creationis, ut docent thomistę ad 1. p. q. 63 ar. 5. sed Angelus illo fuit liber in primo instanti ad implendo preceptum amoris Dei super omnia, quia licet esset determinatus ad non peccandum, erat tamen indifferens indifferentia exercitij ad eliciendum istum, vel illum actum amoris in singulari ergo similiter est discurrendum in Christo.

Verum iste modus dicendi displicet communiter thomistis, & reiicitur primo quia Joann. 14 dicitur Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* in quibus verbis non solum denotatur substantia operis ut precepta, sed etiam modum seu circunstantias omnes, ut indicant illud Sicut, & illud Sic.

Secundo reiicitur ratione quia Christus Dominus mortuus fuit ex perfectissima obedientia, ut constat ex Ap. ad Philip. 2. & ad Rom. 5. sed perfectior est obedientia quę opus, & quo ad substantiam, & quo ad circunstantias prescribit. ergo mors Christo fuit precepta & quo ad substantiam, & quoad circunstantias.

Tertio, quia Christus Dnus non esset liber in obediendo formaliter. unde & non meruisset per actum formalis obedientię contra illud Ap. ad Philip. 2. factus obediens usque ad mortem. etc. propter quod & Deus exaltavit illum. etc. probatur sequella quia Christus iuxta illam doctrinam non esset liber in acceptanda morte, & in obediendo formaliter, sed in acceptanda morte ex hoc vel illo motivo, cum hac, vel illa intensione, vel cum hoc, vel illo actu sed istud solum dicit libertatem in motivo, & non in obediendo formaliter, ergo non esset liber in obediendo formaliter.

Quarto. quia hęc propositio est vera, in sensu formali: Quia Christus sustinuit libere mortem, redemit genus humanum, sed si solum fuit liber quoad circunstantias, non verificabitur predicta propositio, ergo fuit liber in substantia actionis mortis, & in circunstantijs. maior negari nequit equivalet enim illi propositioni ex Isaia. cap. 53. Si posuerit animam suam, videbit semen longevum, idest si mortem pro hominibus libere sustinuerit, illos redimet a peccatis. quę propositio cum sit conditionis, sub conditione nimirum inferente consequens meritorie, & in premium, transit in causalem absolutam, purificata conditione. sed conditio purificata fuit a Christo Domino. ergo predicta causalis est vera in sensu formali, & proprio. Probatur ergo minor primo. ea ratione Christus sustinendo mortem meruit, qua ratione illam libere sustinuit, sed si illam non sustinuit libere quo ad substantiam, sed solum quoad circunstantias, non est vera in sensu formali & proprio. ut patet ergo si solum fuit liber quoad circunstantias non verificatur predicta propositio. Secundo probatur ista minor

In sententia probabili asserente Sanctos Patres antiquos meruisse incarnationem Christi solum quoad circunstantias non potest dici cum proprietate ipsos meruisse substantiam Incarnationis, quia hęc supponebatur simpliciter & absolute futura independenter a meritis. Sed iuxta doctrinam quam impugnamus mors Christi supponitur simpliciter & absolute futura ex vi precepti, ergo quamvis Christus Dominus fuerit liber quoad circunstantias mortis, & meruerit ratione huius libertatis, non poterit cum proprietate dici quod meruit redemptionem generis humani quia sustinuit mortem.

Denique eadem minor suadetur: Homo condemnatus ad mortem necessario sustinenda, esto liber sit in electione circunstantiarum, nimirum quo exequenda sit gladio, vel precipitio, vel alio modo, non dicitur absolute quod libere mortuus est, ergo similiter in nostro casu.

Quinto denique displicet modus iste dicendi, quia si propter aliquam rationem circunstantię non possent cadere sub precepto, maxime ad conciliandam libertatem cum impeccabilitate voluntatis Christi, sed licet cadant sub precepto conciliatur & componitur libertas Christi, & meritum in morte sustinenda, ut constabit quando verum modum conciliandi libertatem cum Christi impeccabilitate stabiliamus, ergo iste modus conciliandi libertatem admittendus non est.

Nec fundamenta in quibus nituntur eius defensores urgent. quia illud desumptum ex verbis D. Thomę non convincit intentum. respondetur enim quod Angelicus Magister solum intendit suadere Christum Dominum ratione unionis humanitatis ad Verbum esse determinatum determinatione etiam antecedenti ad bonum morale in genere, eo quia impeccabilis, seu quia impotens impotentia etiam antecedenti ad peccandum, ex quo non infertur esse determinatum determinatione antecedenti ad hoc, vel illud bonum in specie, hęc enim determinatio pugnat cum libertate, & Christum Dominum remansisse liberum & indeterminatum ad speciem actus, etiam si preceptum cadat supra substantiam, & omnes circunstantias mortis. constabit quando verum & legitimum modum conciliandi libertatem cum eius impeccabilitate explicemus

Ad secundum fundamentum desumptum a ratione respondetur omisso antecedenti negando consequentiam, & ratio est quia cum obedientia ex qua mortem subijt Christus Dominus, sit strictior & omnium perfectior non debuit nobis assimilari, sicut licet nobis non sit precepta mors, non sequitur quod non fuerit Christo precepta.

Ad tertium concessa maiori nego minorem. licet enim Angelo non fuerit preceptus actus amoris in singulari,

non ideo liber fuit Angelus in eliciendo amorem Dei sibi præceptum, pro illo instanti etiam, sed quia absolute potuit diligere, & non diligere, ly non negative sumptum, & præcisive a præcepto, ut loco citato explicatur, & nos postea explicabimus.

§. XIII.

Alius dicendi modus proponitur, & reiicitur.

Magister Vincentius in relect. de Gratia Christi q. 5 refert quosdam sine nomine quos in substantia sequitur M. Cabrera 3. p. q. 18. ar. 4. disp. 4. §. 3. qui asserunt ideo Christum Dominum libere pro nobis mortuum fuisse, quia præceptum moriendi fuit ipsi impositum dependenter ab ipsius libera acceptatione: Unde licet supposito præcepto non potuerit Christus non mori, hæc tamen moriendi necessitas, seu ad non moriendum impotentia non fuit antecedens, sed consequens libertatem Christi, eo quod libere postulavit a Patre hoc præceptum, & cum sola impotentia antecedens sit opposita libertati. Christus Dominus adhuc stante præcepto libere mortem subiit.

Motivum seu fundamentum ad istum modum dicendi stabiliendum sumitur ab eius defensoribus. primo ex quibusdam authoritatibus sacræ paginæ. nimirum ex illo Math. 11. omnia mihi tradita sunt a Patre meo * & ex cap. 28. data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra. & ex illo Joann. 13 sciens quia omnia dedit ei Pater in manus * quæ verba interpretantur ab hic authoribus modo suo, quem supra disp. 17. §. 8. præcedenti retulimus. & impugnavimus, & simul explicuimus quasdam authoritates SS. PP. nimirum S. Anselmi. lib. 1 Cur Deus homo. cap. 19, & ne easdem repetamus ibi videri possunt.

Secundo motivantur ex verb. Apost. ad Heb. 12. ubi ait: * Aspicientes Authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit mortem * quæ verba interpretantur ab ipsis ita ut sensus sit quod Dominus Noster Jesus Christus sibi data optione, & electione inter gaudium, & passionem, hoc est ipsi data optione eligendi gaudium, idest vitam immortalem, aut passionem, idest vitam mortalem, hanc elegit, gaudio postposito,

Quam interpretationem præferendam esse sibi persuadent, ex eo quod in textu græco, ubi nos legimus: proposito sibi gaudio: legitur, pro proposito sibi gaudio: sed sic est, subsumunt. quod illa particula pro, permutationem unius pro alio designat, ut comprobatur ex alijs textibus: dicitur enim Gen. 2.: & replevit carnem pro ea: & Psal. 44. pro Patribus tuis nati sunt tibi filij: & Math. 2. dicitur. Archelaus regnavit pro Herode Patre suo.

Sed iste modus tuendi libertatem in-

Christo Domino, supposito præcepto, displicet etiam communiter Thomistis primo quia iuxta illum non recte, & cum proprietate, ut debent, explicarentur Verba Apostoli ad Rom. 8. ubi dicit: * Quia proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis illum tradidit. * quia si præceptum moriendi esset liberæ postulatum a Christo, & non a Patre mandatum, potius esset verum dicere quod Christus non pepercit se ipsum ergo est quia non præcessit libera postulatio.

Secundo qui obedientia Christi fuit perfectissima, ut sepius dictum est, et constat ex Apostolo. Sed præceptum, cui debet inhærere obedientia, & a quo sumit suam perfectionem, eo perfectius est, quo minus dependet a voluntate subditi, & inferioris, ergo præceptum moriendi non debuit ortum habere a postulatione libera voluntatis Christi.

Tertio, & urgentissime, quia si vera esset illa doctrina acceptatio mortis in Christo non esset formalissime libera, sed ille modus ad hoc est excogitatus ut salvet libertatem in moriendo. ergo est insufficiens. probatur maior quia sola necesitas, quæ libertatem consequitur, & proinde libertatem supponit, est quæ conciliatur cum libertate actus. Sed necessitas orta in Christo ex præcepto moriendi licet sequatur libertatem actus quo Christus Dominus libere postulavit a Patre præceptum, vel ad actum, quo libere acceptavit præceptum erga mortem sibi impositum a Patre, non tamen consequitur actum, quo acceptavit mortem, ergo iste actus erit necessarius, & non liber, ac perconsequens si vera esset illa doctrina, acceptatio mortis in Christo non esset formalissime libera.

Confirmatur. quia Visio beatifica necessitat voluntatem ad amorem beatificum, licet libere postuletur a nobis, & proinde consequatur ad libertatem actus quo, postulatur non ideo non aufert libertatem ipsius amoris beatifici, eo quia non consequitur ad illius libertatem, ergo similiter si præceptum Christo impositum inducit necessitatem antecedentem respectu acceptationis mortis Christo præceptæ quamvis libere Christus illud postulaverit a Patre, vel libere fuerit acceptatum a Christo auferet libertatem actionis præceptæ ad quam non sequitur, sed potius præcedit.

Nec motiva in contrarium adducta obstant, & prætermisso primo, quia iam solutum est a nobis supra disp. præcedenti citata. §. 8. Respondeo ad secundum sensum Verborum D. Pauli ex Epistola citata ad Hebreos 12. venandum esse non ex voluntaria interpretatione recentiorum. Sed ex Patribus. ex quibus habetur, quod illa Verba: proposito sibi gaudio: sumuntur pro gaudio æternæ fælicitatis. ad quod per passionem itur. quæ intelligentia

habetur expresse in Glosa interlineali, quę etiam ex D. Athanasio illam intelligentiam accepit. & ex D. Th. super illam Epistolam Pauli. Lect. 1. per hęc verba: proposito sibi gaudio ęternę vitę pro premio, sustinuit mortem.

Nec obstat modus legendi in textu Greco, quia vulgata lectio omnibus est preferenda. & in vulgata illa prępositio pro, non habetur. Prefer quam quod, quod etiam si illa prępositio pro intelligatur, absque ulla impropietate convertitur. cum hy propter. etenim propriissime dicitur. quod iustus quilibet pro adipiscenda beatitudine voluntarie sustinet iugum suave legis evangelicę. & pro eadem ęterna beatitudine adipiscenda martires sustinuerunt atrocia tormenta. idest propter beatitudinem ęternam consequendam.

Vlterius, quia prędicta Verba Pauli possunt intelligi de gaudio temporali, regni videlicet temporalis Christo a turbis oblati, quando post celebre miraculum a Christo factum saturatis tot hominum millibus ex quinque panis, & duobus piscibus illum voluere Regem constituere, & pro isto regno oblato, elegit Christus passionem, seu commutavit illud regnum, in passionem. quę interpretatio etiam sumitur ex Glosa ordinaria, ex Athanasio, illis verbis: * Vel proposito sibi gaudio temporalis regni, quia voluerunt eum turbę rapere, ut facerent Regem, quod noluit, quia erat via humilitatis. *. Quę interpretatio, tribuitur etiam ab Angelico Magistro per hęc verba: * Illud autem gaudium fuit illud gaudium terrenum, quo a turba quęrebatur, ut facerent eum Regem, quod ipse contempsit, fugiendo in mortem. * & de isto gaudio verificatur quod fuit postpositum morti, & acceptata morte loco ipsius.

§ XIV

Proponitur, & reiitur alius modus dicendi

Eminentissimus Cardinalis de Lugo disp. 26. sect. 8. & P. Hurtado. disp. 62. sect. 6. & disp. 77. sect. 5. & alij ex Recentioribus docent ideo Christum Dominum liberum fuisse in acceptanda morte sibi a Patre precepta, quia, & preceptum non precepisset omnes circunstantias, & quia Christus libere a Patre petivit impositionem precepti, & quia illud libere acceptavit, & insuper addit iste modus dicendi quod preceptum impositum fuit Christo dependenter ab eius libertate, & voluntate, non solum quo ad primam impositionem, & obligationem precepti, sed etiam quoad sui conservationem, quatenus semper quod voluisset Christus, poterat petere dispensationem precepti, quam dispensationem, si postulasset, Deus infallibiter prestaret, dispensando in precepto. & sic per primum salvatur libertas quo ad circunstantias actuum cadentium sub precepto,

per secundum libertas prædictorum actuum in causa, & per tertium, nimirum per potestatem petendi dispensationem illorum libertas in se ipsis.

~~modus dicendi, ad primum~~. Motiva in quibus fundatur iste modus dicendi, ad primum & secundum asserendum, sunt eadem ac illa in quibus fundantur præcedentes modi dicendi, quæ iam relata & impugnata sunt, & adducunt insuper textum Isaiæ cap. 6. ubi dicitur: Quem mittam, & quis ibit nobis? ad quas interrogationes respondet Propheta nomine Christi dicendo: ecce ego, mitte me ecce ego, libenter sumam negotium redemptionis, mitte me, idest: iube me id præstare seu mihi præceptum de morte subeunda impone.

Tertium assumptum suadent ex illo Matth. 26. illis verbis: An putas, quia non possum rogare Patrem, & ~~exhib~~ exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum* ex quibus verbis constat Christum Dominum habuisse potentiam vitandi mortem, si voluisset, & cum illam vitare non posset, stante præcepto, nisi petendo dispensationem, infertur manifeste habuisse facultatem petendi dispensationem.

Confirmatur ex illo Ioannis 10.* Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam, a me ipso potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam: hoc mandatum accepi a Patre meo. ex quibus constat quod etiam stante mandato facultatem habebat non moriendi, quod esse non potest, nisi cum facultate petendi dispensationem in præcepto.

Sed nec iste modus dicendi placet thomistis, & ut videbimus incidit in idem inconveniens, quod vitare intendit, & impugnatur eisdem rationibus, quibus supra ad alios modos dicendi impugnandos usi sumus, & præsertim impugnatur cum eo quod dicebus ex Ap. ad Rom. 8. ubi dicit: qui proprio filio suo non pepercit &c.

Secundo quia præceptum Christo liberum tantum quoad primam impositionem, ideo iuxta hos Auctores, non salvat libertatem in actu acceptante mortem, in se ipso, sed ad summum in causa. quia præceptum ut impositum, & obligans, infert infallibiliter actum in voluntate impeccabili; sed etiam præceptum, ut libere conservatum, infert infallibiliter actum in voluntate impeccabili, ergo incidit in idem inconveniens, quod vitare intendit. probatur minor, ideo præceptum semel impositum, etiam si sit dependenter a voluntate Christi illud postulantis, infallibiliter infert actum præceptum in voluntate impeccabili. quia oppositum actus præcepti est peccatum, & proinde nulla potentia, nec antecedenti potest poni a voluntate impeccabili, cum peccatum sit illi re-

pugnans, sed etiam oppositum actus praecepti et coniunctum cum praecepto conservato est peccatum, eidem voluntati impeccabili repugnans, ergo praeceptum et libere conservatum infallibiliter & necess.o infert actum praeceptum in voluntate impeccabili.

Replicabis, & dices quod ideo praeceptum liberum tantum Christo quoad primam impositionem, ideo aufert libertatem, quia obligat obligatione infallibili, & inauferibili, unde actus praecepti non potest evadere liber in se ipso, sed adsummum in causa, praeceptum autem dependens a voluntate Christi, & quoad primam impositionem & quoad conservari non sic, cum pro hoc instanti a, v.g. non obliget, & pro inde pro hoc instanti potest coniungi cum carentia actionis praeceptae, cum pro illo instanti non sit peccatum, & pro sequenti instanti potest a Christo petente dispensationem auferri obligatio.

Sed contra, quia ex hac doctrina sequitur quod si Christus Dominus differret acceptationem mortis usque ad ultimum pro quo urgebat praeceptum, non moreretur libere, consequens est falsum. quia cum nobis non constet an sit dilatum tempus moriendi, vel non, usque ad ultimum instans in quo urgebat obligatio, non constaret pro inde an meruisset acceptando mortem. sequella patet, quia tunc obligaret praeceptum obligatione inauferibili a Christo.

Respondet Cardinalis de Lugo quod tunc casus et esset libertas quoad circunstantias, & quoad substantiam denominative, denominatione desumpta a voluntate anteriori Christi non petendi dispensationem. & insuper addit quod de facto non expectavit Christus illas angustias temporis ad obediendum, sed anticipasse adimpletionem praecepti, quia voluit eo modo obedire, quo eius obedientia esset omnino libera & meritoria.

Sed contra quia obedientia, & voluntas moriendi fuit Christo libera & quoad circunstantias, & quoad ~~circumstantias~~ substantiam simpliciter, & non solum denominative, sed dicere quod defacto Christus anticipasset tempus moriendi, est incertum, & voluntarie dictum ergo non est sustinenda praedicta doctrina. Ulterius quia Christus Dominus taliter fuit liber in moriendo, quoad circunstantias, & quoad substantiam, quod simpliciter & absolute potuit non mori, non solum pro aliquo instanti, sed semper sed supposita nolitione petendi dispensationem, ut fatetur Lugo inferebatur obligatione inauferibili a Christo, mors, ergo non esset libera.

Ulterius reiicitur iste modus dicendi Quia Christus Dominus non poterat, etiam impotentia antecedenti, velle efficaciter praecepti dispensationem, sed tantum inefficaciter, per velleitatem quamdam,

quandam, ut communiter dicitur volitio inefficax, velleitas. admodum quo volebat non mori quando dixit: Pater si possibile est transeat a me calix iste; S.d dispensatio solum poterat sequi, Christo efficaciter petente, ergo si efficax petitio ipsi impossibilis fuit. dispensatio. vel commutatio, vel ablatio precepti impossibilis fuit. simpliciter Christo, & perconsequens ad componendam libertatem Christi cum eius impeccabilitate. inutilis est recursus ad potentiam petendi dispensationem. omnia patent preter maiorem, que sic probatur.

Primo quia Christus Dominus licet non haberet preceptum de non petenda dispensatione; adminus habebat consilium a Deo ipsi datum de dispensatione non petenda. cum Deus certissime habuisset beneplacitum de eo quod Christus moreretur ad redimendum genus humanum, sd. Christus Dominus, non solum ratione sue impeccabilitatis erat simpliciter impotens ad transgressionem preceptorum, sed etiam illi repugnabat non obsequi consilijs divinis, ut late anobis supra probatum est ergo impossibilis erat Christo Domino efficax petitio dispensationis, seu commutationis, vel ablationis precepti.

Probatur secundo eadem maior: Velle efficaciter oppositum voluntatis efficacis Dei. quando ipsa efficax Dei voluntas est evidenter nota alicui, est actus omnino otiosus, impudens, & temerarius, ut cum D. Th. docent communiter theologi. 1. p. q. 19. ar. 9. & 10. & ut fatetur ipse Em. Lugo Sed Christus Dominus evidenter per scientiam beatam videbat in Verbo voluntatem efficacem Dei, ut non peteret dispensationem, & alias impotens erat ad actum otiosum temerarium, & impudentem, ergo non poterat velle efficaciter dispensationem. & proinde nec poterat petere efficaciter dispensationem.

Dices impotentiam in Christo petendi dispensationem, non esse antecedentem, sed consequentem. unde non aufert libertatem ad petendum. vel non petendum dispensationem. e contra autem impotentiam ad transgressionem precepti esse antecedentem, unde supposita existentia precepti nulla potentia potest Christus ad oppositum. assumptum probas ex eo quod voluntas Dei efficax ut Christus dispensationem non petat. ut sit in Deo. presupponit scientiam mediam per quam Deus in statu conditionato previdit Christum libere non petiturum fore dispensationem, ergo illa voluntas Dei efficax consequitur ad libertatem Christi ac per consequens impotentia que est in Christo non petendi dispensationem est tantum consequens. e contra autem transgressio precepti. cum sit pecca

minora. & Christus sit impotens simpliciter, idest, consequenter, & antecedenter ad peccandum, inde est quod ista impotentia ad actum oppositum praecepti est omnino antecedens.

Sed contra primo, quia haec solutio nititur in principijs scientiae mediae, quae alibi, a nobis sunt impugnata, nimirum. 1.p.q.19. Secundo, quia admissa, & non concessa pro nunc doctrina scientiae mediae, ad huc nulla est disparitas. assumptum probatur. quia etiam voluntas Dei efficaciter praeceptiva, debet supponere scientiam mediam, per quam Deus in statu conditionato Christum libere obedire praecepto, ergo si ideo impotentia quae est in Christo ad non petendam dispensationem, est impotentia consequens quia voluntas efficax Dei qua vult Christum non petere dispensationem supponit scientiam mediam per quam Deus pro priori ad suam efficacem voluntatem praevidit in statu conditionato Christum non petiturum fore dispensationem, eâdem ratione, impotentia ad non moriendum, etiam supposito praecepto de morte subeunda erit consequens libertatem Christi, & non antecedens. probatur antecedens. quia voluntas Dei efficaciter praeceptiva, versatur circa actus liberos in quacumque creatura, & pro inde in voluntate humana Christi Domini praeceptum enim respicit, cadit, & conotat materiam liberam, ergo pro priori ad voluntatem efficaciter praecipientem Christo mortem, debet supponi in Deo scientia media per quam in statu conditionato videat Christum praestandum fore obedientiam.

Dices actum liberum Christi Domini, quo mortem acceptavit, etiam prout inspectum per scientiam mediam in statu conditionato debuisse supponere praeceptum, si vere est praeceptum, & imperatum stricte, & cum aliunde praeceptum in voluntate impeccabili inferat determinate unum extremum libertatis nimirum actum adimpletivum praecepti, infertur, quod impotentia quam habet Christus ad carentiam seu omissionem mortis, esse non solum consequentem, sed antecedentem. assumptum probatur. ex eo quod actus liber quo Christus Dominus mortem acceptavit fuit actus obedientiae, & cum obedientia supponat seu respiciat praeceptum, actus ille in statu conditionato, debet supponere saltim etiam sub conditione praeceptum. sicut in statu absoluto, actus absolute futurus. supponit praeceptum absolute futurum, ergo debuit posse petere dispensationem. ut remaneret liber.

Sed contra quia etiam idem actus quo Christus libere acceptavit mortem ex voluntate Dei efficaciter conciliante, & volente mortem, est actus obedientiae, ergo etiam in statu conditionato, scientia

media per quam Deus in statu conditionato praevidit Christum non postulaturum fore dispensationem, debebat supponere ipsam voluntatem Dei, saltim conditionate nollentem Christum petiturum fuisse dispensationem, ergo similiter ista voluntas Dei efficax et praevia in statu conditionali infert quod Christus sit impotens etiam impotentia antecedenti ad petendam dispensationem, ergo si hoc non obstante adest locus ut consideretur omissio mortis, seu nolitio mortis in Christo ut non opposita voluntati efficaci Dei nollenti petiturum fuisse dispensationem, quia potest talis nolitio considerari secundum se, et ut prosigno praescindenti a voluntate Dei volente efficaciter mortem, vel nollente, sub qua consideratione nolitio mortis in Christo non est adhuc otiosus nec temerarius, nec imprudens, debet similiter adesse locus ut possit considerari eadem nolitio mortis in Christo secundum se, et ut praecindit a voluntate divina praecipiente vel non praecipiente, et ut praescindit a praecepto sub qua consideratione talis nolitio peccatum non est, et proinde cadens sub libera potestate Christi Domini.

Nec motiva in quibus fundatur iste modus dicendi urgent. respondetur enim ad primum dessumptum ex illo textu Isaiae cap. 6. quod illa interpretatio ab his Autoribus data est voluntaria, unde qua facilitate ab ipsis datur, a nobis reiicitur, etenim si in illis verbis adumbratur Incarnationis mysterium, quod colligitur ex illis verbis est Verbum divinum voluntarie fuisse incarnatum ad nos redimendum, Deus enim misericordia motus et amore erga homines flagrans, iuxta illud Ioann. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, introduciter a Propheta quasi more humano loquens, et dicens: quis ibit nobis? etenim solus Deus homo potest satisfactionem condignam praestare, et tunc secunda Trinitatis persona dixit: ecce ego, mitte me.

Ad motivum autem dessumptum ex illo Math. 26. An putas quia non possum rogare Patrem etc.ª ex quo moventur ad praestandam doctrinam de potentia ad impetrandam dispensationem in praecepto. respondetur quod ad ut Christus vere posset illud affirmare sufficit quod revera potuisset potestate antecedenti, et petere dispensationem, et non mori; quae potentia erat in Christo praecisive a praecepto, seu in sensu diviso praecisivo praecepti, unde licet potestate consequenti non posset, non officit libertati, eo ipso enim quod talem potentiam antecedentem habuisset, non indigebat auxilio Petri.

Et per hoc patet ad Confirmationem, unde vere dixit: nemo tollit eam a me, per violentiam

nimirum, ut explicat D. Th. sed ego pono eam ante ipso, quia potestatem habeo
ponendi eam, potestatem nimirum antecedentem, quæ requiritur, & sufficit ad libertatem.

§. XV.

Explicatur verus modus conciliandi in via D. Thõ cum impeccabilitate Christi libertatem in moriendo, & meritum, stante stricto, & rigoroso præcepto, circa mortem sustinendam.

*** pro quo ***

Prænotantur aliqua.

Vsque modo, vidimus modos dicendi in ordine ad conciliandam libertatem Christi in moriendo ex obedientia cum eius impeccabilitate, qui modi licet iuxta diversa Authorum placita utiles videantur ipsis, nobis tamen ut inutiles videntur, unde restat explicare verum modum conciliandi cum impeccabilitate Christi prædictam eius libertatem, & meritum in moriendo stante stricto, & rigoroso præcepto orto a Voluntate Dei Christo stricte præcipientis sufferentiam, & tollerantiam mortis, ad satisfactionem condignam præstandam divinæ iustitiæ læsæ per peccatum, & propter redemptionem generis humani

Pro quo notandum est primo quod ad libertatem actus sufficit potentia in voluntate creata ad coniungendum actum oppositum, vel omissionem utriusque cum omnibus requisitis ex parte actus primi ad ipsum, et non requiritur potentia ad coniungendum actum oppositum, vel utriusque omissionem cum omnibus de facto existentibus in actu, etiam si antecedant actum. Quæ suppositio constat primo in prædeterminatione & præmotione physica tomista, cum qua componitur libertas, licet in voluntate creata non sit potentia ad coniungendum actum oppositum vel utriusque carentiam cum præmotione ad illum, eo quia præmotio, seu prædeterminatio non requiritur ex parte actus primi. Constat secundo in decreto efficaci intentivo gloriæ per modum coronæ, quod decretum antecedit merita, & illa infallibiliter infert & tamen non tollit libertatem meritorum, quam vis voluntas creata non possit coniungere demerita, vel carentiam meritorum cum tali decreto quia non requiritur ex parte ~~voluntatis~~ actus primi voluntatis ad libertatem, nec ad merendum, sed solum infert, et causat principia indifferentia libertatis ad meritum, et in Deo infert prædeterminationem efficacem illorum, quæ non se tenet ex parte actus primi

Notandum est secundo quod non requiritur ad libertatem actus quod possit voluntas per omissionem illius facere quod non existant omnia illa, quæ inferunt infallibiliter actum, & sunt incomposibilia cum omissione illius. Quod exemplis constat, Voluntas enim

libere eliciens actum prędefinitum potest illum omittere, quamvis per omissionem non possit facere quod non existat prędefinitio. Similiter electus ad gloriam per modum coronę libere elicit actus meritorios, potestque illos omittere, quamvis non possit facere quod non existat decretum efficax intentivum glorię

Nec audiendi sunt oppositum asserentes pro concilianda libertate Christi Domini cum eius impeccabilitate iuxta principia scientię medię, quia scientiam mediam iam alibi reiecimus, & modo supponenda est reiecta, cum non sit istius loci eius examen.

Notandum et supponendum est tertio. Præceptum non esse requisitum ex parte actus primi, neque ex parte actus secundi libertatis actus adimpletivi pręcepti, quod patet in omni actu pręcepto, tum in nobis, tum in Christo, in nobis enim ad ieiunandum, recitandum, vel missam audiendam ex pręcepto, non requiritur ex parte libertatis in quolibet actu adimpletivo pręcepti, pręceptum, possumus enim ieiunare, recitare, vel Missam audire sine pręcepto. & in Christo Domino similiter patet, quia ad hoc ut vellet pro hominibus mori non erat necessarium pręceptum, quia sine pręcepto Patris potuit Christus Dominus pro hominibus mori, unde licet de facto pręceptum Patris pręcesserit mortem, & similiter pręcesserit acceptatio illius, nec pręceptum, nec acceptatio fuerunt requisita ad libertatem in moriendo.

Pręmittendum, & notandum est quarto. quod pręceptum Christo impositum potest esse solum de substantia mortis, vel potest etiam esse de motivo illius, nimirum de volendo illam ex motivo obedientię. Si primum asseratur, dicendum est quod cum omnibus requisitis ex parte actus primi ad actum adimpletivum pręcepti potuit Christus Dominus coniungere carentiam, seu omissionem talis actus. Et ratio est: quia cum solum pręcipiatur volitio mortis, ad quam pręceptum non requiritur, & omissionem talis actus possit Christus Dominus componere cum omnibus pręter pręceptum, & prędifinitionem, seu prędeterminationem, quorum primum requisitum non est nec ex parte actus primi, neque ex parte actus secundi; secundum videlicet prędifinitio, seu prędeterminatio non est requisita ex parte actus primi, fit ut possit Christus coniungere omissionem actus pręcepti cum omnibus requisitis ex parte actus primi ad illum. Quę potentia non aufertur, nec redditur expedita, nec inexpedita per pręceptum, quamvis pręceptum inferat in voluntate impeccabili infallibiliter actum, & sit incomposibile cum actus pręcepti omissione.

Ratio autem est quam nuper dedimus, scilicet, quia libertas non aufertur per hoc, quod detur aliquid antecedens actum, cum quo omissio, seu carentia actus non possit coniungi; si id, quod præcedit, non sit requisitum ex parte actus primi, ut constat in decreto intentivo efficaciter gloriæ per modum coronæ.

Nec est necessarium quod Christus per omissionem actus præcepti possit facere, quod non extiterit præceptum, ut constat, & patet in decreto efficaci thomistico, & in prædiffinitione aliorum, & si in istorum doctrina requiritur quod ut actus prædiffinitus libere eliciatur, possit eliciens actum, per omissionem actus prædiffiniti illum non eliciendo, facere quod non extiterit prædiffinitio illius, ut ab Authoribus scientiæ mediæ somniatur, & creditur; idem dici poterit de præcepto, nimirum quod Christus per omissionem actus præcepti, potest facere, quod præceptum non existat nec extiterit, quia ratio utriusque, ut supra arguebamus, eadem est. Ideo enim potest facere per omissionem actus prædiffiniti, quod non existat, vel extiterit prædiffinitio illius, quia non est neccessaria ad existentiam actus, atque adeo potest supponere statum conditionatum, & actum libere eliciendum sub conditione principiorum indifferentium, & huius status conditionati prævisione supposita, Deus prædiffinit actum, & confert principia indifferentia, sub quibus prævisus est futurus; Sed præceptum non est necessarium ad volitionem mortis præceptæ, ut vidimus; ergo potest supponere statum conditionatum volitionis mortis, sub conditione principiorum indifferentium. & per consequens huius status conditionati prævisione supposita, potest Deus absolute præcipere mortem, atque conferre principia indifferentia, sub quibus prævisa est futura tam mors, quam eius acceptatio. ergo eâdem ratione, qua potest quis facere per omissionem actus quod non extiterit eius prædifinitio, potest facere Christus, per omissionem actus quod non extiterit præceptum illius.

§ XVI

Statuitur prima conclusio.

Sit prima conclusio: Stante stricto, & rigoroso præcepto de morte subeunda, terminato ad mortem abstrahendo a motivo, seu non præcipiente motivum, nimirum quod acceptatio debeat esse ex uno, vel alio motivo, videlicet Charitatis, Obedientiæ, vel religionis, sive iustitiæ, vel ex alio quocumque motivo, cuiusvis virtutis, Christus Dominus liber fuit in acceptando mortem, & exercendo actum strictæ, & rigorosæ obedientiæ, & Charitatis & iustitiæ, & cuiusvis alterius virtutis, quæ resplendet in sustinendo mortem.

Iam iam ex notabilibus facile deducitur ratio ad nostram conclusionem probandam videlicet quod cum præcepto mortis componitur in Christo libertas, in acceptando mortem, & potentia ad non moriendum, atque adeo mortem, & illius volitionem esse liberam, non solum ratione motivi, quatenus poterat acceptare ex hoc vel illo motivo, sed quo ad substantiam quia scilicet cum præcepto componitur potentia expedita ad non moriendum, & consequenter libertas in moriendo. Assumptum probatur quia licet non reperiatur in Christo potentia ad coniungendam carentiam mortis seu volitionis illius cum præcepto, est tamen potentia ad illam coniungendam cum omnibus requisitis ex parte actus primi ad mortem, & ad volitionem illius, ergo est sufficiens potentia ut volitio mortis, & ipsa mors sit libera.

Consequentia constat ex dictis, quia ad libertatem actus sufficit potentia ad coniungendam carentiam illius cum omnibus requisitis ex parte actus primi ad illam, & non requiritur potentia ad coniungendum carentiam cum omnibus qui de facto coniunguntur cum actu, licet aliquid ex concurrentibus cum actu illum antecedat. ut constat. quia in prædestinato est potentia sufficiens, ut libere perseveret, vel non perseveret, licet non possit coniungere non perseverantiam cum decreto efficaci intentivo gloriæ, per hoc præcise quod possit illam coniungere cum omnibus requisitis ex parte actus primi ad perseverandum.

Antecedens autem probatur. quia coniunctio carentiæ mortis cum omnibus requisitis ex parte actus primi ad mortem, non est peccatum, etiam si illam coniungere cum præcepto sit peccatum; ergo quamvis in Christo non sit potentia ad secundum, est tamen potentia ad primum. antecedens constat, quia ex terminis præceptum non est requisitum ex parte actus primi ad mortem, ut evidenter patet, cum mors, & non mors possint esse etiam non existente præcepto, ergo solum potest esse peccatum omissio mortis composita cum præcepto. Consequentia autem probatur. quia præceptum non aufert potentiam illam; ergo cum præcepto componitur. antecedens probatur non tollit illam quia præcedit volitionem mortis, & illam infallibiliter infert, non quia cum illo non possit Christus coniungere carentiam mortis, non quia non potest facere per omissionem mortis, quod non existat præceptum, ergo præceptum nulla ratione aufert potentiam ex parte actus primi, ad mortem, vel ad non mortem. & per consequens non aufert potentiam expeditam ad coniungendam carentiam mortis cum omnibus requisitis ex parte actus primi ad illam.

Antecedens probatur in prædeterminatione, & decreto efficaci eius, quod decretum, præcedit actum,

illum infallibiliter infert, & cum eo eliciens actum non potest coniungere carentiam illius, nec potest facere per omissionem actus, quod sit, vel non fuerit tale decretum, & tamen non tollit expeditam potentiam ad coniungendam omissionem actus cum omnibus requisitis ex parte actus primi ad illum, ergo nullo ex dictis capitibus preceptum tollit potentiam

Deinde idem convincitur ex decreto intentivo glorię per modum coronę, exemplum utique sępe repetitum, sed efficax. quod decretum non tollit potentiam ad coniungendam carentiam perseverantię finalis, cum requisitis ex parte actus primi, secundum se inspectis, etiam si non possit per omissionem perseverantię facere quod non sit nec fuerit tale decretum. Et ratio horum est quia cum indifferentia creata sit reducenda ad actum ex dispositione divina, dispositio divina illam non destruit, neque actus libertatem, etiam si ex parte Dei, qui solus ut primum liberum, potest illam determinare, & reducere ad actum secundum determinatum, & liberum, detur aliquid inferens infallibiliter eius determinationem ad actum, cum quo opposita determinatio, vel carentia utriusque non possit coniungi; quod autem auferri non possit per voluntatem creatam solum infert voluntatem creatam esse secundam, & dependentem essentialiter a Deo ut a primo libero.

Dices: primum exemplum de decreto efficaci thomistico non esse ad rem, quia oppositi Authores non admittunt posse componi cum libertate creata. Secundum autem dessumptum ex decreto intentivo glorię, non convincere, quia prędestinatus potens non perseverare, potest facere quod non extiterit tale decretum.

Sed contra est quia nobis sufficit eodem modo, & eâdem probabilitate componere in voluntate impeccabili Christi Dñi preceptum cum libertate, atque componitur cum decreto efficaci thomistico, cum quo esse componendam libertatem, efficaciter suadetur a thomistis. 1. p. q. 14. & 19. & nobis omnino certum videtur. Preterquam quod hęc compositio in Christo pluribus viraest difficilior, & sat nobis est, si eisdem principiis defendimus Omnipotentiam, & Providentiam Dei, illamque componimus cum libertate creata, atque propugnamus impeccabilitatem Christi, & preceptum moriendi componendo utrumque eodem modo cum libertate Christi.

Quod autem dicitur ad secundum exemplum. alibi, nimirum. 1. p. q. 14. & 19. a thomistis efficacissime impugnatur, & in se est res omnino impersuasibilis, ut attente consideranti patebit. Insuper, ut supra arguebamus, si hoc verum esset, eadem ratione dici posset Christum Dnum, per omissionem actus prędepti posse facere quod non extiterit preceptum

Ex his iam liquet qualiter acceptatio mortis sit libera Christo, sine potentia ad peccandum, si preceptum solum

terminatur ad mortem, non autem ad motivum, & supposito quod Christus solum elicuerit actum acceptandi mortem, seu actum præceptum. non autem si vellimus quod actus ille sit obedientiæ formalis. unde videtur quod difficultati non est adæquate satisfactum

Pro quo ostendendo sic argues. Christus Dnus acceptavit mortem acceptatione, quæ non solum erat adimpletiva præcepti, sed, quæ simul erat actus Obedientiæ, cuius obiectum motivum est ipsum præceptum; sed ad istum actum obedientiæ est requisitum præceptum ex parte actus primi, ergo falso stabilitum relinquimus præceptum non se tenere ex parte actus primi, & consequenter falso stabilitum relinquimus carentiam actus, quo acceptavit mortem posse coniungi sine peccato cum omnibus requisitis ex parte actus primi ad illum. maiorem supponimus, & eam ostendunt verba sacræ scripturæ, & Patrum, supra relata, estque communis sententia theologorum, adeo, ut negantes strictum præceptum, non negent strictissimam obedientiam in acceptatione mortis, & proinde actum illum esse a virtute obedientiæ elicitum. Minor autem probatur. quia actus virtutis Obedientiæ, seu acceptatio mortis ex motivo se conformandi præcepto habet pro obiecto ipsum præceptum, sed cognitio obiecti attingendi per actum, est requisita ex parte actus primi ad actum: quapropter cognitio bonitatis divinæ est requisita ex parte actus primi ad actum Charitatis: & in universum omnis actus voluntatis supponit ex parte actus primi, cognitionem obiecti: ergo acceptatio mortis ex motivo se conformandi præcepto, supponit ex parte actus primi cognitionem præcepti. & perconsequens ipsum præceptum.

Respondeo supponendo, ut diximus supra in conclusione, præceptum solum esse de morte, & de actu interiori requisito ad illam, non vero de motivo. & fatemur actum interiorem quo Christus acceptavit mortem esse virtutis obedientiæ formalis, dicimus tamen iuxta principia adducta esse liberum quo ad substantiam, nedum secundum conceptum communem acceptationis, sed secundum conceptum differentialem ipsi convenientem ex motivo obedientiæ.

Explicatur, & probatur per partes. Quia actus iste ex conceptu communi acceptationis non exigit ex parte actus primi præceptum, cum sine illo posit Xptus acceptare: ergo ut sit liber secundum conceptum communem acceptationis non est necessarium quod posit coniungere carentiam acceptationis secundum conceptum communem cum præcepto, quod ad actum præceptum ex parte actus primi non requiritur.

Insuper est liber secundum conceptum differentialem, quia licet ad actum illum, ut argumentum convincit, requiratur ex parte actus primi præceptum, potest tamen Xptus cum præcepto coniungere carentiam huius conceptus differentialis. probatur assumptum: quia hæc carentia, seu omissio non est peccatum. ergo illam potest coniungere cum præcepto. antecedens probatur:

quia si posito præcepto Christus acceptaret mortem solum ex motivo Charitatis, esset carentia, & omissio actus obedientiæ formalis, & tamen nullum esset peccatum. ergo actus iste est liber quo ad substantiam secundum utrumque conceptum

Ex quo ad argumentum facilis est responsio, concessa maiori, distinguatur minor: requiritur præceptum ex parte actus primi ad actum istum, consideratum secundum conceptum communem acceptationis, nego minorem: secundum conceptum differentialem, concedo minorem, & nego consequentiam. Carentia enim, seu omissio huius actus, ea ratione, qua præsupponit ex parte actus primi præceptum potest coniungi cum præcepto, nimirum carentia secundum conceptum differentialem, obedientiæ formalis videlicet. Carentia autem illius secundum conceptum communem non potest coniungi cum præcepto, cæterum sub isto conceptu communi acceptationis, non præsupponit præceptum, unde non obest eius libertati quod, secundum istum conceptum communem non possit coniungi cum præcepto.

Replicabis, & dices: Supponamus præceptum fuisse terminatum non solum ad substantiam mortis, & ad acceptationem ut sic, præscindendo a motivo sed quod etiam fuit terminatum ad motivum; ita ut Deus præciperet Xpto ut moreretur ex motivo obedientiæ. In casu isto actus obedientiæ quo Xptus acceptavit mortem non esset liber, iuxta dicta. assumptum probas. quia in casu Xptus non posset coniungere cum præcepto carentiam, seu omissionem actus obedientiæ formalis secundum conceptum differentialem. ergo non esset talis actus liber. antecedens probatur. quia iuxta dicta ad conceptum differentialem actus obedientiæ requiritur ex parte actus primi præceptum, & cognitio præcepti. Sed cum præcepto non potest Xptus coniungere carentiam seu omissionem actus obedientiæ ~~[illegible]~~, ergo non potest Xptus coniungere carentiam actus obedientiæ formalis cum omnibus requisitis ex parte actus primi, & per consequens in tali actu non esset liber. maior continet doctrinam datam. & minor probatur, quia carentia seu omissio actus obedientiæ coniuncta cum præcepto, est essentialiter peccatum. Sed Xptus est omnino impeccabilis, ut supponimus. & iam alibi probatum est, ergo est impotens ad coniungendam carentiam seu omissionem actus obedientiæ formalis cum præcepto. & cum cognitione illius. si præceptum respicit etiam motivum obedientiæ.

Hoc argumentum exposcit ut explicemus, quid dicendum sit supposito quod præceptum terminetur ad motivum pro quo stabiliendo sit.

§. XVII

Statuitur secunda conclusio

Sit secunda conclusio. Etiam supposito quod praeceptum Xpto impositum terminetur ad motivum, praecipiendo mortem, & eius acceptationem. & simul praecipiendo quod illam acceptet ex motivo obedientiae, & se conformandi cum praecepto, est liber in acceptando illam ex tali motivo. sine eo quod sequatur posse peccare.

Et ratio est praeceptum non potest destruere materiam, erga quam versatur. ergo si terminatur ad actum liberum obedientiae formalis eius libertatem destruere non potest. Quod instari potest in praeceptis naturalibus, tum negativis, tum affirmativis. Caeterum ad pleniorem intelligentiam nostrae conclussionis.

Observandum est actum virtutis obedientiae formalis, supponere essentialiter praeceptum, ut pote obiectum illius. unde & supponit essentialiter eius cognitionem ut regulam istius actus voluntatis. Hoc tamen praeceptum quod essentialiter supponit, non exigit essentialiter, & necessario terminari ad motivum ipsius obedientiae formalis, seu ad actum interiorem obedientiae, sed sufficit si terminetur ad substantiam actus, seu ad actum exteriorem. Quod exemplis est manifestum. si enim alicui praecipiatur ire in agrum, v.g. potest elicere, & de facto eliciet actum obedientiae formalis, sit vellet ire in agrum. & de facto eat, ex motivo se conformandi cum praecepto. Verum cum istud praeceptum etiam adimpleatur etiam si actus interior hoc motivum non respiciat, puta si vellit ire in agrum. & eundo de facto ex motivo studiositatis, vel diversionis; imo etiam eundo ex motivo non honesto. sed potius turpi. inde convincitur quod actus obedientiae formalis non exigit essentialiter quod praeceptum terminetur ad motivum ipsius obedientiae formalis. & idem constat in alijs actibus praeceptis, v.g. in auditione sacri in die festo. & in quotidiana recitatione officij divini, & in alijs, qui omnes possunt fieri vel ex motivo se conformandi cum praecepto, vel ex alio motivo, praesertim honesto. & alicuius alterius virtutis, ab obedentia.

Obedientia ergo. ut specialis virtus est habet prae alijs virtutibus respicere praeceptum tanquam obiectum illius, & habet cum alijs virtutibus commune posse elicere actum, qui ex specie sua sit obedientia formalis, non existente praecepto. talis actus reduplicative ut obedientiae formalis, sicut virtus Charitatis. v.g. vel alia virtus, potest elicere suum actum. v.g. Charitatis, non instante praecepto illius. & patet ex dictis. quia existente praecepto eundi in agrum. v.g. non stat praeceptum eliciendi actum obedientiae. unde sine actu obedientiae formalis impleri potest praeceptum. & tamen potest quis elicere actum obedientiae formalis volendo ire in agrum ex motivo obedientiae, & se conformandi praecepto, & si hunc actum obedientiae omittat. non proinde peccaret.

Observandum est secundo, quod praeceptum, ex cuius motivo actus interior evadit actus obedientiae formalis. non potest ad

ipsum actum obedientiæ formalis terminari, sed solum terminatur ad substantiam actus secundum se, et ratio est quia actus obedientiæ supponit præceptum terminatum ad substantiam & respicit eius terminum tanquam obiectum materiale quod, in quo exercetur, atque adeo actus tendens in obiectum ex motivo se conformandi præcepto non potest esse obiectum imperatum per tale præceptum. unde si præcipitur motivum, seu actus interior obedientiæ formalis, præcipitur distincto præcepto. quod exemplis elucidatur. si enim Superior vellit etiam præcipere motivum debet sic dicere: præcipio tibi quod eas in agrum, v.g. & simul præcipio tibi quod eas ex motivo te conformandi præcepto. en ubi manifeste sunt duo præcepta, quorum primum, etiam secundo excluso, sufficit ad actum obedientiæ formalis.

Unde si Xpto præcipitur, quod sustineat mortem, & quod illam sustineat ex motivo obedientiæ, & se conformandi præcepto, adest utique duplex præceptum. si vero contenditur quod sit unum præceptum, utrumque terminum respiciens, & hoc admittamus, necessario distinguenda est duplex virtualitas in illo præcepto, & affirmare, quod ea ratione qua præcipit motivum, seu actum interiorem obedientiæ, præsupponit se ipsum, ut terminatum ad exteriorem tollerantiam mortis, etenim velle mortem sustinere ex motivo se conformandi præcepto præsupponit præceptum terminatum ad mortem, non autem terminatum ad se.

Observandum est denique quod ex his duobus præceptis, vel duabus virtualitatibus eiusdem præcepti, prima virtualitas seu primum præceptum terminatum ad mortem quoad substantiam, est omnino necessarium ex parte actus primi, ut Christus exerceat actum obedientiæ formalis, acceptando mortem, non tamen ad eliciendum actum obedientiæ formalis, est necessaria, secunda virtualitas, vel secundum præceptum terminatum ad motivum, seu ad actum interiorem quo vellit acceptare mortem ex motivo se conformandi præcepto. quæ supposio nota est ex iam dictis.

His igitur observatis, & prænotatis facile probatur conclusio, & explicatur quomodo Xptus Dnus fuerit liber in eliciendo actum obedientiæ, etiam si motivum obedientiæ ipsi præciperetur. Quia Xptus etiam in hac hypotesi potuit coniungere carentiam seu omissionem actus obedientiæ formalis cum virtualitate vel cum præcepto requisito essentialiter ex parte actus primi ad eliciendum actum obedientiæ formalis; ergo fuit liber in acceptatione mortis ex motivo obedientiæ. consequentia patet & ans probatur, præceptum requisitum essentialiter ex parte actus primi ad eliciendum actum obedientiæ formalis acceptando mortem, est præceptum terminatum ad mortem quoad substantiam, sed potuit Christus coniungere cum isto præcepto carentiam seu omissionem actus obedientiæ formalis, ergo verum est ans. cætera patent probatur minor acceptante Christo mortem ex motivo Charitatis, vel Religionis, vel iustitiæ, & illam non acceptando, ex motivo obedientiæ & præscindendo ab hoc motivo obedientiæ erat coniunctio carentiæ seu omissionis obedientiæ

formalis. cum præcepto terminato ad mortem & requisito ad obedientiam formalem. sed hęc coniunctio potuit poni a Christo, ergo cum præcepto requisito ad obedientiam formalem potuit Christus coniungere carentiam, seu omissionem actus obedientię formalis. maior est nota, & minor similiter quia illa coniunctio non est peccatum. Unde licet Xptus non posset coniungere carentiam seu omissionem motivi, nimirum obedientię formalis cum altera secundum virtualitate, vel cum altero secundo præcepto ad ipsum actum obedientię formalis terminato, nihil obest. cum illud præceptum non sit necessarium ex parte actus primi ad obedientiam formalem.

Christus ergo potuit libere, & licite mori, & non mori quia ad moriendum, vel non moriendum non requiritur præceptum, unde licet non posset coniungere cum præcepto omissionem mortis, potuit tamen coniungere cum omnibus requisitis ex parte actus primi, & mortem, vel eius omissionem. Similiter potuit adimplere præceptum hoc per actum obedientię formalis, & per omissionem actus obedientię formalis, & utrumque libere, & licite, eo quia potuit coniungere cum præcepto essentialiter requisito ex parte actus primi ad obedientiam formalem, & obedientiam formalem, & eius omissionem, licet non posset coniungere cum secundo præcepto, vel virtualitate omissionem actus obedientię formalis, quia illud secundum præceptum non est requisitum ex parte actus primi.

Sed replicabis, & dices: Non potest Christus Dnus coniungere carentiam actus obedientię formalis cum præcepto terminato ad exteriorem tollerantiam mortis, ergo non potest eam coniungere cum omnibus requisitis ex parte actus primi ad actum obedientię formalis. consequentia est legitima, & ans probatur iuxta dicta eodem præcepto admissum est quod Deus præcepit Christo, & mortem, & actum obedientię formalis, sed cum præcepto ut terminato ad actum obedientię formalis nequit Xptus coniungere carentiam talis actus ergo nec cum illo ut terminato ad actum exteriorem quo mortem sustinuit. maiorem admisimus, & minor est certa, & consequentia probatur: implicat potentia ad coniungendum carentiam actus obedientię cum præcepto terminato ad mortem, sine potentia ad coniungendum illam cum eodem præcepto ut terminato ad actum obedientię, ergo sicut non est potentia ad coniungendam carentiam actus obedientię cum præcepto ut terminato ad actum obedientię, neque est potentia ad illam coniungendam cum præcepto terminato ad exteriorem tollerantiam mortis. ans probatur. nam admissum est esse unum, & idem præceptum Sed implicat potentia ad omissionem coniungendam cum aliquo sine potentia ad illam coniungendam cum omnibus quę cum illo identificantur, sicut implicat de facto coniungi cum aliquo, & non coniungi cum omnibus quę cum illo identificantur ergo implicat potentia ad coniungendam omissionem cum præcepto, secundum unam, & non secundum aliam virtualitatem, seu terminationem.

Confirmatur, & augetur difficultas. Preceptum hoc secundum terminationem ad exteriorem tollerantiam mortis, se tenet ex parte actus primi ad actum obedientiç formalis, ut talis, sed preceptum hoc identificat secum alteram terminationem nimirum ad actum obedientiç, quem infert infallibiliter; ergo actus primus constitutus per preceptum connectitur essentialiter cum actu obedientiç formalis; tunc sic: sed actus primus essentialiter connexus cum uno actu secundo, non relinquit libertatem, cum libertas exigat indifferentiam ad utrumque extremum libertatis. ergo Christus non esset liber in acceptanda morte.

Quç doctrina confirmatur, & exemplificatur. Si Voluntas creata ratione alicuius virtualitatis secum identificatç, connecteretur cum uno actu, non esset libera, neque indifferens ad illum, nec actus quando existeret, existeret libere. Similiter si Auxilium sufficiens secum identificaret predeterminationem non relinqueret libertatem. eo quia predeterminatio connectitur infallibiliter, & metaphisice cum actu ad quem datur. Imo ad auferendam libertatem non requiritur essentialis, & metaphisica connexio inter actum primum, & secundum,: causç enim naturales non methaphisice, sed solum physice connectuntur cum actu. ut patet in igne. quod sufficiens est ad auferendam indifferentiam exactam ad libertatem.

Respondeo, quod si duplex est preceptum. ut supra dicebamus quod debet esse argumentum non habet vim. Verum si admittimus esse unum, & idem cum duplici virtualitate, & terminatione respondetur has terminationes, & virtualitates non esse in eodem precepto interne essentialiter connexas, sed posse unam defficere, altera remanente, & proinde est idem ac si precepta essent duo. habet enim Christus potentiam ad coniungendam omissionem actus obedientiç cum precepto, ut terminato ad mortem, sine potentia ad coniungendam eamdem ommissionem cum precepto ut terminato, ad actum obedientiç. & tale preceptum sub prima terminatione ad mortem, est requisitum ex parte actus primi ad eliciendum actum obedientiç. non autem est requisitum sub utraque terminatione.

Iuxta quç etiam solvitur faciliter confirmatio cum enim separabilis sit a precepto illa duplex virtualitas, & terminatio posset coniunctio omissionis cum precepto ut terminato ad ~~actum obedientiç~~ tollerantiam exteriorem mortis, separari a coniunctione eiusdem omissionis cum eodem precepto ut terminato ad actum obedientiç. inde actus primus ratione virtualitatis, & terminationis sibi accidentalis, & ab ipso separabilis, connexus essentialiter cum actu secundo. non est incompossibilis cum libert.^e tunc enim connexio istius actus primi cum actu secundo idem est, & valet, ac si esset rationis alicuius ac realiter distincti, & nullo modo constituentis ipsum actum primum.

Sit exemplum in Scientia Dei, quę se tenet ex parte actus primi ad actum voluntatis divinę, quę scientia secundum terminationem liberam connectitur cum actu libero Dei, quem respicit tanquam obiectum atque lesione libertatis eiusdem, et Deus potest coniungere carentiam talis decreti cum scientia et qua regulatur, eo quia a Scientia regulante potest deficere terminatio libera, ratione cuius cum decreto connectitur. Similiter ergo Xptus potest cum precepto coniungere carentiam actus obedientię, eo quia a tali precepto separari potest terminatio ad ipsum actum obedientię, ratione cuius preceptum cum actu obedientię connectitur.

Si autem constituatur preceptum, unum, & sic identificatum cum illis virtualitatibus, & terminationibus, ut nulla ab ipso separari possit, (quod utique est falsum) difficilius solvitur argumentum. Cęterum hoc non obstante, & admissa hac falsa suppositione respondeo, quod istę terminationes, & virtualitates, hic, & nunc, in hoc precepto admittantur connexę, ex terminis tamen non connectuntur, cum possit esse preceptum mortis, sine precepto, vel terminatione ad actum obedientię, & licet identice & realiter sit talis connexio terminationum in tali precepto adhuc preceptum secundum terminationem ad actum obedientię, non est necessarium, & per se exactum, ex parte actus primi ad actum obedientię. Sed solum secundum terminationem ad mortem. Ad libertatem autem actus sufficit posse coniungere carentiam illius cum formalitate per se exacta ex parte actus primi, quamvis realiter ratione alterius terminationis fiat coniunctio impossibilis. Hęc impossibilitas enim est consequens, & per accidens unde libertati obstare nequit. quia talis terminatio non exigitur ab actu, & identice, & de materiali se habet, ad existentiam illius.

Hoc autem in exemplis contra nos supra adductis non militat propter duo. primo quia voluntas, & auxilium sufficiens, identificantia predeterminationem connecterentur cum actu, ex vi alicuius per se exactio ab actu, scilicet ex vi predeterminationis, quam per se exigit actus, & sine qua impossibilis est actus. Secundo quia voluntas pertinet ad actum primum tanquam principium cui tribuitur determinatio actus, voluntas enim ut principium est quę se determinat ad actum, non autem preceptum unde determinationi voluntatis non obstat, quod preceptum sibi identificet connexionem aliquam cum actu. Hęc dicta sunt ad maiorem abundantiam, & ulteriorem solutionem argumenti, verum semper est negandum tales virtualitates, & terminationes esse connexas in precepto. si admittitur, quod sit unum, cum revera, unum esse non possit, sed duplex.

Hoc argumentum ideo adduxi, quia aliud simile fieri potest in cognitione regulante in Christo actum obedientię, & mortis, & supponamus Christum Dnum eadem

cognitione cognovisse convenientiam mortis, & conducentia ad finem redemptionis, & simul conducentiam omissionis mortis, ad alios fines: & deinde supponamus, quod hac eadem cognitione cognoscat Xptus preceptum, tum mortis, tum actus obedientie, quo facta suppositione, si terminationes huius cognitionis sunt connexe, & inseparabiles, videtur Xptum Dnum non posse coniungere carentiam mortis, & omissionem actus obedientie, cum cognitione regulante, & constituente actum primum. quod convinci videtur argumento facto.

Quod argumentum eadem triplici solutione insinuata solvitur. primo asserendo cognitionem attingentem predicta obiecta non esse unam sed plures, iuxta plurificationem obiectorum, cum plura et plura eadem cognitione attingi nequeant. Secundo solvitur asserendo quod si est unica cognitio habet illas plures terminationes non interse essentialiter connexas, cum una ab alia separari possit. tertio admisso illas terminationes esse connexas physice respondetur quod hic, & nunc, in tali cognitione ille terminationes connectuntur per accidens, identice, & materialiter, & omnes terminationes non exiguntur perse ad regulandum actum primum, sed solum illa terminatio secundum quam attingit, & cognoscit preceptum ut terminatum ad exteriorem tollerantiam mortis, prescindendo ab omni alio, hec enim sola terminatio est essentialiter exacta ut cognita ad existentiam actus obedientie formalis.

Nota quod hoc argumentum instari, & fieri potest in sententia non admittente preceptum strictum, sed latum, cum non minus voluntas Xpti Dni sit incapax moralis imperfectionis, quam sit impeccabilis. si supponitur eumdem actum voluntatis divine consulere mortem, & quod fiat ex obedientia per conformitatem ad maius Dei beneplacitum. & si supponitur Xptum eadem cognitione attigisse, & mortem, & quod debeat fieri ex obedientia, & conquentias que sunt tum in morte & tum in eius omissione, quod facile consideranti patebit.

Ex hac doctrina patet solutio ad argumentum factum in fine § precedentis, ex quo motivum sumpsimus ad secundam conclusionem stabiliendam. cui respondendum est iuxta triplicem solutionem assignatam.

§ XVIII

Alia argumenta solvuntur.

Obiicies primo. Xptus Dnus stante precepto non est potens ad omissionem mortis, ergo non est liber. ans probatur. ut sit potens requiritur iudicium indifferens ad mortem, & ad illius omissionem, sed hoc iudicium non fuit in Xpto, ergo. Minor probatur. Primo quia iudicium indifferens ad mortem, non componitur cum iudicio certo, & determinato mortis, sed hoc fuit in Xpto, ut pote cognoscente certo, & evidenter mortem futuram. ergo non fuit iudicium indifferens.

Secundo probatur eadem minor. Omissio mortis non potuit proponi Xpto ut conveniens & practice aliciens eius voluntatem, sed ad iudicium indifferens ad mortem, & eius omissionem requisitum ad libertatem, illamque constituens in actu primo, necessarium est quod detur iudicium proponens, ut convenientem, non solum mortem, sed & eius omissionem. ergo. Maior, & minor indigent probatione, & minor probatur, tum quia in Xpto non fuit indifferentia ad peccatum, qua propter non fuit potens ad illud, non alia ratione, nisi quia non potuit proponi peccatum ut conveniens, & practice aliciens voluntatem, ut supra dicebamus: ergo ut detur iudicium indifferens requisitum ad libertatem, & quo Xptus sit potens in actu primo omittere, necessarium est quod omissio proponatur ut conveniens. Tum etiam, quia ut Xptus sit potens, & indifferens ad omissionem necessarium est quod possit per actum positivum illam velle; sed illam velle non potest nisi proponatur ut conveniens, nihil enim amari potest nisi ratione boni. ergo.

Maior autem, quam probandam promisimus, sic ostenditur. Omissio mortis non potest proponi ut conveniens, neque ut coniuncta cum precepto; neque secundum se: ergo. non ut coniuncta cum precepto, quia ut sic est peccatum. non secundum se, quia omissio mortis secundum se non est bona. Tum quia alias, si aparte rei daretur secundum praedicata sibi essentialia, & seclusis accidentibus, seu ordinatione ad bonum finem, esset bona, quod tamen falsum est, quia esset pura omissio. que in veriori sententia non potest esse bona. Tum etiam. quia si secundum se esset bona, vitiari non posset, quia enim actus Charitatis secundum se est essentialiter bonus, vitiari non potest, sed omissio mortis. & si in Xpto ratione sue impeccabilitatis, non possit vitiari, de se tamen vitiabilis est. ergo.

Respondetur negando ans. & ad probationem neganda est minor, & ad illius primam probationem distinguenda est maior: non componitur cum iudicio determinato regulante omissionem, seu actum, concedo maiorem: non regulante omissionem, seu actum, sed concomittanter se habente, nego maiorem & sub eadem distinctione minoris, negatur consequentia. Imo etiam si utrumque iudicium & indifferens, & determinatum regularet, probabiliter posset dici quod utrumque iudicium posset coexistere, & componi, cum libertate actus: Idem enim actus Charitatis in Xpto, secundum plures utroque iudicio regulatur, indifferenti, & determinato, nimirum Visione Dei, & scientia infusa, apud quos actus Charitatis, & est liber, & est necessarius. Sed solutio prima est & verior. & verius est quod in Xpto iudicium regulans acceptationem mortis, est solum iudicium indifferens, quod etiam proinde proponit omissionem ut convenientem, quamvis cum hoc iudicio indifferenti, coniungatur alterum iudicium connexum cum acceptatione mortis, quod utique iudicium non regulat actum liberum voluntatis.

Ad secundam probationem neganda est maior. ad cuius probationem negandum est ans pro secunda parte & ad primam illius probationem

distinguendum est ans. Secundum se non est bona, nec permittit esse bonam, negatur ans. non est bona, hoc est non est essentialiter bona: concedo ans. ex quo tamen nihil sequitur, quia ut omissio secundum se, & precisive a precepto possit proponi ut conveniens sufficit quod secundum se permissive se habeat, & non excludat conducentiam ad plures fines honestos. Secunda autem probatio convinceret si secundum se, hoc est essentialiter esset bona, tunc enim alio non indigeret ut esset bona, atque adeo etiam si esset pura omissio & careret ordinatione ad bonum finem per actum positivum illam ordinantem, esset bona permissive. Nos autem illam dicimus esse bonam non ut est pura omissio in Xpto, sed quatenus est actu positivo, precindente a precepto; precisive enim a precepto posset omissio mortis, idest vitae, in bonum finem ordinari. per quod constat ad ultimum.

Obiicies secundo, & est instantia contra dicta. eo ipso quod posito precepto proponatur omissio ut conveniens quia conducit ad alios fines honestos datur in Xpto ex parte iudicij indifferentis quidquid requiritur ad peccatum. Sed hoc est falsum, & contra dicta, si enim datur ex parte iudicij indifferentis requisitum ad peccandum, quamvis de facto non sit, nec possit esse peccatum potentia consequenti, erit tamen potens ancedenter peccare. quod supra negavimus. & tale iudicium. ergo. Assumptum probatur: quando homo peccat omittens actum preceptum non aliud datur iudicium indifferens, non enim est necessarium quod omissio ut coniuncta cum precepto, actus proponatur ut conveniens sed sufficit, quod, supposito precepto, proponatur omissio, ut conveniens, quatenus conducens ad alios fines; ergo etiam si ut coniuncta cum precepto non proponatur Xpto ut conveniens, si tamen posito precepto, ipsa specificative sumpta, proponatur ut conducens ad alios fines, iudicium indifferens, quo sic apprehenditur sufficiens est ad peccatum. ans probatur, peccans non intendit peccatum ut malum nemo enim intendens ad malum operatur, nulli ergo proponitur ut conveniens peccatum quia malum, & consequenter nec omissio coniuncta cum precepto, & saltem sic proponi necessarium non est ad peccatum, nec ad hoc ut detur iudicium indifferens ad illud.

Confirmatur primo, stante predifinitione actus, stat in homine iudicium indifferens ad peccatum per hoc precise, quod omissio actus predifiniti, proponatur ut conveniens, & appetibilis secundum se, licet ut coniuncta cum predifinitione non sic proponatur, & forse proponi non potest, ergo ut in Christo sit iudicium indifferens ad peccatum non requiritur quod omissio actus precepti, ut coniuncta cum precepto proponatur ut conveniens, & appetibilis.

Confirmatur secundo, si proponatur omissio ut admisimus, erit Xptus potens antecedenter ad illam, essetque Deus etiam antecedenter potens ad permittendam omissionem actus precepti, solum enim, ex suppositione consequenti nimirum ex supp.e precepti esset Xptus impotens ad illam. & Deus impotens ad illam permittendam.

go. licet Xptus sit consequenter impotens ad peccandum, erit tamen potens antecedenter. Conseqa probatur: quia posita predeterminatione ad actum, homo tantum est consequenter impotens ad omissionem, cum predeterminatione retinet potentiam antecedentem ad omissionem ergo si Xptus solum ex suppositione consequenti precepti est impotens ad omissionem, retinet cum precepto potentiam antecedentem ad illam, & proinde ad peccandum, & per consequens deus est potens antecedenter ad illam permittendam.

Respondetur negando ante. & ad probationem similiter negatur ante. quod probationes non convincunt. nam voluntati peccabili licet non proponatur peccatum, ut conveniens, & appetibile, ratione sui, bene tamen ratione alterius, scilicet ratione conducentie ad alios fines. Xpto autem peccatum, & malitia, nec ratione sui, nec ratione alterius potest proponi. ut conveniens, & appetibile quod erat necessarium ad iudicium indifferens circa actum primo, ad peccatum. Nec hoc tollit indifferentiam ad omissionem absolute, sed solum ad illam ut coniunctam cum precepto. Quod facile explicatur in predifinitione actus, cum qua, & cum eius cognitione componitur quod in Xpto omissio ut coniuncta cum tali actu, non possit proponi ut appetibilis, neque ratione sui, neque ratione alterius. quapropter in ipso non est iudicium indifferens constituens libertatem in actu primo, ad huius modi coniunctiorum, bene tamen ad omissionem absolute ut ad alios fines conducentem similiter discurrendum est in precepto.

Ad primam confirmationem respondetur. concesso anti. nego conseqa, vel distinguatur conseqa. sufficit ut sit iudicium indifferens ad omissionem secundum se, & ut conducentem ad alios fines concedo conseqa ad illam ut coniunctam cum precepto quaratione est peccatum: nego conseqa. Imo ex hoc argumentum sumpsimus, nam sine iudicio indifferenti ad coniungendam omissionem cum predifinitione stat iudicium indifferens ad illam secundum se. & eadem ratione in Christo sine iudicio indifferenti ad coniungendam omissionem cum precepto stat iudicium indifferens, ad omissionem, secundum se.

Secunda confirmatio, eodem defectu laborat atque adeo concesso anti negatur conseqa. Nam ex suppositione precepti est impotentia consequens ad omissionem secundum se, est tamen impotentia antecedens ad illam ut coniunctam cum precepto. prima impotentia nascitur ex precepto, secunda ex gratia impeccabilitatis ratione cuius in Xpto est implicatoria coniunctio omissionis cum precepto. Sicut posita predifinitione actus, est impotentia consequens ad omissionem secundum se, & antecedens ad illam coniungendam cum predifinitione. prima nascitur ex predifinitione, secunda ex ipsa natura voluntatis, que est impotens ad id quod implicat in terminis.

Obiicies tertio. Deus ratione praecepti non est impotens antecedenter ad permittendum quod Xptus omittat. Si semel Xptus est potens antecedenter ad omissionem, ergo nec consequenter est impotens Deus ad permittendam Xpto omissionem. ergo vel Xptus non est potens antecedenter ad illam. vel potest, Deo permittente, ad omissionem coniunctam cum praecepto. haec ultima conseq. ex prima infertur. unde probatur prima conseq. quia praeceptum, secundum se, ex terminis, & essentialiter non est incompossibile cum omissione actus praecepti. est enim eius rationis ac illud quod imponitur puro homini, quod proinde compossibile est cum omissione actus praecepti, & consequenter voluntas praecipiendi existens in Deo, a qua solum Deus potest impediri ad permittendum, non est incompossibilis cum omissione.

Secundo probatur eadem prima consequentia. quia in praedifinitione manifeste constat qualiter Deus ex vi illius obligatur ad non permittendum omissionem, nimirum quia alias Deus sibi ipsi contradiceret volens ex una parte efficaciter actum, quem praedifinit, & non volens, si alias posset potentia conseq. impedire actum. ergo obligatur a se, ad non permittendum omissionem, stante praeditione actus. In praecepto autem non sic apparet impot.a conseq. in Deo, cum voluntas praeceptiva, seu praeceptum, ex terminis non sit voluntas efficax actus, sed ad summum inefficax. Sed cum voluntate inefficaci actus, recte componitur Deum permittere omissionem illius, ergo etiam stante in Xpto praecepto potens est Deus consequenter ad permittendum omissionem.

Tertio probatur quia si in Xpto non est iudicium indifferens ad omissionem ut coniunctam cum praecepto etiam si Deus omissionem permittat auferendo gratiam efficacem ad actus adimpletivum praecepti, omissio ut coniuncta cum praecepto non erit Xpto voluntaria, sed solum ut alios fines conducens, circumstantia enim, quae ex parte iudicij non proponitur amplectenda aliquomodo per exercitium voluntatis, non est voluntaria: Sed si circumstantia coniunctionis omissionis cum praecepto non est voluntaria, omissio non erit peccaminosa; in ratione enim peccaminosae constituitur per hoc quod coniunctio illius cum praecepto sit voluntaria; ergo absque peccato poterit Xptus omittere, & consequenter Deus poterit potentia consequenti facere quod Xptus omittat, quod videtur omnino falsum.

Respondeo omisso antecedenti negando primam consequentiam. ad cuius primam probationem respondetur distinguendo ans. non est incompossibile: in volunt.e impeccabili nego ans: in alia volunt.e peccabili concedo ans. ex quo non sequitur quod Deus non sit impotens conseq. ad permittendum Xpto omissionem.

Ad secundam probationem dicendum quod in praecepto satis manifeste apparet impotentia consequens in Deo ad omissionem Xpto permittendam. nam ex voluntate qua Deus vult conservare unionem hypostaticam, & proinde impeccabilitatem, sequitur talis impotentia in Deo. Deus enim praecipiendo illi tollerantiam passionis & mortis vult consequenter ad omissionem quia peccaminosam non concurre, nec illa permittere sicut Deus qui praedefinit actum non vult permittere omissionem actus praedefiniti.

Ad tertiam neganda est maior. seu dicendum implicare in terminis circunstantia enim omnino ignorata non potest esse voluntaria, aut volita, quia nihil volitum, quin precognitum; unde voluntarium est a volunt. cum cognitione; si autem precognoscatur non potest non esse voluntaria. unde circunstantia peccati, quod esset ex coniunctione omissionis cum precepto, licet non proponatur Xpto Dno, ut bona, & appetibilis, est tamen precognita, atque adeo esset voluntaria, si Xptus omitteret. & in stat implicatio quod ex hoc capite esset voluntaria, & non esset ex alio, quia videlicet, id quod nec ratione sui, nec ratione alterius proponitur ut bonum, & appetibile, non potest esse volitum, & voluntarium, nisi velis quod voluntas possit ferri in malum sub ratione mali, quia in hoc casu chimerico, utramque contradictionem dicere nos fateri, & implicatoria vera esse

§ XIX

Prosequuntur argumenta

Obiicies quarto. Potentia in Xpto Dno ad non moriendum sub conditione quod auferatur preceptum non sufficit ad salvandam libertatem in moriendo, sed in Xpo solum est potentia ad non moriendum sub conditione quod auferatur preceptum ergo non salvatur cum illa potentia libertas in moriendo. consequentia infertur, & premisse videntur note, maior quidem quia Beati habent potentiam ad non diligendum Deum, sub conditione quod ab eis auferatur unio beatifica, que potentia ad Deum sub conditione non amandum, non sufficit ut amor beatificus sit illis liber. & inde minor etiam est nota. quia potentia que est in Xpto ad non moriendum solum est ad negationem mortis divisive a precepto.

Respondeo distinguendo maiorem: si ablatio precepti sit conditio requisita ad existentiam potentie ad non moriendum concedo maiorem, si ablatio precepti non est conditio requisita ad potentiam, sed solum ad actum seu ad de facto non mori, nego maiorem, & distinguo minorem, ablatione precepti desiderata ad potentiam, nego minorem. desiderata ad actum, seu ad de facto non mori concedo minorem & nego consequentiam. stat enim in Christo simul cum precepto potentia ad non moriendum quam preceptum mortis non destruit, sed supponit, & infert, alias mors precipi non posset, licet in Xpo non sit potentia ad coniungendum cum precepto non mortem. sicut in predeterminato ad consensum, est potentia ad dissensum, non ut coniungendum cum predeterminat. unde ut dicitur est simultas potentie non vero est potentia simultatis. Nec exemplum adductum in probationem maioris oppositum convincit, quia in Beatis ablatio visionis beatifice, est conditio exacta non solum ad de facto non amandum, sed ad existentiam potentie in actu primo ad non amandum.

Obiicies quinto. Supposito in Xpto precepto moriendi, negatio mortis non est Xpto possibilis etiam in sensu diviso. ergo cum precepto non componitur libertas ad moriendum. probatur ans. ideo est impossibilis Xpto negatio mortis in sensu composito precepti, quia nulla potentia potest illam componere cum precepto. sed similiter nulla potentia potest illam dividere, ergo. probatur minor, quia posse unum dividere ab alio est posse unum ponere, & aliud auferre

Sed Xptus nulla potentia potest a se auferre preceptum. ergo.

Respondeo negando ans. et ad eius probationem concessa maiori distinguo minorem. nulla potentia potest illam dividere, divisione positiva, concedo minorem, divisione precisiva nego minorem et consequentiam. cui distinctioni non officit probatio, nam ille modus divisionis est a divisionem positivam. et habet ista solutio exemplum in premotione: quam fisice dividere non possumus, sed solum, quia precisive dividitur a potentia, illam relinquit illesam. quid quid in contrarium vociferentur contrarij.

Obicies sexto.

Xptus Dominus est impotens impotentia antecedenti ad peccandum, ergo et ad non moriendum supposito precepto. conseq. prob. non mori supposito precepto, est peccatum. ergo.

Respondeo distinguendo conseq. ad non moriendum negative et precisive sumptum, et divisive a precepto, nego consequentiam. ad non moriendum, est impotens ad non moriendum privative sumptum ly non, seu compositum cum precepto concedo consequentiam. et ad probationem, respondetur eadem distinctione.

Alia quam plura argumenta possunt fieri, sed omnia illa ex doctrina in progressu disputationis stabilita facile dilui possunt. unde ne plus iusto immoremur illa omitto.

§. XX

Solvitur ratio dubitandi

Iam iam patet solutio ad rationem dubitandi in principio huius disputationis §. 1. appositam. respondetur ergo concesso antecedenti, distinguendo consequens, ergo non fuit Xptus Dnus liber ad obediendum, et non obediendum, ly non privative sumptum concedo consequentiam, ly non negative sumptum nego consequentiam. et ad probationem distinguatur maior eadem distinctione, et similiter minor. et negetur consequentia et deinde concessa minori subsumpta, negetur consequentia. Solutio patet ex dictis.

§. XXI

Corollaria ex dictis

Inferes primo ex dictis in progressu huius disputationis Christum Dnum liberum fuisse in adimpletione preceptorum legis naturalis, et divine, v. g. in amando Deum, ipsumque colendo et ratio est in promptu ex dictis quia nimirum negationi amoris, que utique est extremum contradictorium amoris. et idem dico de negatione cultus. non est essentialis malitia moralis. alias numquam quis posset cessare, in amore, et in cultu, quod patet esse falsum, cum illa precepta amandi, scilicet, et colendi Deum cum sint affirmativa non obligent semper, et pro semper. negatio ergo amoris, non est essentialiter privatio sed accidentaliter, et essentialiter est negatio. ergo Christus potuit in negationem amoris

absque detrimento suæ impeccabilitatis. dabilis ergo est in Xpto potentia antecedens ad omissionem amoris, seu ad non amorem negative sumptum, ergo dabilis est potentia libera ad amorem, et non amorem.

Confirmatur quia iuxta veram, et communem thomistarum sententiæ 1. p. q. 63 ar. 5. Angelus in primo instanti suæ creationis fuit simpliciter impeccabilis et tamen Angelus in illo primo instanti libere Deum dilexit, et libere adimplevit præceptum diligendi Deum in illo instanti, quo præcepto adstrictus fuit, ergo est quia in Angelo erat in illo instanti potestas antecedens ad non amorem negative sumptum, ergo similiter in Xpto toto tempore suæ vitæ mortalis, licet esset simpliciter impeccabilis potuit in non amorem negative sumptum. quod sufficit ad libertatem.

Infertur secundo Xptum Dnum non solum liberum fuisse, ut modo dicebamus in adimpletione præceptorum affirmativorum legis naturalis, et divinæ, sed etiam liberum fuisse in adimpletione præceptorum negativorum, v.g. non odio habendi Deum, non falso iurandi, non mentiendi, et similium. primo quia ista præcepta cum obligent semper, et pro semper, semper adimplentur, et proinde cum non semper exerceatur libertas formalis, adimpleri possunt per actus non liberos, seu per omissiones non liberas formaliter. Secundo, quia ad libertatem huius actus adimpletivi cuiuslibet præcepti huius modi, sufficit. quod possit in amorem Dei, et in veritatem et in iurando vere, quando enim quis verum dicit, non dicit falsum, seu non mentitur. ergo si cum libertate dicit verum, cum libertate non mentitur. et similiter si cum libertate amat Deum, cum libertate non odio habet Deum. unde infertur quod libere adimplevisset illa præcepta negativa non requiritur. quod positive posset in odium Dei, vel in mendacium. vel in similia intrinsece, et essentialiter mala sed sufficit quod possit in extremum positivum. in quo essentialiter carentia illorum continetur.

Dicta sufficiant pro isto tractatu de impeccabilitate Xpti. eiusque morali perfectioni, et omnia cedant in laudem et gloriam ipsius Verbi Incarnati, Virginis eius Matris, et D. Thomæ Aquinatis. a cuius doctrina, non discedere conati sumus. et

Omnia Correctioni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subiicio.

finis.

TRACTATUS VI.

DE MERITO CHRISTI

ubi et de eius Satisfactione

ad q. 19. D. Th.

PROOEMIUM.

Clavis aurea oleo Divinitatis uncta, quae seras ferreas, quibus fortiter per peccatum ianuae caelestis paradisi claudebantur, aperuit, est praecellentissimum, infinitumque meritum Xpti. unde et ipsas portas tam efficacissime antea clausas, dissolvit, imo et levabit, ut sic pateret additus perennis hominibus iustis, quibus idem Xpti meritum, pro omnibus sufficiens, et superabundans, erat efficaciter applicandum, quo pacto merito dicere potuit Attolite portas Principes vestras, et elevamini portae aeternales, et introivit Rex gloriae, devicto ergo mortis aculeo aperuit credentibus regna caelorum Xpti praefulgentissimum et valde mirabile meritum. Quod utique simul est illa potentissima vis, ut pote theandrica, et Dei virilis, qua apertus est liber ille, quem in sua Apocalipsi mysteriosa (cap. 5) vidit Aquilinus Evangelista Ioannes, sigillatum sigillis septem quem nemo in Caelo, neque in terra, neque subtus terram, inventus est dignus aperire.

Iam, iam ergo lachrimae illae, quas idem amantissimus Evangelista Ioannes sine consolatione fundebat, quando, ut ipse de se testatur, flebat multum, quoniam nemo dignus inventus est aperire librum, et solvere signacula eius, merito debent restingui, et in laudes iubilationis plenas converti, quo pacto unus de Senioribus, qui assistebant Agno, qui sedebat in throno, invitans ad gaudium extaticum Prophetam, dixit laetabundus eidem: Ne fleveris; ecce vicit Leo de tribu Iuda, aperire librum, et solvere signacula eius.

Si enim Septenarius numerus, mysteriosus est in Scripturis Sacris, et infinitudinem praecontinet, unde et liber ille, ut infinite sigillatus venerabatur, clausus enim erat per peccatum, quod utique est gravitatis infinitae, illud meritum theandricum, et infiniti valoris, exigebatur ad illum solvendum. Vicit ergo Leo de tribu Iuda, vicit ergo, quia eius meritum superabat gravitatem offensae. Vicit Leo, et utique Leo est, qui victurus erat Leonem Luciferum, seu Lucicidium, qui circuiens quaerens quem devoraret, devoravit in

~~[illegible]~~ in Paradiso genus humanum, primum hominem videlicet, ~~seducendo~~ callide seducendo. vicit ergo Leo, & vicit in Cruce ubi meritum ipsius Consumatum est, & ibi inclinato capite tradidit Spiritum, victoriam ergo reportavit in Cruce, exaltatus enim in cruce Xpistus omnia traxit ad se ipsum, & data fuit ipsi omnis potestas in Caelo, & in terra. Potestas utique, quam acquisivit Sanguine Suo, in quo thesaurus meritorum infiniti valoris precontinetur.

Argumentum ergo nostrum in hoc presenti tractatu est istud Theandricum meritum Xpisti, de quo agit Angelicus Magister in hac 3. p. q. 19 unde & nos eius vestigijs inherendo, ut rectam methodum prosequamur, in presenti de eodem merito Xpisti agemus. & merito post precedentes tractatus hunc sellegimus enodandum, meritum enim cum in operatione consistat, recte post tractatus, in quibus tam de essentia, & natura Incarnationis, & iam de perfectionibus naturam sequentibus & comitantibus, ut sunt, gratia, Scientia, potentia, & impeccabilitas, agitur, recte, inquam, proponitur explicandum.

Cum ergo operationes Xpisti Domini, in quibus utique meritum situm est, sint etiam simul Satisfactio pro offensa Deo irrogata per peccatum, ideo non absre de Satisfactione Xpisti, & de eius valore, & forma valorante agemus in presenti tractatu. quem pro maiori intelligentia, & claritate, in varias disecabimus disputationes. utinam feliciter.

DISPUTATIO ~~DECIMANONA~~ VIGESSIMA
DE LIBERTATE AD MERITUM REQUISITA.

Articulus. I.
Vtrum ad meritum sit necessaria libertas ad actus inæquales?

§. I.
Præsupponuntur certa.

Supponimus vt omnino certum, de fide Xptum Dominum vere, & proprie meruisse. quæ veritas plane constat ex pluribus locis Sacræ paginæ, præsertim ex illo Pauli ad Philip. 2. * Humiliavit se metipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod, & Deus exaltavit illum. &c. *. constat etiam ex illo Isaiæ. cap. 53. * si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum &c. * in quibus verbis promittitur Christo Domino præmium. sub conditione operis onerosi ab ipso libere ponendi, videlicet sub conditione liberæ acceptationis mortis sustinendæ pro hominum redemptione quam libere acceptavit. iuxta illud Isaiæ. cap. 53. * Oblatus est, quia ipse voluit: &c. * quo pacto in Concilio Trid. sess. 6. c. 7. diffinitur Xptum fuisse causam meritoriam nostræ iustificationis.

Secundo supponendum est ex tract. de Merito in communi. 1. 2. q. 114. sex conditiones esse de lege ordinaria, & iuxta præsentem providentiam, necessarias ad merendum. Quarum prima est libertas in actu meritorio. quia in naturalibus, & necessariis, nec meremur, nec demeremur. Secunda est, quod operatio libera sit bona, ex obiecto, & ex omnibus circunstantijs. quia bonum ex integra causa. & actus malus non potest esse dignus præmio, sed potius reprehensione, & pœna. Tertia est quod subiectum eliciens tale opus liberum, & bonum sit in gratia, & amicitia Dei. si enim subiectum non est Deo gratum, opera eius grata esse non possunt. vnde Gen. 4. dicitur * Quod respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. * primo enim respexit Abel, deinde opera. Quarto requiritur quod tale opus referatur formaliter, vel virtualiter in finem supernaturalem quia vt docet Angelicus Mag. vbi supra, videlicet 1. 2. q. 114. ar. 4. Charitas est quæ coniungit actus aliarum virtutum, cum vltimo fine, & ex imperio Charitis actus aliarum virtutum

sunt meritorii. Quinto requiritur quo actio sit viatoris. nam alij sunt in termino, et extra statum progrediendi ulterius per meritum, vel demeritum. Et denique sexto requiritur quod ex parte Dei adsit pactum, et promissio, et ex parte merentis ordinatio operis contenti in pacto. ad premium consequendum, sine tali pacto Deus nemini potest obligari ad premium conferendum.

In presenti ergo articulo precipue agendum nobis est de libertate ad meritum exacta. unde ut plenius difficultas innotescat supponendum est quod duplex libertas distinguitur communiter a Theologis, alia est enim libertas indifferentie que consistit in egressione a principio indifferenti ad agere, et non agere, vel ad agere hoc, vel illud. Alia autem libertas. vocatur talis a coactione, ut loquitur D. Th. q. 6. de Malo. ar. unico. in corpore. et 3. contra g. cap. 138. et alibi. que libertas etiam dicitur libertas essentialis, et hec libertas non exigit in principio potentiam ad oppositum, sive sit contrarie, sive contradictorie. solum ergo exigit ista libertas quod actus eliciatur a voluntate sine coactione, et violentia. voluntarie, et spontanee.

Rursus libertas indifferentie subdividitur. in libertatem contradictionis. et in libertatem contrarietatis libertas contradictionis consistit in egressione a principio indifferenti ad agere, et non agere. unde ex parte principij. videlicet ex parte voluntatis. requiritur essentialiter potentia equaliter indifferens ad actum a. v. g. et ad non eliciendum talem actum. a. dixi equaliter indifferens, quia si voluntas magis connectitur cum actu quam cum carentia. non erit omnino indifferens. unde non erit libera libertate contradictionis. et proinde coniungi potius cum uno extremo, quam cum alio. debet esse, quia voluit. et ex suo libero arbitrio. Libertas autem contrarietatis consistit in egressione a principio equaliter indifferenti ad actum a. v. g. vel ad actum b, contrarium actui. a.

Supponimus ergo ut omnino certum, quod libertas a coactione, que ut vidimus etiam dicitur essentialis, non sufficit ad meritum, vel demeritum. Que suppositio constat ex propria ex D. Th. loco citato ex q. 6. de Malo. ubi Sanctus Doctor referens sententiam aliquorum asserentium voluntatem hominis ex necessitate moveri ad aliquid eligendum, et tamen asserentium quod voluntas non cogitur. quia violentum. et coactum est cuius principium est extra. qua ratione opponitur motui naturali, et voluntario. ait Sanctus Doctor * hec autem opinio est heretica. Tollit enim rationem meriti, et demeriti in humanis actibus, Non enim videtur esse meritorium, vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit.* et ulterius progreditur D.r S. et ait. * Non solum contrariatur fidei, sed subvertit omnia principia Phylosophie moralis, si enim non sit aliquid in nobis, sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio,

exhortatio, praeceptum, & punitio, & laus, & vituperium, circa quae moralis Phylosophia consistit. *

Unde haec nostra suppositio est diffinita a Greg.° 13. & Pio. V. qui contra Michaelem Baium hanc propositionem inter alias damnavere: * Libere fit, quod voluntarie fit, etiam si necessario fiat. * & Ratio apriori nostrae suppositionis est manifesta. quia ea libertas requiritur ad meritum, quae necessaria est ut actus praecipi, aut prohiberi possit. Sed ad hoc non sufficit libertas essentialis, & solum a coactione talis. ergo.

Ulterius supponendum est quod ad meritum non requiritur libertas contrarietatis. quod patet, ex eo quia illa libertas sufficit ad meritum, quae sufficit ut actio possit praecipi, vel consiliari. Sed actus qui egreditur a principio taliter indifferenti, quod possit illum omittere, potest praecipi, & prohiberi, & consiliari, vel disuaderi. ergo ad meritum sufficit libertas contradictionis, & non requiritur libertas contrarietatis.

Confirmatur 1.° quia voluntas etiam si sit impeccabilis, est libera perfecte, ut patet in Deo, & in Xpto, & in Angelo in primo instanti, ~~ergo~~ Sed voluntas perfecte libera, si alias est inferior, & habet apud quem mereri, capax est meriti; & tamen voluntati impeccabili non potest convenire libertas contrarietatis, sed solum libertas contradictionis, ergo ad merendum sufficit libertas contradictionis.

Confirmatur secundo libertas ad meritum exacta est libertas perfecta, sed libertas contradictionis, est sola libertas perfecta, libertas enim contrarietatis talis non est. cum sit libertas ad peccandum, & posse peccare perfectio non est, ergo ad meritum sufficit libertas contradictionis.

Difficultas ergo praesens reducitur ad libertatem contradictionis, an scilicet ita sit necessaria ad meritum, ut si voluntas ad minus non est libera libertate contradictionis, potens proinde ad actus inaequales, quales utique sunt extrema huius libertatis. videlicet actus, & eius carentia seu omissio, quae extrema utique specie distinguuntur, & proinde sunt necessario inaequales, cum species sint sicut numeri, non sit libera voluntas.? unde si fingatur quod voluntas est necessitata ad amandum determinate, & solum sit libera ad eliciendum actum amoris, a, vel actum amoris, b, quia actus sunt omnino aequales, & solo numero distinguuntur. an videlicet voluntas in hac hypotesi libera sit?

§. II.

Referuntur sententiae.

Prima sententia docet ad libertatem sufficientem ad meritum sufficere in voluntate

indifferentiam ad actus æquales. & non requiri essentialiter. indifferentiam ad actus inæquales. pro hac sententia refertur Granados, 1.2. disp.7 sect. 2. Lesius lib. 2 de summo bono. cap. 23. n. 183. quibus favere videtur Ill. Arauxo. 3 p. q. 19. art. 3 dub. 3. quandoquidem iste Ill. M. ea solum ratione salvat libertatem in Xpto Domino in acceptatione mortis præceptæ, quia videlicet liber fuit in acceptando illam hoc vel illo affectu in singulari, qui prout sic sub præcepto non cadebat.

Contraria sententia est communis Thomistarum, qui proinde admittentes in Xpto Dno strictum & rigorosum præceptum circa subeundam mortem. affirmant. ideo liberum fuisse in mortis acceptatione quia potuit illam secundum se consideratam. & in sensu diviso præcepti. divisione utique præcisiva, non acceptare. & proinde potuit ad non mortem ly non negative sumptum. quo pacto est extremum libertatis contradictionis. Similiter hæc secunda sententia est communis inter Authores Societatis, & inter omnes qui ideo negant in Xpto Dno strictum, & rigorosum præceptum. ut salvetur quod sine peccato potuit mortem omittere, ~~...~~ & est etiam communis inter authores neutrales. qui et si admittant in Xpto Domino strictum præceptum. ideo salvant libertatem. & meritum in acceptatione mortis. vel quia præceptum in sui impositione fuit dependenter a voluntate Xpti, vel quia potuit se dividere physice a præcepto petendo dispensationem. unde omnes exigunt ad meritum in Xpto Dno acceptante mortem quod posset illam non acceptare, sine peccato. eo quia impeccabilis supponitur. Authores ergo pro ista sententia esset in longum eorum cathalogum texere.

§ III

Statuitur conclusio

Sit nostra conclusio. Ad meritum requiritur libertas, & indifferentia ad actus inæquales in honestate, & perfectione. & non sufficit indifferentia ad actus æquales. Probatur ratione quia indifferentia exacta ad meritum est illa per quam eliciens unum actum præ alio. sit dignus laude. Sed necessitatus ad unum e duobus. vel ex tribus. vel pluribus, omnino æqualibus in perfectione, & honestate, in electione unius præ alio non est dignus laude, nec præmio, ergo est quia ad meritum requiritur libertas & indifferentia ad actus inæquales. in honestate, & perfectione, & non sufficit indifferentia ad actus ~~...~~ æquales in honestate, & perfectione. probatur minor quia sic necessitatus nihil efficit ex propria deliberatione dignum laude, ergo vera est minor. antecedens probatur. quia sic necessitatus solum ponit ex propria deliberatione, differentiam individualem, & pure numericam, materialiter distinctam ab actu quem omittit. sed hæc differentia non est laudis digna, cum alius ex omissis sit eiusdem honestatis & perfectionis. unde si istum actum omitteret. & alium poneret, æqualem honestatem poneret, ergo.

Confirmatur sic necessitatus nullum obsequium præstat eligendo, & eliciendo unum actum præ alio. Sed meritum est obsequium factum præmianti, ergo sic necessitatus non meretur unum actum præ alio eligendo. probatur maior. debens centum v.g. nummos aureos alicui, nullum obsequium præstat si habens plures centum nummos aureos omnino æquales, conferat illi hos determinate centum nummos aureos præ alijs. etiam si Creditor non habeat ius ad hos determinate centum nummos aureos præ alijs, nullum obsequium præstat in collatione istorum determinate præ alijs. ergo necessitatus ad unum e duobus omnino æqualibus nullum obsequium præstat eligendo unum præ alio.

Confirmatur secundo necessitatus ad mortem per sententiam iudicis præcipientis quod decapitetur, vel suspendatur, etiam si ipsi detur electio ut ab ipso abscindatur caput cum hoc vel cum illo gladio, vel ut suspendatur in hoc vel illo ligno cum hoc vel cum illo fune, stante alias omnimoda æqualitate inter instrumenta, non potest dici quod libere acceptat mortem. ergo similiter necessitatus ad unum e duobus omnino æqualibus non habet libertatem ad meritum exactam ex eo quod possit unum præ alio eligere.

Denique probatur nostra conclusio. quia si sententia contraria esset vera faciliter convinceretur quod ad meritum sufficit libertas a coactione, sed libertatem a coactione esse ad meritum sufficientem est damnatum a Contra Michaelem Baium, ergo contraria sent.^a vera non est. etenim in sententia contraria potens est obsequium præstare, impotens ad illud non præstandum: & impotens vitare actum laude dignum, potens est elicere actum laude dignum unde habet libertatem ad actum .a. præ actu b. ergo facilis est transitus ex sententia contraria ad sententiam damnatam in Michaele Baio.

§. IV.

Solvuntur argumenta.

Obiicies primo Ponamus hominem necessitatum ad eliciendum unum e duobus actibus omnino æqualibus: & potentem pro inde omittere disiunctive, unum vel alium, v.g. necessitatum ad ponendum actum amoris .a. vel actum amoris b. & indifferentem ad ponendos pro suo libito actum a. vel actum B. & deinde supponamus Deum præcipere huic homini quod determinate ponat actum. A. tunc sic. Homo iste eliciens actum A. merebitur, & tamen est necessitatus ad unum e duobus omnino æqualibus, ergo libertas ad actus æquales sufficit ad meritum. maior est constans. quia eliciens actum A, præ actu B. operaretur iuxta voluntatem Dei præcipientis, ergo mereretur. minor autem supponitur in argumento.

Respondeo casum istum destruere suppositum quæstionis, etenim quæstio supponit quod actu A, & actus B sunt omnino æquales,

& deinde adveniente præcepto iam non remanent æquales, nec possunt æquales remanere. quia Superveniente præcepto fit honestior, & perfectior actus A. unde Si poneret actum B. in eodem actu B includeretur omissio actus A. quæ omissio esset peccaminosa, unde præceptum de actu A. est prohibitio erga actum B.

Si iterum fingatur quod ille homo est impeccabilis. Respondetur quod si taliter necessitatus ad actum a. vel ad actum B. præcipitur actus, a. tunc casus infallibiliter ponetur actus, a. & libere, & meritorie. quia potest ponere actum B, divisive a præcepto, in quo actu includitur omissio actus. a. & discurrendum est eodem modo ac in præcepto Xpti de morte Subeunda.

Obiicies Secundo. Homo necessitatus ad unum e duobus omnino æqualibus habet Sufficientem libertatem ad meritum. ergo. ans probatur. sic necessitatus taliter ponit actum. & eius honestatem, & perfectionem quod potest illam non ponere, sed libertas quæ ad meritum requiritur est illa quæ taliter ponit honestatem actus. quod possit illam non ponere, ergo Sic necessitatus habet libertatem Sufficientem ad meritum. probatur maior sic necessitatus potest non ponere hunc actum in singulari, v.g. actum. a. Sed qui potest non ponere hunc actum. a. insingulari, potest non ponere eius honestatem, cum ista vel identificetur cum entitate in sigulari illius actus, vel in illa entitate fundetur, ergo sic necessitatus taliter ponit actum, & eius honestatem quod potest illam non ponere.

Confirmatur. Sic necessitatus potest non ponere formalitatem honestatis, & perfectionis, ut communem Utrique actui. ergo est potens non ponere honestatem. ans probatur quia formalitas illa identificatur cum hoc actu. a. quem potest non ponere.

Respondetur quod argumentum Solum probat honestatem, & perfectionem esse liberam phisice, non autem moraliter, unde non potest talis actus esse meritorius, cum meritum exigat libertatem in linea moris. unde ad argumentum informa respondetur negando antecedens, & ad eius probationem distinguo maiorem, taliter ponit honestatem quod potest illam non ponere, ~~phisice~~, moraliter nego maiorem, phisice, Sub distinguo in hoc actu, concedo. in hoc. aut in alio nego maiorem, & distinguo minorem, Sed libertas quæ ad meritum requiritur est illa quæ taliter ponit honestatem quod potest illam non ponere moraliter concedo minorem, phisice, Sub distinguo in uno determinate nego minorem, in uno, vel in alio equivalenti concedo minorem, & nego consequentiam cui Solutioni non obstat probatio minoris. quia licet hæc honestas a. sequatur hunc actum a. insingulari, ut sit laudabilis et meritoria requiritur, quod taliter ponatur, quod Si non ponitur non necessario ponenda sit alia eiusdem rationis in alio actu necessario ponendo exsuppositione quod primus non ponatur.

Et per hoc patet ad confirmationem formalitas honestatis ut communis huic, et alteri actui, quae non ponitur, est prout fundamentaliter consideratur identificata cum hoc actu a, ceterum ponetur necesse ut fundamentaliter identificata cum actu B, ex suppositione quod non ponatur actus A.

Denique obiicies. Xptus erat necessitatus ad aliquod exercitium vage sumptum suae voluntatis, et tamen omnes actus eius erant aequalis dignitatis et valoris, cum omnes essent valoris infiniti, quae aequalitas ad meritum non officit, ergo stat libertas ad meritum sufficiens cum necessitate ad actus omnino aequales.

Respondeo omissa maiori distinguendo minorem omnes eius actus erant aequales attento valore, et attenta dignitate personali, concedo minorem attenta dignitate et honestate, et perfectione desumpta ex obiecto, et ex aliis circumstantiis nego minorem, et consequentiam.

Articulus II
Utrum Visio beata componatur cum libertate, et merito, in operationibus Xpti Domini?

§ I
Proponitur ratio dubitandi

Dubium praesens non procedit circa amorem beatificum, an scilicet mediante hoc amore regulato per visionem beatificam potuerit Xptus mereri? de hoc enim quia specialem difficultatem praesefert, agemus postea. difficultas ergo praesens est circa actus aliarum virtutum, an componatur libertas, et meritum supposita visione beatifica.

Ratio ergo dubitandi oritur ex eo quia ex una parte visio beatifica, ut modo supponitur ex tract. de Beatitudine, et ex tract. de Visione ad 1. p. q. 12. est immutabilis, unde obiectum quod semel videt semper videt. et ex alia ad libertatem actus requiritur quod taliter sit quod possit non esse, quibus positis sic formatur argumentum pro ratione dubitandi.

Quia Xptus Dominus a primo instanti suae conceptionis fuit Beatus, et utique per visionem qua cognovit omnia praesentia, praeterita, et futura, atque adeo per illam cognovit omnes actus a se tunc elicitos, et eliciendos in futurum decursu suae vitae mortalis, in quibus fuit libertas, et meritum, sed cum hac cognitione illorum libertas non componitur ergo in Xpto cum visione beatifica

non fuit libertas ad meritum requisita. maior supponitur, & probatur minor. quia non potest componi, & coniungi illorum carentia cum Visione beata, alias posset illam falsificare, ne que potest facere quod existat, vel non existat, vel non extiterit visio, quia visio fuit donata Xpto ut proprietas Unionis hypostaticę, independenter ab omni actu suę voluntatis, & antecedenter ad illos, ergo Xptus Dominus nullo modo potuit facere quod actus virtutum a se eliciendos non extiterent, ergo non fuit liber in ~~eorum~~ eorum elicientia. Sed hoc non obstante sit conclusio affirmativa.

§. II.

Statuitur prima conclusio.

Sit prima conclusio: Visio beata, non potest auferre libertatem in actibus Xpti Domini. specialiter si Visio non precedit per modum regulantis, & dirigentis elicientiam eorumdem actuum.

Ratione probatur conclusio. quia visio attingens actus exstituros ex vi principiorum indifferentium, etiam si cum illis ut cum obiecto connectatur, non potest eorum libertatem auferre, sed Visio beata Xpti Domini licet connectatur cum actibus a se eliciendis. ut cum obiecto viso, attingit tales actus ut extituros ex vi principiorum indifferentium, ergo Visio beata non potest eorum libertatem auferre, probatur maior probanda postea minor. quia Visio attingens actum liberum, ut liberum & formalissime qua talem, eius libertatem non tollit, sed potius infert, & supponit, sed visio attingens actus extituros in re ex vi principiorum indifferentium, etiam si cum illis ut cum obiecto viso connectatur, attingit actus liberos, ut liberos. et formalissime qua tales, ergo vera est maior. hęc minor est perse nota. quia esse liberum formalissime nil aliud est quam existere in re ex vi principij indifferentis, potentis proinde elicere, vel non elicere illud. ~~minor~~

Minor autem principalis probatur. quia visio beata Xpti Domini videt & reprysentat actus extituros, ut de facto in re extiterunt, alias esset falsa. quod repugnat visioni beatę; sed extiterunt in re ex vi principiorum indifferentium, nimirum ex vi voluntatis ut regulatę per iudicium indifferens. ergo vera est illa minor.

Confirmatur

Visio beata Xpti Domini videt, & reprysentat actus extituros ex vi decreti conferentis principia indifferentia. nimirum voluntatem creatam Xpti Domini, regulatam a iudicio indifferenti, & proinde ex vi decreti conferentis hoc iudicium indifferens regulans voluntatem, & simul eos videt extituros ex vi decreti quo Deus vult illa principia indifferentia reduci ad actum, etenim Visio beata Xpti Domini videt in essentia divina, ut determinata per hęc decreta suos actus liberos, ergo Visio beata videt actus, & omnes causas libertatis eorumdem, ergo non destruit, sed potius infert libertatem illorum.

Comprobatur, & instatur manifeste in Decreto efficaciter intentivo gloriæ, et coronæ. quod decretum antecedit merita, non solum in genere, sed etiam in singulari. sicut etiam gloria intentata efficaciter est gloria in singulari, & tamen tale decretum non aufert meritorum libertatem, sed potius illam infert, & causat. eo quia infert merita ut ponenda per principia indifferentiæ. ergo similiter in visione.

Nec obest si dicatur quod ideo tale decretum intentivum gloriæ non aufert libertatem meritorum. quia etsi præcedat merita in statu absoluto. supponit scientiam mediam, unde taliter antecedit, quod possit a voluntate creata impediri existentia, & facere quod non extiterit.

Non inquam hoc obest, quia in primis hæc scientia media iam alibi est impugnata, ut pote implicationibus plena, secundo, adhuc hac scientia media supposita est implicatorium quod decretum intentivum antecedat merita ut absolute futura, & quod possit postea in tempore impediri a voluntate, ut late probatum est 1. p. q. 19. id enim quod præcedit exercitium voluntatis, nequit acquiri, vel impediri per tale exercitium voluntatis, & in hoc videtur una ex chymeris quas secum affert scientia media.

Præterea quia a pluribus defensoribus scientiæ mediæ ponitur in statu absoluto prædeffinitio ut necessaria, ad existentiam actus, & inimpedibilis a voluntate creata. quæ tamen in eorum sententia, licet inconsequenter, libertatem actus non aufert. ergo similiter potest discurri in visione. licet nobis sufficiat quod exemplum de decreto intentivo gloriæ et coronæ teneat in sententia D. Thæ.

§. III

Statuitur secunda conclusio

Sit secunda conclusio: **Visio beata, etiam si regulet, & dirigat voluntatem creatam Xpti Domini ad elicientiam actuum virtutum moralium eorum libertatem non aufert.** Quia visio beata licet dirigat actus virtutum eliciendos a Xpto Domino illos dirigit proponendo obiecta attingenda per illos indifferenter, ergo non potest auferre libertatem. consequentia patet, quia iudicium indifferenter proponens obiectum attingendum, est iudicium indifferens, sed iudicium indifferens non solum non tollit libertatem, sed illam infallibiliter infert, & causat, volitio enim regulata a iudicio indifferenti non potest non esse libera, sicut e contra quæ regulatur a iudicio necessario non potest non esse necessaria. ergo si visio beata Xpti Domini regulat, & dirigit eius voluntatem ad eliciendos actus virtutum proponendo obiecta attingenda per ipsos indifferenter, non potest auferre libertatem.

Antecedens autem probatur. quia Visio beata nullum bonum creatum, & extra Deum proponit ut necessario amabile, sicut neque Visio increata ipsius Dei, cuius est participatio, & imitatio, proponit enim utraque Visio obiecta creata iuxta eorum merita, Deum nimirum, ut summum, & infinitum bonum necessario amabilem cetera autem ut bonum limitatum, admixtum proinde imperfectione limitationis. ergo Visio beata licet dirigat voluntatem Xpti Domini ad actus virtutum eliciendos proponit eorum obiecta ut indifferenter amabilia, & attingibilia.

Confirmatur

Quia proponere extra Deum aliquod obiectum, licet bonum, ut necessario diligendum, est imperfectio, imo si aliquando accidere potest provenit ex imperfectione cognitionis, quapropter in via, fieri non potest nisi per iudicium erroneum, & imperfectum, sed Visio beata est iudicium perfectissimum cui non potest subesse falsum, ergo per illam non potest proponi ut necessario diligendum nisi solus Deus qui est summum bonum.

Quae doctrina desumitur ex D. Th. 1. 2. q. 10. ar. 2. ubi haec habet: * Si autem voluntati proponatur aliquod obiectum, quod non secundum quamlibet considerationem sit bonum, non ex necessitate fertur voluntas in illud, & quia defectus cuiuscumque boni habet rationem non boni, ideo solum illud bonum, quod est perfectum, & cui nihil deficit, est tale bonum quod voluntas non potest non velle, quod est beatitudo. * Sed visio beata non proponit. nec potest proponere obiecta creata ut summum bonum. sed ut amabilia indifferenter. ergo licet Visio beata dirigat voluntatem Xpti Domini ad actus virtutum eliciendos, non aufert libertatem eorum sed potius illam infert, & causat.

Confirmatur secundo Visio beata Xpti Domini etiam si dirigat eius voluntatem ad eliciendos actus cuiuslibet virtutis, repraesentat actus futuros, ut procedentes a voluntate, quatenus praeventa cognitione indifferenti, & ut reducta ad actum per decretum Dei volentis illam indifferentiam potentialem, & in actu primo reducere ad actum, ergo talis Visio videt actus ut libere procedentes a voluntate creata. consequentia patet, & antecedens est notum. quia etiam si dirigat proponit bonitatem obiecti creati sub indifferentia proponit enim bonitatem creatam ut est in se, & proinde ut non convincentem & adaequantem voluntatem nec eius appetitum.

Quae doctrina parificatur in Deo. Visio enim increata qua Deus est Beatus essentialiter, est regula voluntatis divinae ad se determinandum per decreta summe libera, & tamen non aufert libertatem divinam eo quia taliter proponit bonitatem extra Deum diligendam, quod illam proponit sub indifferentia unde taliter videt Deus suum decretum procedens ab eius voluntate, quod procedit a tali

voluntate est regulata per Visionem, quæ licet identice sit necessaria, tamen sub formalitate sub qua regulat ad eliciendum decreti liberi, proponit obiectum diruti ut liberæ. & indifferenter attingendum. ergo similiter. licet Visio beata Xpti Domini, sit necessaria. ut attingit videlicet obiectum primarium, nimirum Deum ut est ipse, quia tamen ut regulat, & dirigit voluntatem ipsius Xpti ad eliciendos actus virtutum. taliter proponit obiectum cuiuslibet virtutis quod illud proponit iuxta proprium meritum, nempe non ut necessario diligendum sed ut indifferenter attingibile. non potest destruere libertatem, & meritum in actibus talium virtutum, sed potius causare, & inferre in illis libertatem, & meritum.

Denique probatur conclusio. Quia si propter aliquam rationem cum Visione beata Xpti Domini regulante, & dirigente eius Voluntatem ad eliciendos actus virtutum, non posset componi libertas. & proinde nec meritum maxime quia cum indeffectibilitate Visionis non posset componi carentia actuum futurorum. quæ videtur exacta ad libertatem actus. Sed hæc ratio est nulla. ergo. probatur minor quia ad libertatem actus sufficit quod eius carentia possit componi cum omnibus constituentibus actum primum, ea ratione qua illum constituunt, Sed talis carentia potest componi cum visione, & cum omnibus constituentibus actum primum sub ea ratione sub qua constituunt. ergo vera est minor. Maior constat. In Deo enim, qui est perfectissime liber in volendo existentiam Mundi. v.g. licet Deus ipse non possit componere carentiam huius mundi cum cognitione divina sub formalitate sub qua terminatur ad decretum volens existentiam huius mundi, quia prout sic est essentialiter connexa cum decreto decernente existentia mundi, & cum mundi existentia, quia tamen, carentia Mundi potest componi cum eadem cognitione divina sub ratione sub qua dirigit eius voluntatem ad tale decretum eliciendum, nimirum secundum quod cognitio divina proponit obiectum, nimirum Mundum, ut indifferenter, & non necessario amabilem. ideo Deus est perfectissime liber.

Minor autem probatur Quia licet Xptus Dominus non possit componere carentiam actuum futurorum cum Visione beata sub formalitate sub qua repræsentat futura. quia sub ista ratione connectitur cum futuris, unde si auferrentur falsificaretur visio. quod est impossibile, tamen potest coniungere carentiam futurorum cum eadem visione sub formalitate sub qua proponit obiecta attingenda per suos actus liberos futuros sub qua ratione constituit actum primum. ergo vera est prædicta minor, antecedens. ex dictis manet probatum, quia sub illa ratione repræsentat obiecta attingenda per suos actus futuros, ut non necessario amabilia, sed solum amabilia indifferenter. & quoad sufficientiam.

Sed dices quod Deus ideo est liber in volendo existentiam huius mundi. quia absolute potest a suo decreto au-

ferre terminationem ad hunc mundum, ergo ut Xphus liber sit in elicientia suorum actuum futurorum requiritur quod possit a visione beata auferre terminationem ad suos actus futuros, sed hoc non potest Xphus alias falsificare posset visionem. ergo.

Sed contra, & distinguo seu explico primum antecedens, Deus potest auferre actus decreto terminationem ad existentiam huius mundi, potest potentia antecedenti, concedo, potentia consequenti nego. & distinguo eodem modo consequentiam, ergo ut Xphus sit liber debet posse auferre a visione terminationem ad futura, absolute, & potentia antecedenti concedo consequentiam, potentia consequenti, et ex suppositione existentiæ futurorum, nego consequentiam. & minorem subsumptam. vel distinguatur sub eisdem terminis, & nego ultimam consequentiam.

§ IV

Solvitur ratio dubitandi

Omissis varijs modis solvendi solvendi rationem dubitandi, qui vel falsam continent doctrinam. vel ex eo quia fundantur in principijs scientiæ mediæ, quæ nobis implicatoria videntur. vel quia admittunt diversos modos in visione ab ipsa separabiles. quod utrque & falsam, & impossibilem continet doctrinam. cum tales modi non dentur. & si darentur essent eodem modo ac ipsa visio incorruptibiles & inseparabiles a visione.

Respondeo concessa maiori negando minorem, & ad probationem distinguo primam partem dilematis, seu distinguo primam cathegoricam: carentia futurorum non potest componi cum visione beata, prout est necessaria, & sub formalitate sub qua non regulat voluntatem Xpti Dni ad elicientiam actuum suorum, concedo minorem. sub formalitate sub qua regulat, & dirigit eius voluntatem, non potest componi talis carentia futurorum ex supositione quod sint, concedo minorem, seu potestate consequenti concedo. absolute, & potestate antecendenti, & pro illo signo priori ad eorum existentiam nego minorem, & concessa secunda parte dilematis. seu secunda cathegorica, nego consequentiam. quæ solutio patet ex dictis.

Pro complemento huius disputationis poterat disputari, an impeccabilitas orta tum ex vi visionis auferat libertatem ad actus inæquales in Xpto Domino,? similiter an summa perfectio moralis, quæ ex vi unionis convenit Xpto. ratione cuius repugnat transgresio consiliorum, & non operari iuxta maius beneplacitum Dei, auferat libertatem ad actus inæquales? & proinde tam impeccabilitas quam ista summa perfectio moralis obstent ad meritum? sed de hoc iam actum est supra agentes de concordia libertatis cum impeccabilitate. ad tract. de impeccabilitate.

DISPVTATIO VIGESSIMA PRIMA

DE MERITO ACTVS CHARITATIS.

Articulus. I.

Vtrum Christus Dominus meruerit per actum Charitatis?

§. I.

Proponitur ratio dubitandi & referuntur Sententiae.

Ratio dubitandi, eaque vrgentissima est. Quia vt aliquis actus sit meritorius debet esse liber, vt communiter docent Theologi cum Angelico Magistro. 1. 2. q. 114. ar. 1. Sed [illegible] actus Charitatis Xpti Dni non fuit liber, ergo nec meritorius. minor probatur, quia actus Charitatis Xpti Domini est amor beatificus, seu actus amoris regulatus Visione beata, qui est simpliciter necessarius, & in illo in aliquorum sententia consistit saltim inadequate Beatitudo formalis, vel in nostra & Thomistarum sententia est proprietas Beatitudinis formalis. vnde est actus gaudens eadem necessitate, ac Visio beata. vt constat ex Angelico Magistro 1. 2. q. 4. ar. 4. ergo non fuit liber.

Prima sententia docet Xptum Dominum per nullum actum Charitatis meruisse. convincuntur enim Rationi huius sententiae argumento facto pro ratione dubitandi, vnde actus quo Xptus proximum diligebat asserit ista sententia non oriri a Charitate Theologica, sed ab alia virtute morali, nimirum a Benevolentia, seu a Beneficientia. hanc sententiam, alijs relatis & impugnatis, defendit P. Vazquez disp. 74. cap. 2.

Secunda sententia eodem argumento innixa ponit in Xpto Domino duos actus Charitatis, quorum vnus regulatur a Visione beata, & alius a Scientia Supernaturali infusa. primum docet non esse liberum, nec meritorium, secundo concedit, & libertatem, & meritum. Pro hac sententia refertur Capreolus in 1. Sent. dist. 1. q. 2. Caietanus. 3. p. q. 11. ar. 1. verum M. Godoi. Caietanum defendit ab hac impostura. licet docet inclinare in illam. 1. p. q. 82. ar. 2. eam tenet Mag. Soto lib. 3. de natura & Gratia. cap. 7. Ferrara. 3. contra g. cap. 62. Medina 3. p. q. 19. ar. 3. q. 2. Granadus de Incarnat. tract. 14. disp. 1. sect. 1. Suarez disp. 29. sect. 2. hanc sententiam docet esse probabilem Vincentius. de Gratia Xpti. q. 5. eam vt probabiliorem tenet Valentia. 3. p. q. 19. punct. 2. & alij frequentim ex Societate.

Tertia sententia etiam distinguit in Xpto Domino duos actus Charitatis, vtrumque regulatum Visione beata.,

vnum quo Deum in se, & eius intrinsecam bonitatem dilexit, & in ipsa, et Deo bona complacuit; alterum quo bona Deo extrinseca dilexit. nimirum gloriam, & honorem & omnia bona creata, quatenus sunt bona Dei, & aliquid Dei. & ad Deum ordinantur. Per primum asserit hęc sententia non meruisse Xptum Dominum, quia erat actus necessarius, & non liber; per secundum autem meruisse. quia fuit actus liber, & non necessarius. ita Magister Lorca in presenti. disp. 72. col. 2.

Quarta denique & vera sententia vnum solum actum Charitatis in Xpto cognoscit, & istum regulatum scientia beata, seu visione beatifica. & per ipsum meruisse Xptum Dominum affirmat, ad quod stabiliendum duplicem terminationem in eodem actu distinguit, quarum vna terminatur ad Deum in se, diligendo Bonitatem intrinsecam ipsius Dei, & omnia predicata intrinseca Dei, quia bona, & ratione huius infinitę, & increatę bonitatis; alia autem terminatio respicit bona Deo extrinseca. illa diligendo quia sunt aliquid Dei, & ad Deum ordinantur, unde ratio formalis sub qua diliguntur est Bonitas divina, licet obiectum quod sit quid creatum. unde istę duę terminationes comparantur ad invicem, vna et primaria, & specificativa, alia et secundaria & extensiva huius amoris. & deinde docet hęc sententia. quod terminatio primaria convenit actui Charitatis essentialiter. & est formalitas non libera. sed necessaria, & proinde per illam non meruit Xptus. idem vero actus sub secundaria terminatione, est liber, & nullo modo necessarius, & sub hac formalitate ille actus fuit meritorius, & talis terminatio secundaria accidentaliter. & libere convenit actui, non vero necessario, nec essentialiter.

Quod explicatur, & parificatur ab Authoribus huius sententię. in actu libero Dei, qui vnus cum sit cum actu necessario, sub vna formalitate est necessarius. & sub alia est libera volitio, sive constituatur sub formalitate libera, per aliquam terminationem intrinsecam, defectibilem sub conceptu terminationis, et vult Illust. Godoy, sive constituatur per intrinsecam perfectionem. deffectibilem, et vult Em. Card. sive constituatur per connotationem ad creaturas connot. ingrediente in obliquo, sive constituatur. iuxta diversos modos dicendi, per aliquid aliud, sit enim constitivum quodcumque sit, idem entitative actus sub vnoterminatione, utique primaria, est actus necessarius, & sub alia est liber. licet meritorius non possit esse. eo quia repugnat Deum habere superiorem apud quem mereatur.

Hanc sententiam sic explicatam tenent communiter Thomistę et videre est apud Ill. Godoy. in presenti disp. 48. per totam, Gonet disp. 21. ar. 2. §. 1. Bolibar in suis manuscriptis. & communiter alij. quę sententia erit nostra conclusio. sed et cum claritate procedamus. tribus conclusionibus stabilietur. unde sit

§. II.

Statuitur prima conclusio.

Sit prima Conclusio: Xptus Dominus meruit per aliquem actum Charitatis. Probatur ratione. Quia ut actus cuiusvis Virtutis sit meritorius requiritur necessario quod sit imperatus a Charitate, sed actus omnium virtutum quos libere elicuit Xptus Dominus, fuerunt meritorij praemij supernaturalis. ergo prout a Charitate imperati. Nunc sic, sed propter quod unumquodque tale, & illud magis, ergo dilectio, seu actus Charitatis imperans tales actus fuit meritorius. Maior supponitur ex l. 2. tract. de Merito in communi, & est expressa in Angelico Magistro. 1a 2ae q. 114. ar. 4. in corp. & ad 5. & in 3. dist. 18. q. 1. ar. 5. minor est de fide. & consequentia infertur.

Confirmatur, quia actus Charitatis liber in Xpto non potest non esse meritorius, sed Xptus Dominus libere exercuit actum Charitatis, quatenus respiciebat bonitatem divinam, ut est ratio diligendi creaturas, illas ad Deum ordinando, & quatenus Deo volebat gloriam, & honorem, ergo talis actus Charitatis fuit meritorius. Minor probatur, quia si propter quia si propter aliquam rationem talis actus non fuisset liber maxime quia uget[?] ab scientia beata, seu Visione beatifica, sed hoc non obstante, est liber. ergo vera est minor. probatur minor quia Visio beata prout ponit illud obiectum non cogit voluntatem ad eius amorem. ergo. probatur antecedens, quia Visio beata cum sit perfectissima cognitio solum proponit obiectum diligendum iuxta meritum bonitatis propriae, sed bonitas obiecti talis actus cum sit creata non exigit quod proponatur ut necessario diligenda. ergo Visio beata taliter proponit illud obiectum quod non cogit ad eius amorem.

Denique suadetur conclusio quia Xpto concedendum est meritum maioris perfectionis possibilis. sed meritum Charitatis est in specie maioris perfectionis. quam meritum aliarum virtutum. sicut Charitas excedit eas in specie, & perfectione morali. ergo. actus Charitatis in Xpto fuit meritorius.

§. III.

Obiectionibus respondetur.

Obiicies primo forma dignificans in Xpto Domino actus cuiusvis virtutis moralis est infinita, quandoquidem quilibet actus est valoris infiniti. ergo ad hoc ut actus virtutum moralium sint meritorij praemij supernaturalis in Xpto Domino non requiritur quod sint imperati a Charitate.

Respondetur quod imperari a Charitate est conditio simpliciter necessaria ut actus sit meritorius, unde quamvis ad hoc ut sint valoris infiniti non indigeant imperio Charitatis, illo indigent ut sint meritorij.

Et initatur argumentum, quia enim libertas est conditio simpliciter necessaria ad meritum quamvis actus necessarij Xpti Domini accipiant dignitatem infinitam tamen ista dignitas non facit quod sint meritorij. Secundo instatur in supernaturalitate, quia supernaturalitas est conditio simpliciter necessaria ad meritum, actus non supernaturales, sed mere naturales, etiam si habeant in Xpto dignitatem infinitam, non sunt meritorij. Tertio instatur in bonitate morali, quia ista est simpliciter necessaria ad meritum si in Xpto daretur actus non bonus, & indifferens in individuo, etiam si haberet talis actus dignitatem infinitam, non esset meritorius. ergo idem in casu argumenti, unde in forma concesso antecedenti negatur conseq.^a

Obijcies secundo: Habitus Charitatis ut regulatus per claram Dei visionem, est necessarius, ergo quilibet actus Charitatis regulatus per eamdem claram Dei visionem est necessarius. consequentia infertur, ab habitu enim necessario, non potest oriri actus liber, sed necessarius. antecedens autem probatur, quia habitus Charitatis regulatus per claram Dei visionem operatur necessario omni activitate, intensione, & virtute, qua potest. ergo est habitus necessarius, & proinde omnis eius actus erit necessarius, ergo etiam erit necessarius actus quo Xptus diligebat Deo gloriam, & honorem extrinsecum.

Respondeo distinguendo antecedens, est necessarius circa obiectum primarium concedo, circa secundarium nego. & ratio distinctionis est, quia cum obiectum primarium habeat bonitatem infinitam dignam omni amore possibili, & per claram Dei visionem proponatur evidenter voluntati, non potest illam non amare; econtra vero obiectum secundarium cum non habeat bonitatem infinitam, sed finitam, & limitatam, & visio repraesentet illam iuxta merita propria, illam proponit ut non necessario, sed ut libere diligendam.

Replicabis lumen gloriae necessario operatur, omni activitate, intensione, & virtute, qua potest tam circa obiectum primarium, quam circa obiectum secundarium. ergo, similiter habitus Charitatis. antecedens est certum, & conseq.^as probatur. ideo lumen gloriae necessario operatur quantum potest, quia versatur circa Deum ut est in se clare propositum, unde & attingit Deum, qui est obiectum primarium, & in Deo videt ex possibilibus, & ex creaturis quantum potest. sed similiter Charitatis habitus est circa Deum ut est in se. & in Xpto, ut clare propositum, ergo si lumen gloriae est habitus necessarius tam circa primarium, quam secundarium obiectum, eodem modo erit habitus Charitatis necessarius.

Respondetur concesso antecedente, negando consequentiam, & paritatem, ratio autem disparitatis est. quia lumen gloriae, est habitus potentiae necessariae, ut antecedit intellectus imperium voluntatis, unde lumen est virtus necessaria, & non libera. & ideo

applicatum cuilibet obiecto, sive primario, sive secundario operatur quantum potest; Charitas autem est virtus potentiæ liberæ, & proinde est virtus libera, & ideo solum potest fieri necessario ab obiecto auferente libertatem, quod obiectum est solus Deus clare visus, ratione suæ infinitæ bonitatis, quando autem versatur circa obiectum creatum, cum illud habeat limitatam bonitatem relinquit liberam virtutem, qua attingendum est, & proinde Charitas erga obiectum secundarium, etiam si sit propositum per visionem beatam, versatur libere.

Obiicies tertio, quia ex vi visionis beatificæ proponitur Deus necessario diligendus, omni intensione, & omni amore possibili, ergo si necessitatur intellectus per visionem beatam, ad proponendum voluntati obiectum, videlicet Deum, ita ut voluntas necessitetur ad diligendum Deo omnia bona intrinseca, pariter necessitatur ad volendum Deo bona extrinseca, & per consequens amor quo Xphus Deo volebat bona extrinseca, nimirum honorem & gloriam extrinsecum non est liber, sed necessarius, & proinde nullus amor regulatus visione beata, erit liber, nec meritorius. prima consequentia ~~[illegible]~~ ex antecedenti infertur. unde probatur antecedens. quia ex vi visionis beatæ proponitur diligendus ut est in se, sed ut est in se est dignus omni intensione amoris, & omni amore possibili ergo ex vi visionis beatæ proponitur Deus ut necessario diligendus omni intensione, & omni amore possibili

Confirmatur primo: Amor quo Xphus Deo vult gloriam & honorem extrinsecum est actus Charitatis, elicitus ex complacentia in ipso Deo, sed ex vi visionis necessitatur Xphus ad amandum Deum omni amore possibili, ergo necessitatur Xphus ad illum amorem quo diligebat Deo gloriam, & honorem extrinsecum, cum iste amor non solum sit possibilis, sed defacto detur.

Confirmatur secundo: Ex vi visionis beatæ necessitatur Xphus ad amandum Deum secundum omnia sua prædicata intrinseca, & formalia, ergo necessitatur ad amandum omne decretum liberum Dei, sed non potest subsistere decretum nisi subsistat suum obiectum, quod est omne creatum, quod utique factum est propter gloriam & honorem Dei, iuxta illud omnia propter se met ipsum operatus est Dominus. ergo amor quo Xphus Deo vult gloriam, & honorem extrinsecum est necessarius, & non liber. ~~[illegible]~~

Respondeo negando antecedens, licet enim per visionem proponatur Deus ut necessario diligendus, quo ad bona intrinseca, non vero sic proponitur diligendus quo ad bona extrinseca, cum sine istis Deus perfectissime existere possit. ad probationem autem, ~~[illegible]~~ concessa maiori explicatur minor, Deus ~~ut~~ est in se est dignus omni amore possibili, si consideratur secundum sua bona intrinseca, concedo minorem, ut sic enim solum est dignus amore necessario, qui est perfectior amore libero, quando necessitas oritur ex vi cognitionis perfectæ. si autem consideratur Deus secundum bona extrinseca, subdistinguo

ut sic est dignus amore necessario, nego minorem, est dignus amore libero, concedo minorem & instatur in ipso Deo qui solum se amat necessario secundum bona intrinseca, secundum vero bona extrinseca, non necessario se amat sed libere. unde neganda est ultima consequentia.

Ad primam Confirmationem:

concessa maiori, & explicata minori, ut supra modo dicebamus negatur consequentia.

Ad secundam Confirmationem:

distinguo antecedens claritatis gratia. Xptus necessitatur ad amandum Deum secundum omnia predicata intrinseca, & formalia, necessaria, concedo, ans, libera, subdistinguo. considerata quoad rectum concedo, quoad obliquum, nego ans. quoad obliquum enim cum sit quid defectibile solum potest amari libere, & non necessario. & appli cata eadem distinctione ad consequentiam & ad minorem subsumptam, neganda est consequentia.

Obiicies quarto. Amor quo Xptus Deo diligebat gloriam, & honorem extrinsecum non est idem actus realiter cum amore quo Deo amabat perfectiones intrinsecas ipsius Dei, ergo non potuit esse simul cum amore quo Xptus Deo diligebat bona intrinseca. probatur consequentia. quia duo actus solo numero distincti non possunt esse simul in eodem subiecto. sed illi actus si darentur, solo numero distingui possunt ergo non potuit esse in Xpto. maior supponitur, & probatur minor. quia illi duo actus haberent idem obiectum formale, cum a Charit.e procederent.

Respondeo assumptum huius argumenti esse manifeste falsum cum manifeste constet fuisse in Xpto amorem Dei, ut est in se, ut sepe in Evangelio affirmatur, ut constat. Ioan. c. 4. meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me, & cap. 19. sed ut cognoscat mundus quia ego diligo Patrem. & alibi pluries. & deinde etiam manifeste constat Xptum dilexisse homines, & in hoc amore gloriam, & honorem Dei querebat. iuxta illud, ego diligentes me diligo, & honorifico Patrem meum, & iuxta illud, sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. & fuit factus homo propter hunc amorem, unde hunt plene sacre pagine utriusque amoris.

Respondeo ergo ad argumentum dupliciter. primo omittendo antecedens, & negando consequentiam. ad probationem, omissis varijs solutionibus, de quibus postea redibit sermo, impugnando rationem secunde conclusionis, que solutiones a veritate abidubio aberrant, concedo maiorem, & nego minorem. illi enim actus etsi non distinguantur distinctione specifica formali, seu in esse diversificativo habitus. quia ab uno eodemque habitu Charitatis procedunt, & sub eadem ratione formali, tamen distinguuntur specie materiali, seu pure fisica, & entitativa, ad quod sufficit distinctio rationis formalis que etsi detur convenientia in ratione formali sub qua cum enim actus

respiciens obiectum, ut constituatur in specie, sit in ordine ad rationem obiectivam conflatam ex ratione formali quę, & ex ratione formali sub qua, quę libet distinctio in ratione formali quę, vel sub qua, causat distinctionem specificam, cum hac distinctione quod variata ratione formali sub qua, variatur actus in specie formali; variata autem ratione formali quę non variatur specie formalis, sed tantum materialiter & phisice. ut patet in obiecto visus, variata enim ratione formali quę, diversificantur materialiter actus seu visiones ut patet in visione albi: quę specie materialiter variatur a visione nigri, sed tamen utrumque colorem attingit visio sub eadem ratione formali sub qua, ceterum si color non attingitur sub ista ratione formali sub qua, non potest specificare visionem, sed illam potentiam sub cuius ratione formali sub qua attingatur. Pariter ergo in praesenti illi duo actus Charitatis specie naturali & phisica distinguendi, quia tam Deus quam bonum creatum amantur sub eadem ratione formali sub qua, divina, unde sunt eiusdem speciei formalis, verum cum ratio quę attacta per amorem non sit eadem illi duo actus specie naturali distinguuntur. quę distinctio sufficit ut possint esse simul in eadem voluntate.

Dices, quod hoc, quod est, posse se extendi ad plures actus specie diversos est proprium potentię. quę ob sui amplitudinem prę habitibus potest plures actus specie diversos elicere.

Sed contra, quia potentia ut sit universalior prę habitu, sufficit quod potentia ad plures species possit se extendere, non vero limitat ut habitus ad aliquas species actuum non se extendat. ut patet & instatur in intellectu, & voluntate, & in illorum habitibus. intellectus enim elicit actus omnium scientiarum, & intellectiones practicas, & speculativas seu quę ordinantur ad opus, & ad cognitionem seu contemplationem veritatis. habitus vero scientificos limitatur ad pauciores species, ut habitus v.g. Logicę. qui elicit actum difinitionis, & actum divisionis, & argumentationis, quę qui actus cum procedant sub eadem ratione formali sub qua, videlicet sub eadem abstractione a materia non causant in habitu diversitatem specificam, at vero, ipsi actus inter se specie materiali distinguuntur. quia ratio formalis quę eorum est diversa, & idem constat in omni alio habitu scientifico. & similiter in voluntate & in habitibus seu virtutibus tum theologicis tum moralibus.

Respondeo secundo negando maiorem, nam Xptus Dominus eodem indivisibili actu solum cum diversa terminatione potest diligere Deum ut est in se necessario, & creaturas libere ut patet & instatur in actu amoris increati.

Dices, quod amor increatus quia talis, & infinitus potest has diversas terminationes admittere, non vero actus amoris Xpti–

Domini, ob oppositam rationem quia videlicet est actus creatus, & finitus. Sed ista, respondeo negando causalem, licet enim ad tuendum illas terminationes in amore increato sit utilis ille recursus ad eius infinitatem, non tamen est necessarius, cum habere illas terminationes possit convenire actui creato, qui est formalis participatio actus increati, & instatur in visione beatifica, quae licet quid creatum sit illas terminationes ad obiectum videlicet primarium, unam, & aliam ad secundarium habere potest. ergo similiter in amore contingere potest. Sed de hoc postea redibit sermo.

Obiecies denique quinto: Xptus Dominus ut supra docuimus disp. 17. erat necessitatus ad maius beneplacitum Dei, sed ex vi visionis beatificae cognoscebat esse iuxta maius beneplacitum Dei amare Deo gloriam, & honorem extrinsecum, prae non amare gloriam, & honorem extrinsecum, ergo ex vi visionis necessario, & non libere amaret gloriam, & honorem extrinsecum, & consequenter amor iste meritorius non erit. minor in qua stare poterat difficultas est nota, cum visio beata dictet esse haec bona amanda in ordine ad Deum & oppositum non dictat, & visio sit infusa, & non libera, necessari proponit quod amare hoc bonum est iuxta maius beneplacitum Dei.

Respondeo admissa maiori, distinguo minorem, cognoscebat esse iuxta maius beneplacitum Dei amare libere gloriam & honorem extrinsecum concedo, amare necess.° nego min. & consequam.

Replicabis ut iste amor sit liber requiritur possibilitas non amoris, sed non amor est impossibilis Xpto stante cognitione per visionem beatificam quod amor est iuxta maius beneplacitum Dei. ergo.

Respondeo distinguendo maiorem, requiritur possibilitas non amoris, attento obiecto ex meritis propriis, & secundum se, & praecisive, ab omni circumstantia, & in sensu diviso maioris beneplaciti Dei, concedo, in sensu composito visionis circa maius beneplacitum terminatum ad amorem, & in sensu composito decreti liberi Dei volentis amorem prae eius carentia, nego maiorem, & distinguatur minor. iuxta hanc doctrinam, & negetur consequentia. de quo plura ubi supra disput. 17.

§. IV.

Statuitur secunda conclusio.

Sit secunda Conclusio: **Non datur in Xpto Domino duplex actus Charitatis, alter regulatus Visione beata, & alter regulatus scientia infusa.** Est contra authores secundae sententiae, verum est communis Thomistarum.

Ratione probatur conclusio: quia ut modo supponimus cum Aristotele, & cum Angelico Praeceptore, quos sequitur melior pars Phylosophorum duo accidentia solo numero distincta non possunt esse simul in eodem subiecto, sed amor Dei super omnia regulatus per scientiam beatam, seu per visionem beatificam non differt in specie, sed solo numero ab amore Dei super omnia regulato per scientiam infusam, ergo non fuerunt in Xpto Domino duo amores actus erga Deum unus regulatus a visione beata, & alter a scientia infusa. minor etiam cum maiore est vera, quia unitas specifica amoris, sicut & unitas specifica cuiuscumque actus virtutis cuiuslibet desumitur ab obiecto, sed obiectum actus amoris Charitatis est idem, sive reguletur a visione beata sive a scientia infusa, ergo illi actus amoris specie non differunt, ergo si darentur, solo numero distinguentur.

Confirmatur, actus Charitatis viae, & actus Charitatis patriae, sunt eiusdem infimae & atthomae speciei, alias Charitas viae distinguetur ab habitu Charitatis patriae, sed actus Charitatis viae regulatur a Fide, & actus Charitatis patriae regulatur a Lumine gloriae, qui habitus plus differunt inter se quam scientia beata, & scientia infusa, ergo similiter actus Charitatis regulatus a scientia beata non differt in specie ab actu Charitatis regulato scientia infusa.

§. V.

Solvuntur replicae.

Contra hanc rationem, quae utique est fundamentum nostrae conclusionis, diversimode insurgunt Autores contrariae sententiae. Primo aliqui distinguunt maiorem, & illam concedunt de accidentibus absolutis; negant autem illam de accidentibus relativis, dicunt enim quod plura accidentia relativa solo numero diversa esse possunt in eodem subiecto, eo quia ad pluralitatem terminorum materialium, possunt numerice multiplicari, etiam si subiectum sit unum, & idem, & deinde asserit iste modus dicendi quod amor est accidens respectivum respiciens nempe obiectum.

Sed contra primo, quia amor non est accidens respectivum, nisi trancendentaliter, & positive absolutus pertinens ad praedicamentum actionis, vel qualitatis, iuxta diversa methaphisicorum placita, & nullo modo pertinet ad praedicamentum relationis.

Secundo, quia dato, & non concesso quod sit accidens respectivum, falso asserit quod accidentia respectiva solo numero distincta possunt esse in eodem subiecto. assumptum praeterquam quod debebat supponi ex methaphisica, probatur, quia ratio ob quam duo accidentia absoluta solo numero distincta non possunt esse in eodem subiecto est quia distinctio

pure numerica, cum non formalis, sed materialis sit, non a forma, sed a materia sumenda est, & alias subiectum accidentium est quod vices materiæ obtinet, sed hæc ratio æque probat de accidentibus respectivis, ac de absolutis, ergo inconsequenter affirmatur de accidentibus respectivis coexistentia plurium solo numero distinctorum, & negatur de absolutis; vel econtra. cum terminus inspectus non ut materiale subiectum sed ut formale specificativum comporetur ad relationem. relatio enim speciem sumit a termino, individuationem vero a subiecto in quo est. Quo pacto iuxta D. Thom. in hac 3. p. q. 35. ar. 5. & communem thomistarum sententiam Pater unica, & non pluribus relationibus refertur ad plures Filios.

Tertio quia in nostro casu obiectum utriusque amoris est idem, nempe bonitas divina. ergo etia admissa falsa distinctione supra tradita, non adest locus ad plurificandos illos duos actus Charitatis. ergo dato quod duo accidentia respectiva solo numero diversa, ob pluralitatem terminorum, possint esse in eodem subiecto, non sequitur quod possint esse in Xpto duo actus Charitatis unus regulatus scientia beata, & alter scientia infusa. Insurgunt secundo alij contra nostram rationem etiam distinguendo maiorem, & illam concedunt de accidentibus omnino similibus; negant autem illam de accidentibus dissimilibus, saltim dissimilitudine in aliqua conditione materiali.

Sed contra primo, quia illa dissimilitudo vel est tantum numerica, vel est specifica, si dicatur hoc secundum in contrarium obstat quod supra dicebamus probando minorem nostræ rationis. si dicatur primum, illa dissimilitudo non iuvat, ut simul esse possint, etenim excluduntur ab eodem subiecto eadem ratione qua excluduntur duo accidentia similia. ergo hæc solutio nulla est.

Deinde secundo contra eamdem distinctionem facit, quia omnia accidentia solo numero distincta, habent aliquam, vel aliquas rationes dissimiles, ergo si semel conceditur quod aliqua accidentia solo numero distincta non possunt esse in eodem subiecto, inconsequenter negatur de omnibus. cum ratio æque probet pro omnibus. & ut in solutione conceditur dissimilia non possunt esse in eodem subiecto, si solo numero differunt, antecedens autem videtur manifestum ex diffinitione individui, quæ talis est ex Porphirio: cuius collectio proprietatum in uno reperta, in alio reperiri nequit: quæ diffinitio convenit non solum individuo substantiæ, sed & accidentis.

Insurgunt etiam alij tertio contra nostram rationem, distinguendo etiam maiorem, & illam concedunt de accidentibus solo numero distinctis

phisice, & moraliter, seu in linea naturę & moris, negat autem illam de accidenti-bus solo numero distinctis moraliter, si alias phisice distinguuntur plus quam numero videlicet specifice. & deinde hęc Solutio contendit quod amor regulatus scien-tia beata distinguatur numero, in linea moris ab amore regulato [illegible] scientia infusa, & ulterius quod in linea phisica distinguantur specifice isti amores, eo quia unus amor est necessarius; alter vero liber. [illegible]

Sed contra hanc Solutionem obstarit duo. primum, quod prędicti amores non differunt specie phisica, ut constat ex ratione qua probata manet nostra principalis minor, species enim actuum etiam in linea phisica sumitur ab obiecto. unde quod actus amoris sit liber vel necessarius est accidens ipsi conveniens ex modo quo proponitur obiectum attingendum. Secundum quod uter que ille amor non est in linea moris, amor enim necessarius, qua parte necessarius est non pertinet ad lineam moris, cum laude vel vituperio non sit dignus, sicut nec premio vel pœna. ergo prędicta solutio falso nititur fundamento.

Denique alij insur-gunt contra nostram rationem, concessa maiori negando minorem, eo quia amor non a bonitate obiecti, sed ab apprehensione specificatur.

Sed hęc Solutio intolerabilem continet doctrinam, & contra bonam methaphisicam, & contra bonam Theologiam. & incipiendo ab hoc, si esset vera illa doctrina, sequeretur quod Charitas vię esset diversę speciei a Charitate patrię, contra illud Apostoli 1. ad Corint. c. 15. Charitas numquam excidit, ex qua authoritate probat Angelicus Mag. 1. 2. q. 67. ar. 6. Charitatem vię manere in patria, & proinde esse eiusdem speciei. & in corp. prębet rationem Sanctus Doctor per hęc verba: * Quoniam imperfectio alicuius rei non est de ratione speciei ipsius nihil prohibet idem numero quod prius fuit imperfectum, postea perfectum esse, sicut homo per augmentum perficitur, & albedo per intensionem. Charitas autem est amor, de cuius ratione non est aliqua imperfectio, potest enim esse, & habiti, & non habiti, & visi, & non visi, unde Charitas non evacuatur per glorię perfectionem sed eadem numero manet. Sequella autem probatur, quia Charitas vię, & patrię regulantur per diversas apprehensiones, charitas vię regulatur a Fide, & Charitas Patrię a Lumine glorię.

Est etiam contra bonam methaphisicam, quia ut docet D. Th. loco citato ad 1. Charitas non habet pro obiecto ipsam cognitionem, sic enim non esset eadem in via, & in patria, sed habet pro obiecto ipsam rem cognitam quę est eadem, scilicet ipsum Deum. quod & docet q. 25 de verit. ar. 1. ad 6. ubi docet

apprehensionum diversitatem per accidens se habere ad variandos appetitus. Et ratio a priori est: quia ut est principium omnino certum in metaphysica quod sicut habitus quilibet specificatur ab actu, ita actus specificatur ab obiecto, quod est verum, in omni habitu, tum ex pertinentibus ad intellectum, tum ex pertinentibus ad voluntatem.

Dices. quod apprehensio ut se tenet ex parte obiecti repraesentando videlicet bonitatem diversimode, est sufficiens ad diversificandos actus, nempe amores. ut patet et instatur in Veritate divina quae est obiectum intellectus, quae diversimode attacta specificat visionem beatam, actum scientiae infusae, et actum fidei.

Sed contra, quia in primis si haec solutio contineret veram doctrinam, et proinde illi amores distinguerentur pluriquam numero, nimirum specifice, sequeretur, quod deberet assignari duplex habitus Charitatis, quorum unus eliceret amorem regulatum scientia beata, et alter amorem regulatum scientia infusa. unde virtutes theologicae essent quatuor. vel habitus Charitatis viae periret, et non remaneret in patria, contra doctrinam iam insinuatam ex Apostolo.

Secundo, quia ideo divina veritas specificat illos diversos actus, et proinde et diversos habitus, quia etsi ratio quae attacta sit eadem entitative, ratio vero formalis sub qua cuilibet habitui et illorum actuum est diversa. a fide nempe sub revelatione obscura, a scientia infusa sub effectibus creatis, et a visione beata, et lumine gloriae, ut est in se clare et intuitive manifesta. At vero divina bonitas non subiicitur voluntati et actibus amoris, qui sunt Charitatis, et proinde et habitui Charitatis, sub diversa sed sub eadem ratione formali nempe sub ratione bonitatis increatae ut est in se, quae est ratio ob quam amatur, tum in via, tum in patria.

§ VI

Alia argumenta solvuntur

Obiicies primo: Amor Dei regulatus scientia beata, distinguitur specie ab amore Dei regulato scientia infusa: ergo possunt esse simul in eodem subiecto; nempe in voluntate Christi Domini. antecedens probatur. unus amor ab alio distinguitur essentialiter; ergo distinguuntur in specie. antecedens probatur. quilibet amor ex praedictis habet aliquod praedicatum essentiale, quod non habet alteruter. ergo distinguuntur essentialiter. antecedens probatur habitudo ad scientiam beatam ut proponentem obiectum, convenit amori regulato visione beata. et e contra habitudo ad scientiam infusam convenit amori regulato scientia infusa, et aliunde habitudo quae convenit uni amori repugnat alteri. sed quaelibet habitudo convenit essentialiter unicuique dilectioni, et cui convenit, alteri repugnat. ergo cuilibet dilectioni convenit aliquod praedicatum essentiale quod alteri repugnat. Confirmatur. dabilis est amor Dei exigens essentialiter regu-

lari scientia infusa, & amor exigens essentialiter regulari scientia beata, sed admissa possibilitate utriusque amoris, non est cur de facto istę dilectiones dentur in Xpto, ergo est quia una dilectio essentiliter, & in specie distinguatur ab alia.

Confirmatur secundo. Si propter aliquam rationem istę dilectiones non distinguerentur essentialiter, & in specie, maxime quia apprehensio obiecti, & illius propositio non esset ratio formalis sub qua voluntatis, sed tantum conditio, sed hoc, vel est falsum, cum in plurium multiplici cons sententia apprehensio sit ratio formalis sub qua obiecti voluntatis, vel dato quod sit tantum conditio hoc non obstante sufficit ad distinguendas illas dilectiones in specie essentiali; ergo illę dilectiones essentialiter distinguentur. probatur minor. quia obscuritas non est ratio formalis quę, vel sub qua obiecti fidei, sed tantum conditio, sed hoc non obstante quia essentialiter inspicitur a fide, fides distinguitur in specie alumine glorię, unde in patria fides evacuatur & loco illius succedit lumen glorię. ergo similiter, licet apprehensio sit tantum conditio, poterit esse essentialiter inspecta & pro inde causare distinctionem specificam inter dilectiones.

Respondeo negando primum, secundum, & tertium antecedens, aliunde non solum dilectiones distinguerentur in specie, sed & esset necessarium ponere diversos in specie habitus Charitatis, & pro inde Charitas vię non maneret in patria, contra illud quod ex Apostolo docet D. Th. loco citato ex 1.2.q.67.ar.6. sequella patet cum habitus specificentur ab actibus. & ad probationem tertij antecedentis respondeo negando primam partem maioris, & distinguendo secundam habitudo quę uni dilectioni convenit, alteri pugnat, ex meritis obiecti, nego maiorem; ex conditione subiecti transeat. quę distinctio claritatis gratia etiam potest adaptari primę partis maioris, & distinguatur minor eisdem terminis & negetur consequentia.

Explicatur solutio. dicimus enim. quod bonitas divina, ex meritis propijs non exigit quod proponatur, ut ametur, per scientiam beatam, vel infusam, vel per fidem, sed permissive se habet. cum sit amabilis ex se, eo quia bona est infinite unde si aliquando proponitur per fidem, est quia subiectum nempe amans, nec scientiam infusam, nec visionem beatam habet, sed solum ipsam fidem. e contra autem in patria habet visionem beatam, & locum fides non habet. unde per ipsam visionem proponitur ut amanda ipsa bonitas divina. Si autem per impossibile quis haberet scientiam supernaturalem infusam, separatim a scientia beata, etiam per ipsam scientiam infusam sufficienter proponeretur ut diligibilis ipsa bonitas divina, & in quolibet casu amor esset eiusdem speciei, cum obiectum proponeretur sub eadem ratione formali sub qua,

dixi per impossibile, quia scientia supernaturalis infusa est proprietas scientiæ beatæ, unde connaturaliter semper illam supponit, & proinde in conspectu scientiæ beatæ non potest scientia infusa regulare voluntatem ad eodem dilectionis Dei eliciendum.

Ad Confirmationem negatur maior. ratio autem repugnantiæ est, quia essentia amoris sumitur a bonitate obiecti, unde quoties obiectum est idem, & proinde est eadem bonitas, per accidens est quod proponatur per hanc, vel per illam cognitionem, & apprehensionem, ut docet D. Th. q. 25 de verit. ar. 1. ad 6.

Ad secundam confirmationem respondeo concessa maiori, negando minorem, nec possumus admittere sententiam asserentem apprehensionem esse rationem formalem sub qua, obiecti voluntatis, cum est contra D. Th. ubi supra, & contra rationem, ut ex physica constat. & ad paritatem ibi inclusam respondeo non esse contra rationem conditionis essentialiter exigi, quod contingit quando obiectum illam exigit, ut accidit in obiecto fidei, quod per se exigit obscuritatem, cæterum in nostro casu non est ita, quia bonitas se ipsa movet voluntatem, sive sit cognita per fidem, sive per beatificam visionem, unde per accidens est ab bonitatem, quæ est obiectum quod, esse cognitam, seu apprehensam per fidem, vel per scientiam traditam.

Obiicies secundo Amor competens Xpto ut viatori, qui utique exigitur, ut possit habere rationem meriti debet regulari cognitione Xpto competente ut viatori, sed visio beata non est cognitio competens Xpto ut viatori, ergo amor Xpto conveniens ut viatori non potest regulari scientia beata, ergo per scientiam infusam, cum supponatur Xptum non habuisse fidem.

Respondeo concessa maiori, distinguendo minorem visio beata non competit Xpto ut viatori, entitative sumpta concedo minorem, regulative subdistinguo, ut proponit bonitatem divinam secundum quod est ratio diligendi se ipsam concedo minorem, secundum quod est ratio diligendi creaturas in ordine ad Deum, seu in ipsius gloriam, & honorem extrinsecum Dei nego minorem. sub hac enim formalitate visio beata est cognitio conveniens Xpto ut viatori. imo ipsa scientia infusa, non est cognitio propria Xpti ut viatoris, cum sit proprietas consecuta ad visionem beatam, unde si visio beata sub nulla ratione posset convenire Xpto ut viatori, similiter non posset ipsi convenire scientia infusa, unde inutilis esset ad regulandum amorem proprium viatoris, qui posset induere rationem meriti.

§. VII

Statuitur tertia conclusio.

Sit tertia conclusio: Xptus Dominus meruit per amorem beatificum, seu per amorem regulatum scientia beata, ut terminatum ad Deum, & bonitatem increatam, non prout

est ratio diligendi se ipsam, seu bona intrinseca Dei, sed prout est ratio diligendi creaturas & in ipsis gloriam, & honorem extrinsecum Dei. hanc conclusionem defendit Capreolus ut probabilem. in 3. dist. 18. q. unic. ar. 3 & ut probabiliorem in via D. Th. tenent nostram conclusionem Vincentius. de Gratia Xpti. q. 5. Alvarez disp. 95. Nazarius q. 18 ar. 4. controvers. unica. conclus. 4. & 3. p. q. 19. controv. unic. 2 p. controversiae. conclus. 2. Araujo 3 p. q. 19. ar. 4. dub. 3. conclusione 2. Godoi 3. p. q. 19. disp. 47. §. 6. Gonet. in praesenti, et fere est communis Thomist. & ex PP. Societatis eam tenent. Lugo disp. 27. sect. 1. Valentia 3 p. q. 19. punct. 2. & alij

Ratione probatur conclusio, quia unus & idem actus Charitatis potest habere illam duplicem terminationem. sed ex his terminationibus esto prima sit necessaria, & non libera, & proinde rationem meriti inducere non possit, tamen altera est simpliciter libera, ergo & meritoria. maior constat tum paritate visionis beatae quae secundum unam formalitatem terminatur ad praedicata divina in se & secundum aliam ad praedicata eadem & divina ut in ipsis continentur creaturae, & prout eadem veritas increata est ratio videndi creaturas. ergo similiter in actu amoris. tum ratione. cum enim bonitas divina sit ratio quare amantur creaturae, & quare bonitas creatur amatur & quare in bonitate creata amatur gloria Dei, & honor Dei extrinsecus, non repugnat, imo sic debet esse quod idem actus amoris terminetur ad bonitatem divinam ut est ratio se ipsam diligendi, & ut terminetur ad ipsam ut est ratio diligendi creaturas, & in ipsis amatur gloria Dei, & eius honor extrinsecus.

Minor autem probatur, quia bonitas divina evidenter cognita, & sine errore, necessitat ad sui amorem, & relinquit liberam voluntatem, ut secundum quod est ratio diligendi creaturas, & in creaturis amatur gloria extrinseca Dei eius & honor libere amatur, ut patet in ipso amore increato, qui secundum hanc terminationem constituit liberum decretum Dei. sed actus Charitatis creatus est participatio formalis amoris increati, ergo licet secundum unam terminationem talis actus Charitatis non sit liber sed necessarius, secundum aliam est perfectissime liber.

Rursus si propter aliquam rationem talis duplex terminatio non posset convenire eidem actui Charitatis, maxime quia necessitas, & libertas non possent eidem actui convenire, sed hoc est falsum; ergo. probatur minor. quia necessitas & libertas non possint convenire eidem actui secundum eandem formalitatem, tamen possunt convenire eidem actui secundum diversam formalitatem, & secundum quod respicit diversa obiecta, vel unum secundum diversam rationem, ut contingit in nostro casu.

Confirmatur. non minus, imo magis distinguntur in cognitione, seu notitia ratio intuitivæ, & abstractivæ notitiæ, & ratio practici, & speculativi respectu habitus intellectualis quam necessitas, & libertas respectu amoris, cum illæ rationes distinguantur essentialiter & necessitas & libertas quæ solum accidentaliter distinguuntur, & tamen potest una, & eadem notitia esse intuitiva, & abstractiva, ut patet in visione beata, quæ est intuitiva Dei, & abstractiva possibilium, & similiter idem habitus intellectualis, si est ordinis superioris, est simul practicus, & speculativus, ut patet in habitu Theologiæ, ergo poterit idem actus voluntatis, induere rationem necessarij, & liberi, respectu diversorum obiectorum, vel respectu eiusdem sub diversa formalitate inspectum.

Denique suadetur conclusio, quia ut ex dictis constat, aliquis actus Charitatis in Xpto debet induere rationem meriti, sed talem rationem meriti non induere alius actus Charitatis in Xpto, nisi ille qui regulatus est per scientiam beatam, cum ut ex dictis constat, alius non sit, ergo actus Charitatis in Xpto regulatus per scientiam beatam, licet secundum primariam terminationem sit necessarius, secundum aliam, videlicet secundariam est liber, & proinde meritorius.

Argumenta contra istam conclusionem ex dictis manent, vel soluta vel præoccupata, unde idem restat solvere rationem dubitandi

§. VIII

Solvitur ratio dubitandi

Ad rationem ergo dubitandi in principio positam, respondetur concessa maiori distinguendo minorem, sed actus Charitatis Xpti Domini non fuit liber, sub formalitate sub qua terminatur ad bonitatem divinam ut est ratio diligendi se ipsam & omnia prædicata intrinseca Dei concedo minorem, sub formalitate sub qua terminatur ad ipsam bonitatem divinam ut est ratio diligendi creaturas, & in creaturis gloriam, & honorem extrinsecum Dei, nego minorem, et consequentiam vel distinguatur consequens sub eisdem terminis. quæ solutio patet ex dictis.

DISPUTATIO VIGESSIMA SECUNDA

DE SATISFACTIONE CHRISTI

Articulus I

Utrum Satisfactio Xpti Domini sit simpliciter infinita in ratione valoris?

§ I

Prænotantur nonnulla

Supponendum est primo, quod valor in satisfactione Xpti, & potest considerari prout oritur a persona, & potest considerari penes obiectum, hoc secundo modo est finitus, & limitatus, quia obiectum se habet mere ut specificativum extrinsecum, unde etsi in se esset infinitum, non potest præstare nisi bonitatem finitam, & proinde valorem finitum, præterquam quod multæ operationes satisfactoriæ respiciunt obiectum finitum, & limitatum, ut patet in obiectis actuum virtutum moralium quæ non respiciunt Deum immediate, sed ab obiecto creato specificantur. Quæstio ergo præsens procedit solum circa valorem, qui sumitur in satisfactione a persona. quod unico verbo potest explicari asserendo dubium præsens procedere de quantitate valoris personalis, non de valore obiectivo, quia supponimus valorem obiectivum esse finitum, & limitatum

Unde & supponimus secundo quod in satisfact.^e Xpti attento valore obiectivo una operatio est, & potest esse præstantior alia, sicut & una est in bonitate una aliam excedens, ut patet in actu Charitatis Xpti Domini, qui præstantior in bonitate, & valore obiectivo est præ actu temperantiæ v. g. vel alterius virtutis moralis.

Tertio supponendum quod sicut ex dictis patet ut aliqua operatio sit meritoria, requiritur quod sit libera, & bona bonitate morali, sic similiter ut actus sit satisfactorius, requiritur quod sit liber, & bonus. in naturalibus nec meremur, nec demeremur, nec in naturalibus fit satisfactio pro offensa. unde respiratio, nutritio, augmentatio, & similes actus, esto sint æstimabilitatis infinitæ, eo quia actiones sunt hominis Dei, tamen non sunt operationes meritoriæ, nec satisfactoriæ, defectu libertatis.

Denique supponenda est vulgaris distinctio de infinito simpliciter tali, & de infinito tali secundum quid, quæ distinctio ex Logica, & Methaphysica constat. supponimus ergo ad minus satisfactionem Xpti Dni esse secundum quid infinitam, quandoquidem est a persona infinita, & sufficit pro infinitis peccatis. difficultas ergo est an sit infinita simpliciter. ut constat ex titulo dubij; idest an sit omnibus modis infinita, omnibusque modis, qui attendi possunt præter personam elicientem satisfactionem, non præter valorem obiectivum ut iam notavimus.

§. II.

Referuntur sententiæ.

Circa præsens dubium duæ versantur sententiæ. Prima est negativa, licet aliunde affirmet ista sententia quod operationes Xpti Domini non possunt adæquari in valore, a satisfactione elicita, vel elicienda a pura creatura. ita Scotus [illegible] in 3. dist. 19. q. 1. §. [illegible] ad primum principale. & in 4. dist. 15. q. 1. §. de secundo dicitur. quem sequuntur communiter Recentiores Scotistæ, ut videre est apud. Rada. 3. p. cont. 3. eam tenet Gabriel in 3. dist. 19. q. unic. ar. 1.

Secunda sententia est affirmativa. hanc docet. Ang. Mag. 3. p. q. 1. ar. 2. ad. 2. & q. 46. ar. 6. ad. 6. & alibi quem sequuntur omnes Thomistæ. & est hæc sententia communis etiam inter Autho. Societat. eam tenet Suárez. 3. p. disp. 4. sect. 4. Vazquez. disp. 6.

§. III.

Statuitur [illegible] conclusio

Sit nostra conclusio. Satisfactio Xpti. Domini attento valore personali, fuit simpliciter infinita. seu moralis æstimationis infinitæ.

Probatur primo ex sacra pagina. quia Ap. ad Rom. 5. ait: * Ubi abundavit delictum ibi superabundavit, & gratia. * & in Psal. 129 dicitur: * Copiosa apud Deum redemptio. * ex quibus testimonijs colligitur quod facta comparatione inter defformitatem peccati, & satisfactionem Xpti, superexcedit satisfactio Christi ad gravitatem offensæ in peccato, sed ut ex dictis constat: Peccatum est simpliciter infinitum in ratione offensæ, ergo est quia satisfactio Christi Domini attendo valore, utique personali, est simpliciter infinita, & infinitæ æstimationis moralis.

Secundo probatur authoritate desumpta ex Clemente VI. in Extravaganti: Unigenitus, de Pœnitentijs, & remissionibus, ubi Pontifex docet & merita Christi esse infinita, & Ecclesiæ Thesaurum ex meritis Christi esse infinitum, & unam guttam sanguinis Christi, propter unionem humanitatis ad Verbum sufficere ad redemptionem totius generis humani. Verba Pontificis. loco citato sunt quæ sequuntur

* Quia Xphus, Deus erat, potuit genus humanum redimere, & pro eo satisfacere, & mereri, licet una gutta sanguinis Xpti pro redemptione omnium hominum sufficeret, maximam tamen copiam, & profluvium sanguinis, Xphus fudit, ut infinitum Thesaurum suę Ecclesię militanti, reliquerit, de cuius consumptione, aut diminutione non est aliqualiter formidandum propter infinita merita Xpti.* In quibus verbis notanda est ratio quam assignat Pontifex ad stabiliendum infinitum valorem, in qualibet gutta sanguinis Xpti, quę ratio assignatur ab illa particula, quia, videlicet Xphus erat Deus, quod est idem ac affirmare valorem personalem quia nimirum est coniunctio humanitatis ad Verbum, quę ratio etiam assignatur ab eodem Pontifice ad stabiliendam infinitatem in thesauro Ecclesię ex meritis Xpti. Vnde manet praeoccupata Solutio Scoti, & discipulorum eius asserentium infinitatem in meritis Xpti provenire ex acceptatione divina volente sic illam ut infinitam acceptare. Tum quia Pontifex recurrit ad stabiliendum valorem meritorum Xpti ad unionem humanitatis ad Verbum, quę est quid intrinsecum. Tum quia alias gutta sanguinis puri hominis posset habere hunc valorem ex acceptatione divina. quippe nihil poset prohibere Deum acceptare merita puri hominis ad infinita peccata delenda.

Accedit etiam ad hanc nostram conclusionem suadendam communis locutio Sanctorum Patrum, tribuentium meritis Xpti hunc infinitum valorem. Audiatur S. Amb. in prefatione ad Psalm. 35. ubi ait Sanctus Doctor: * Optimum aurum sanguis Xpti, dives ad pretium, profluens ad lavandum * & S. Basilius, ad illud Psalmi 48. Frater non redimit redimit homo: sic loquitur: * Opera Xpti habuerunt valorem ad satisfaciendum pro omnibus *

§. IV.

Ex D. Th. probatur conclusio.

De mente Angelici Preceptoris non erat in hac parte dubitandum, verum quia non desunt Authores, qui pro contraria sententia, solum concedente meritis Xpti infinitate secundum quid, asseran esse D. Thomam. ideo debemus eius mentem indagare. Solum ergo in favorem nrę conclusionis adducam aliqua testimonia ex hac 3. p. in quibus absolute & sine addito diminuente affirmat satisfactionem Xpti Domini esse infinitam.

Sit primum ex hac 3. p. q. 1. ar. 2. ad. 2. ubi hęc habet: * Vnde oportet ad condignam satisfactionem, ut actus satisfacientis habeat efficaciam infinitam, ut pote Dei, & Hominis, existens. * & in eadem 3. p. q. 48. ar. 2. ad. 3. ait. * Dicendum quod dignitas carnis Xpti non est aestimanda solum secundum carnis naturam, sed secundum personam sumentem, in quantum, scilicet, erat caro Dei, ex quo habet dignitatem infinitam. * quid clarius pro nostra conclusione?

ergo de mente Angelici Magistri non debet in hac parte dubitari. Similia habet in 2. dist. 9. q. 1. ar. 8. ad 2. & in 4. dist. 20. q. unica. ar. 2. quæstiuncula 3. ad 1.

Moventur Authores contrarij ad affirmandum D. Th. esse pro sua sententia, contra nostram conclusionem, ex eo quia D. Th. pluries loquendo de meritis Xpti asserit habere quamdam infinitatem, ex quo modo asserendi, cum illa particula sit diminutiva, videtur constare D. Thomam non concedere in meritis Xpti infinitatem simpliciter, sed solum secundum quid. Assumptum probant ex D. Th. in 4. dist. 14. q. 2. ar. 1. quæstiunc. 1. ad 4. ubi ait: * Habet etiam efficaciam ex virtute passionis Xpti, quæ infiniti valoris quodammodo est, in quantum fuit passio Dei, & hominis. *

Ulterius in 4. dist. 15. q. 1. ar. 2. habet similia verba, cum particula etiam diminuente. Deinde. q. 27. de Verit. ar. 3. ad 4. ait: * Unde meritum Xpti non fuit infinitum secundum intensionem actus, finite enim diligebat, & cognoscebat, sed habuit quamdam infinitatem ex circumstantia personæ, quæ erat dignitatis infinitæ, quanto enim maior est qui se humiliat, tanto eius humilitas maior est. *

Sed quis non videat hæc, & similia testimonia non diminuere aliquid de infinitudine meritorum Xpti, attento valore personali? ex prædictis enim testimonijs solum convincitur, quod satisfactio Xpti Dni, eiusque meritum non esse infinitum omnibus modis, quippe & est finitum in esse entis, & est finitum attento valore, qui desumitur ab obiecto. cum quo compatitur quod attento valore personali sit simpliciter infinita satisfactio Xpti Dni. ut asserimus in conclusione, pro ut ly simpliciter idem est ac esse infinitum contra positive ad secundum quid, licet ly simpliciter non sit idem ac omnibus modis. ut suo loco dicebamus de peccato mortali. Præter quam quod locis supra citatis asserit Angelicus Magister satisfactionem Xpti esse absolute infinitam, & sine addito diminuente. ergo signum est quod quando interponit illud additum quoad apparentiam diminutivum, solum intendit quod satisfactio Xpti non est omnibus modis infinita. ergo est quia satisfactio Xpti est infinita simpliciter, prout ly simpliciter contraponitur ad ly secundum quid.

§ V

Ratione probatur conclusio

Prima ratio pro nostra conclusione stabilienda potest formari ex prædictis authoritatibus, sub hac forma: Causa continens effectus inæquales in infinitum, & sine termino, continentia utique morali, non potest non esse infinita simpliciter in linea moris, sed satisfactio Xpti Dni, est huiusmodi; ergo non potest non esse infinita simpliciter in linea moris, ~~[illegible]~~ Sed continet tales inæquales in infinitum ratione valoris personalis, ergo est infinita simpliciter in ratione valoris personalis. ultima consequentia ex subsumpta infertur. & minor subsumpta exprimo syllogismo, in quo consequentia infertur. unde solum restat præmissas manifestare, & probare.

Probatur ergo maior, probanda postea minor. Primo paritate de linea physica, v.g. in omnipotentia, cuius infinitudo ex eo probatur a posteriori quia continet physice effectus inæquales in infinitum, & sine termino. Secundo probatur ratione quia implicat quod effectus excedant in perfectione suam causam, ergo effectus inæquales in infinitum sine termino contineri nequeunt nisi in causa simpliciter infinita.

Minor autem principalis probatur primo ex authoritatibus supra §.3 relatis, ex quibus constat quod satisfactio Xpti Dni meretur remissionem omnium peccatorum, etiam si ista multiplicentur in infinitum sine termino. Secundo quia ut late supra probatum est, quodlibet peccatum mortale est simpliciter infinitum in linea offensæ, ergo causa merens remissionem pecati mortalis, debet esse simpliciter infinita in valore. Tertio quia Thesaurus Ecclesiæ, ut notat Pontifex in illa Extravaganti Unigenitus, exhauriri non potest propter infinita merita Xpti. ergo vera est prædicta minor.

Confirmatur. Satisfactio pro culpis sincathegorematice infinitis, & quarum quælibet est infinita in ratione offensæ non potest non esse infinita simpliciter, sed huiusmodi est satisfactio Xpti Dni, ergo est infinita simpliciter. maior & minor ex dictis manent perspicuæ.

§. VI.

Solvuntur replicæ contra istam rationem.

Replicabis primo cum Scotistis: Quod ut satisfactio Xpti sit sufficiens pro culpis sincathegorematice infinitis, sufficit quod sit superioris ordinis ad culpam, ergo ex prædicta ratione non convincitur quod satisfactio Xpti Dni sit simpliciter infinita. antecedens probatur, ex eo quia res inferioris ordinis, quantumcumque multiplicentur, nequeunt adæquare rem superioris ordinis, sed potius res superioris ordinis semper excedit res quæ sunt ~~inferioris~~ inferioris ordinis, unde omnes res naturales non adæquant unum gradum gratiæ.

Sed contra, quia licet species aliqua inferior, imo, & plures species inferiores, quantumcumque multiplicentur in numero, & specierum, non possint adæquare speciem superiorem, quo pacto omnes species animalium non adæquant hominem, & omnes res naturales gratiam, tamen in moralibus hoc non est universaliter verum, sed potius tantum in numero possunt crescere ut excedant valorem, & æstimationem speciei superioris, quo pacto magna quantitas plumbi excedere potest quantitatem aliquam argenti, vel auri, in valore, & æstimatione. quod & accidit in supernaturalibus, nam actus virtutum moralium sunt inferioris ordinis ad actum Charitatis, & tamen si comparatur valor, & meritum plurium, & valde intensorum

actuum virtutum moralium, v. g. Religionis, iustitiæ, misericordiæ, vel temperantiæ, ad unum actum Charitatis remissum comparatum, excedit valor & meritum, illorum, ad valorem, & meritum actus Charitatis remissi. ergo ut Valor Satisfactionis Xpti non possit exhauriri per demeritum peccatorum in infinitum multiplicabilium, debet talis valor constitui non solum in ordine superiori, sed infinitus simpliciter.

Quod & instatur in peccatis ex quibus graviora sunt, & in ordine superiori quæ sunt contra contra virtutes Theologicas, quam illa quæ sunt contra virtutes morales, & tamen ista tantum possunt multiplicari in numero, & intensione, ut in malitia, & demerito excedant illa. præsertim si sint parum intensa

Præter quam quod nostra ratio efformata fundatur præcipue, in virtute, & continentia effectiva remissionis peccatorum sine termino, & virtus & continentia effectiva, sive fisice, sive moraliter remissionis peccatorum sine termino, & quorum quodlibet est infinitum in ratione offensæ, non potest non esse infinita simpliciter, in valore, & æstimatione.

Replicabis secundo contra nostram rationem, Quia peccatum veniale est ordinis inferioris ad peccatum mortale, quælibet multitudo peccatorum venialium adæquare nequit unum peccatum mortale. ergo ut satisfactio Xpti sit sufficiens pro culpis sincathegorematice infinitis, & ab illis adæquari nequeat sufficit quod sit superioris ordinis.

Respondeo negando causalem antecedentis ut adæquatam, sed ideo, & quia peccatum veniale est levis offensa. quo pacto quælibet multitudo venialium simpliciter non potest displicere Deo, sicut unum peccatum mortale.

Obiicies contra istam rationem: fundamentum nostrum est falsum, ergo ex illo non suadetur conclusio. antecedens probatur, fundamentum est. quia vis satisfactoria pro culpis sincathegorematice infinitis. quarum quælibet est infinita, non potest non esse infinita, sed in satisfactione Xpti non est talis vis satisfactoria. ergo. probatur minor. si esset talis vis satisfactoria, esset meritum infinitum, sed meritum non est infinitum, ergo non est talis vis satisfactoria. probatur minor si esset meritum infinitum quocumque præmio dato non exhauriretur satisfactio Xpti. sed est dabile præmium per quod exhauriatur, ergo meritum non est infinitum. probatur minor quia si Pater, aut Spiritus Sanctus assumerent in unitatem personæ aliam naturam intellectualem intuitu meritorum Xpti; Cum tale præmium sit infinitum, non posset non exhaurire meritum Xpti. ergo vera est minor.

Respondetur distinguendo illam maiorem quocumque premio dato non exhaurietur Satisfactio Xpti, extensive, concedo maiorem, non exhaurietur intensive nego maiorem, vel transeat maior. & distinguatur minor eodem modo, & nego consequentiam. Incarnatio enim alterius personæ divinæ data vel facta in premium intuitu meritorum Xpti adequaret intensive meritum, non extensive. cum ad aliud premium, etsi precontentum virtualiter in illo premio infinito, posset extendi Christi meritum. & nota quod dixi: vel transeat maior: ex eo quia non est contra rationem meriti infiniti quod exhauriatur premio infinito. Sed quia revera extensive non exhauritur, ideo primo negata fuit maior in illo sensu.

Replicabis: sed exhauritur in illa hypotesi etiam extensive, ergo nulla est Solutio. antecedens probatur scilicet minor Subsumpta. quia meritum Xpti non esset maius quam illud premium, utrumque enim habet eamdem infinitatem. ergo illud meritum non posset extendi ad aliud premium.

Poterat respondere dicendo transeat minor Subsumpta, iuxta Secundam insinuatam Solutionem, verum stando in prima Solutione negatur Subsumpta. & ad probationem concesso antecedenti, distinguatur consequens, non posset extendi ad aliud premium non contentum virtualiter, vel eminenter in tali premio, videlicet in Incarnatione alterius personæ divinæ concedo consequentiam, in illo eminenter contentum nego consequentiam. meritum enim Xpti ad alia premia creata posset extendi: ex eo quia licet essent distincta ab illo premio infinito, tamen in illo eminenter continerentur.

§. VII

Ratione fundamentali suadetur conclusio

Fundatur hæc ratio in illo axiomate: honor est in honorante, & offensa in persona offensa. quod desumitur ex Aristotele 1. Ethic. cap. 5. ubi docet primam partem axiomatis. & 5 Eth. cap. 5. ubi docet Secundam partem, ut iam notavimus agendo de infinitate peccati mortalis in ratione offensæ. qua maxima utitur D. Th. in hac. 3. p. q. ar. 2. & quodlibeto 2. ar. 2. & in 3. dist. 20. q. 1. ar. 2. in corp. & 1. 2. q. 73. ar. 9. ex quibus locis Angelici Magistri sic formatur ratio fundamentalis pro nostra conclusione.

Satisfactio, & obsequium crescit ad incrementum personæ Satisfacientis, & obsequiantis; sed persona satisfaciens & merens, nempe Xphus est divina, & infinita. ergo Satisfactio & obsequium factum a Xpto Domino attento valore personali est dignitatis, & valoris simpliciter infiniti. minor est de fide. unde difficultas

deducitur ad maiorem, cuius veritas fundatur in illa maxima. quae praeter authoritatem Phylosophi, & Angelici Magistri illam admittentis. Suadetur, tum exemplis, tum ratione. Exemplis quidem: quia ex terminis maioris valoris est satisfactio facta a Rege, quam facta ab Equite, & maioris valoris est satisfactio facta ab Æquite quam facta plebeio, quo pacto satisfactio facta a Rege dicitur regia, & facta ab Æquite dicitur nobilis, & facta a plebeio, communis. Unde Sancti Patres consueverunt appellare operationes satisfactorias Xpti Dni. Theandricas, & Dei viriles. quo nomine non gaudent operationes naturales, & non liberas Christi Domini, esto sint infinitae dignitatis, & aestimationis.

Ratione autem quia obsequium metaphysice loquendum est actio per quam obsequians, & testificatur dignitatem personae cui obsequium tribuitur, & se humiliat, & subiicit eidem personae cui tribuitur obsequium. & obsequium, qua parte est testimonium affirmans dignitatem personae cui fit, & tribuitur, tantum valet, quantum persona testificans. unde si persona est maioris exceptionis, testimonium est fide dignum, & si persona est divina eius testimonium est infallibile, qua parte autem obsequium est humiliatio, & subiectio personae obsequiantis, ad obsequiatam. persona obsequians constituitur subiectum morale obsequij. & cum in moralibus subiectum morale formae moralis. sit quod ut format tribuit moralitatem, valorem scilicet, vel gravitatem. quo pacto quando agebamus de gravitate peccati mortalis in ratione offensae stabilitum fuit esse gravitatis simpliciter infinitae, quia Deus offensus est subiectum morale offensae, inde est quod obsequium tantum crescat aritmetice, & omnimoda aequalitate ac est dignitas personae obsequiantis. ergo est quia satisfactio & obsequium crescit ad incrementum personae obsequiantis, ergo praeter authoritatem Phylosophi & Angelici Magistri a quibus admittitur. & affirmatur illa maxima, videlicet honor est in honorante, & offensa in persona offensa, constat exemplis, & ratione, ergo vera est illa principalis maior in qua fundatur ratio nostrae conclusionis.

§. VIII.

Praeoccupantur replicae, & argumenta solvuntur.

Communis solutio Scotistarum est distinguere illam maiorem in qua fundatur nostra ratio: unde dicunt quod satisfactio crescit geometrice ad incrementum personae satisfacientis, non autem aritmetice, ita scilicet, ut satisfactio facta a Rege, sit maior quam illa facta ab Æquite, non autem ut sit tantae dignitatis aequaliter cum Rege unde satisfactio elicita a Xpto Domino maior est qualibet satisfactione purae creaturae non vero sequitur quod sit omnino aequalis, dignitati Xpti Domini, ex quo inferunt non esse satisfactionem Xpti Dni simpliciter infinitam.

Sed hęc Replica, seu Solutio ad nostram rationem vim non habet, & iam est preoccupata probando & manifestando ut supra factum est, quod satisfactio crescit ad incrementum personę satisfacientis, non solum geometrice sed & arismetice.

Sed Obiicies contra hanc rationem si ratio efformata esset efficax sequeretur quod quo maior esset gratia sanctificans in homine iusto, eo esset maior sua satisfactio, & eo maius esset obsequium ab ipso prestitum; sed hoc est falsum ergo ratio efformata non subsistit, sequella videtur nota quia gratia sanctificans constituit personam dignam, ergo maior gratia, constituet digniorem personam. probatur ergo minor, quia si habens gratiam ut duo eliciat operationem intensiorem quam operatio elicita ab habente gratiam ut quatuor extensiue, meretur magis, iuxta illud Math. 16. reddet unicuique iuxta opera sua.

Communis, et vera solutio negat maiorem, seu sequellam, & ratio est quia cum gratia subdatur voluntati in suo influxu, dignificatio quam gratia prestat personę se habet mere concomitanter, & de materiali ad meritum, non vero formaliter. influxus autem personę est independens a voluntate, voluntas enim impedire non potest quod satisfactio facta a rege sit regia.

Replicabis Licet gratia subdatur voluntati in suo influxu effectivo in opus, non tamen subditur voluntati in ordine ad dignificandum formaliter; at qui gratia constituit meritum mediante sua dignificatione formali; ergo quod subdatur, vel non, voluntati non conducit.

Respondeo concessa maiori quoad primam partem, distinguendo illam quo ad secundam, non subditur gratia voluntati in ordine ad dignificandum formaliter, si sermo sit de dignificatione personali, quę identice & de materiali se habet concedo hanc partem maioris, si sermo sit de dignificatione formali quam prestat operi satisfactorio, & meritorio, subdistinguo, non subditur prę suppositive, quatenus exigitur quod precedat influxus effectivus operis, nego illam non subditur voluntati pro alio signo posteriori ad influxum effectivum, quatenus videlicet dignificat formaliter opus factum medio influxu effectivo prę exacto, concedo. & deinde distinguo minorem: gratia constituet meritum mediante dignificatione formali presupposito simpliciter pro aliquo priori influxu effectivo concedo minorem; non sic, nego minorem, & consequentiam. quippe ut opus meritorium dignificetur formaliter a gratia requiritur simpliciter pro priori tale opus oriri effective ut quo a gratia in quo influxu effectivo subditur gratia voluntati. habitibus enim utimur cum volumus, quando, & quomodo volumus. Dignificatio autem personalis, cum prestetur a gratia formaliter.

& media unione seu informatione physica, inde est quod dignificat personam secundum se totam & iuxta gradum gratiæ. operationes autem meritorias non sic, sed ad mensuram influxus effectivi in opus, & proinde dignitas personæ mere identice, concomitanter, & de materiali se habet; Persona autem Verbi divini operibus Xpti Dni, unitur moraliter iuxta omnem suam dignitatem. cum non possint non esse opera Xpti, seu Dei hominis, unde essentialiter sunt Theandricæ, & Dei-viriles; eo quia Verbum personans humanitatem illas elicit ut quod, in quo influxu nullo modo subditur voluntati ipsius Xpti in ordine ad illas dignificandas.

Obiicies secundo ex alio capite: Valor meritorius, & satisfactorius pensatur penes bonitatem moralem operis, & penes illam mensuratur, & eidem adæquatur; sed bonitas moralis operationum Xpti Domini est finita cum sumatur ab obiecto. ergo valor meritorius satisfactionis Xpti Dni est finitus.

Respondeo quod in operationibus meritoriis Xpti Domini est duplex valor. seu pensatur valor, & penes personam, & penes obiectum actus. valor qui pensatur penes obiectum est finitus. sicut & bonitas moralis actus penes quam sumitur. valor autem personalis commensuratur dignitati personæ. & cum persona Xpti sit simpliciter infinita. valor personalis meritorius & satisfactorius operationum Xpti Dni est simpliciter infinitus.

Replicabis primo si valor personalis esset infinitus non haberet locum valor obiectivus, eo quia valor personalis quia infinitus etiam includeret valorem obiectivum.

Replicabis secundo valor etiam personalis fundatur in bonitate morali actus. quo pacto operationes Xpti Domini naturales, et non liberæ, esto infinitæ dignitatis sint. nullum valorem meritorium, & satisfactorium admittunt, ergo si bonitas moralis actus quia ab obiecto sumitur est finita, & valor personalis erit finitus.

Sed Contra. & ad primam replicam respondeo negando ans, & explico seu distinguo causalem in eius probationem quasi appositam, valor personalis quia infinitus deberet includere valorem obiectivum. eminentialiter, concedo causalem, formaliter, nego causalem. continentia enim eminentialis alicuius. non obest ut alias sit etiam illa res præcontenta in alio eminentialiter, sit in se ipsa formaliter.

Ad secundam replicam respondeo distinguendo ans fundatur in bonitate morali actus. substractive, concedo ans. ut in forma valorem personalem præbente nego ans, & consequentiam.

Obiicies tertio. & potest esse replica huius doctrinæ. si Persona Xpti posset præstare operationibus suis meritoriis. valorem personalem infinitum,

erat necessarium quod ipsis posset uniri infinito modo, forma enim infinita ut præstet effectum formalem infinitum, infinito modo debet uniri, atqui infinite non potest uniri quo pacto Persona Verbi unita humanitati illam personat infinite. Sed vices Supplendo personalitatis creatæ. Ut essentia divina per modum speciei impressæ, vel expressæ mentibus beatorum unita illos non infinite intelligentes constituit; operationes Xpti' Dni non possunt esse infinitæ Satisfactoriæ.

Respondeo distinguendo maiorem erat necessarium quod ipsis posset uniri infino modo: moraliter concedo maiorem, phisice nego maiorem & distinguatur minor eisdem terminis, & negetur consequentia. nec exempla in probationem minoris apposita obstant huic Solutioni qua unio Personalitatis Verbi ad humanitatem est de linea phisica, ordinata ad essendum, unde infinite non potest uniri, sed Solum uniere Supplente defectum personalitatis propriæ, & illius vices gerendo. Similiter essentia divina per modum speciei non potest uniri infinite, quia unio illa & si non sit de linea phisica. Sed de linea intentionali. præsuponit essentialiter ut fundamentum unionem phisicam, & præterea essentia per modum speciei etiam in linea intentionali supponit dispositionem Luminis gloriæ. unde Solum potest communicari iuxta intensionem luminis, & cum lumen radicetur in gratia Sanctificante ut consumata lumen Solum datur iuxta intensionem gratiæ. Unio autem moralis personalitatis Verbi ad Suas operationes liberas non datur iuxta mensuram bonitatis moralis actus quæ Sumitur ab obiecto, Sed talem bonitatem Supponit ut Subtractum & de inde se ipsa iuxta Suum posse valorat, & dignificat, & proinde infinite Simpliciter, etenim valor personalis non unitur ▪ Supplendo vices alicuius valoris

Obiicies quarto:

Obiectum infinitum non præstat actui meritorio dignitatem Seu valorem infinitum, ergo neque persona infinita præstare potest actui Satisfactorio valorem infinitum; ans constat, alias actus Charitatis esset in quolibet iusto infine meritorius. Consequentia probatur, a paritate, & insuper ratione. Quia ideo actus meritorius erga obiectum infinitum non evadit infinitus, quia entitative finitus est; Sed Satisfactio Xpti entitative etiam finita est; ergo valor personalis in Satisfactione non potest evadere Simpliciter infinitus.

Respondeo concesso antecedenti negando consequentiam. & ad probationem nego causalem maioris, Sed ideo obiectum non præstat infinitatem Suam actui. quia solum comparatur ad actum ut specificativum extrinsecum. Persona autem respectu valoris personalis Se habet ut forma moraliter intrinseca. quod patet ex terminis ratione Supra assignata,

Obiicies quinto:

Si nostra conclusio esset vera plura videntur sequi incovenientia. Primo non esse in operationibus Xpti maiorem valorem in una, quam in alia, quod videtur falsum cum maioris valoris sit actus Charitatis, quam actus cuiuslibet virtutis moralis.

Secundo sequitur quod prima operatio meritoria Xpti Dni, & quelibet seorsim sumpta satisfecisset adequate pro redemptione mundi, & per consequens passionem, & mortem Xpti non fuisse necessariam, quod videtur contra sacras litteras attribuentes passioni, & morti Xpti, redemptionem nostram iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. c. 5.* non ne opportuit pati Xptum, & ita intrare in gloriam suam* unde D. Ambr. ad cap. 9 ad Hebreos ait: * tantum fuit peccatum nostrum ut salvari non possemus, nisi Unigenitus Filius Dei moreretur pro nobis.*

Tertio videtur sequi non esse aliam satisfactionem nisi satisfactionem Xpti, unde sine necessitate exerceretur homo in operibus satisfactoriis. quod nefas est dicere. Sequella probatur quia infinitum in aliquo genere continet omnia illius generis.

Respondeo ex nostra conclusione nullum inconveniens sequi. non Primum quia in operibus satisfactoriis Xpti Dni, & est considerandus valor moralis personalis, & valor moralis obiectivus, in valore personali omnes actus sunt equales. in valore obiectivo autem datur inequalitas & unus est alio prestantior.

Non secundum quia licet prima operatio Xpti Dni, & quelibet alia seorsim sumpta attento valore personali sit sufficiens pro redemptione generis humani. imo pro aliis, si essent. & ad alia ordinaretur, tamen ex ordinatione divine voluntatis, & Xpti Dni. non sic, sed omnes suas satisfactiones & per passionem, & mortem, ut per complementum voluit quod redimeretur genus humanum. unde non dixit consumatum est, nisi usque ad mortem iam in cruce volens animam in manus Patris tradere. quod convenientissime fuit stabilitum. ut amor Xpti commendaretur. & nos in eius amorem accenderemur. & gravitas peccati dignosceretur.

Non denique sequitur tertium inconveniens. quia licet valor satisfactorius humanarum operationum cuiuslibet iusti contineatur eminenter in satisfact. Xpti, tamen ut passio, & meritum, seu satisfactio Xpti Dni quoad efficaciam applicetur nobis hominibus requiritur quod ex parte nostra ponatur penitentia & satisfactio per opera virtuosa, seu exercitia virtutum, & per sacramenta in re vel in voto, pro hominibus autem usurationis carentibus ex dispositione divina requiritur quod passio & satisfactio Xpti Dni ipsis applicetur per sacramta quorum sunt capaces, in re suscepta, & non aliter.

Articulus II

Utrum forma dignificans operationes Xpti Domini sit personalitas Verbi?

§. I

Praenotantur nonnulla

Dari in satisfactione Xpti Dni valorem personalem, et valorem obiectivum, certum est apud omnes, et ex dictis facile deducitur. dubium ergo praesens procedit circa formam, seu quasi formam constituentem valorem personalem, quia de forma valorem obiectivum constituente constat esse obiectum sicut et valorem obiectivum satisfactionis praestitae a pura creatura constituit obiectum. ut in tractatibus virtutum moralium, et Theologicarum docetur. difficultas ergo devolvitur ad assignandam formam valorem personalem constituentem.

Secundo supponendum est quod cum stabilitum relinquamus valorem personalem esse infinitum simpliciter, forma constituens hunc valorem debet esse infinita. effectus enim seu quasi effectus formalis, infinitus non nisi a forma infinita praestari potest. et cum forma infinita alia non sit nisi praedicatum aliquod divinum, necesse ad hanc infinitatem praestandam recurrendum est ad aliquod praedicatum divinum.

Deinde pro maiori intelligentia praesentis difficultatis notandum est difficultatem praesentem coincidere cum alia quam ad tractatum de Gratia Xpti iam habemus resolutam. videlicet coincidit cum illa in qua inquiritur a quo sanctificetur formaliter substantialiter humanitas Xpti? Unde eodem modo quo ibi diversificantur Theologi in ordine ad assignandam formam sanctificantem substantialiter humanitatem Xpti, diversificantur in assignanda forma valorante formaliter satisfactionem Xpti. ex quo apparet ex ibi dictis sententiarum diversitas in hac parte.

§. II

Statuitur conclusio

§ Sit nostra conclusio: Personalitas Verbi non dignificat operationes satisfactorias Xpti Dni ratione illius quod pro explicito relativi dicit, et addit ad praedicata absoluta, sed ratione Deitatis, quam pro implicito includit.

Procedit conclusio supponendo ex tract. de Trinitate: Relationes divinas pro explicito relativi non dicere perfectionem, si enim perfectionem dicere supponeretur, assere tenebamur. iuxta dicta ad tract. de Gratia Xpti, disp. 18. ar. 1. §. 6. Personalitatem pro explicito dignificare.

Prima pars conclusionis probatur. quia ut personalitas Verbi pro eo quod explicat dignificaret satisfactionem Xpti, erat necessarium quod sub illa formalitate esset perfectio, seu esset Sanctitas, & dignitas; sed non est, ergo sub illo explicito non dignificat. Consequentia infertur. & minor supponitur, & insuper constat tum ex D. Augustino lib. 5. de Trinit. cap. 8. per hæc Verba: * Quemadmodum Pater Deus est, Filius Deus est, & Spiritus Sanctus Deus est, non tamen tres Deos dicimus, sed Unum Deum, ita Magnus Pater, Magnus Filius, Magnus Spiritus Sanctus, non tamen tres Magni, sed Unus Magnus * tum ex Angelico Doctore 1. p. q. 42. ar. 2. illis Verbis: * Sicut eadem essentia, quæ in Patre est Paternitas, in Filio est Filiatio, ita eadem Dignitas quæ in Patre est Paternitas, in Filio est Filiatio.

Et tam denique ratione constat eadem minor quia alias esset in Patre, vel in Filio aliqua perfectio, dignitas, seu Sanctitas, quæ non esset in qualibet persona.

Probatur ergo maior quia inintelligibile est quod præstetur aliquis effectus, vel quasi effectus formalis ab aliqua forma sub illo conceptu sub quo illum non præcontinet; ergo ut personalitas Verbi pro eo quod explicat dignificaret satisfactionem Xpti erat necessarium. quod pro illo explicito esset perfectio, dignitas, & sanctitas.

Secunda autem pars conclusionis probatur quia Personalitas Verbi licet pro explicito perfectionem non dicat, implicite tamen includit essentiam seu Deitatem. quæ est perfectio, Sanctitas, & dignitas per essentiam. quæ cum alias moraliter intelligatur unita operationibus liberis Xpti Dni. eo quia ut quod eliciuntur a Persona divina in humanitate subsistens, non potest non illas dignificare. ergo ratione huius dignitatis dignificantur. et per consequens forma dignificans operationes satisfactorias Xpti Dni est Personalitas Verbi ratione Deitatis quam pro implicito includit.

§. III

Solvuntur argumenta

Obiicies primo, Personalitas divina licet pro explicito ad intra perfectio non sit, tamen ad extra communicata non potest non perficere, & dignificare satisfactionem, ergo pro explicito relativo est de facto forma dignificans moraliter satisfactionem Xpti. antecedens probatur. quia Personalitas etiam pro explicito relativi. est quid infinitum. & divinum. ergo &c.

Respondeo negando antecedens:

ratio enim quae suadet relationes divinas non dicere pro explicito perfectionem ad intra, probat non esse pro explicito perfectionem ad extra, ut consideranti patebit. alias Filiatio ad extra communicata praestaret aliquam perfectionem seu dignitatem quam non praestaret Paternitas si ad extra communicaretur. nec probatio antecedentis obstat huic solutioni, quia licet Personalitas Verbi pro explicito relativi sit quid infinitum, et divinum, non explicat illam infinitatem, vel Divinitatem pro explicito.

Obiicies secundo, ut Deitas implicite inclusa in personalitate Verbi esset forma dignificans operationes Xpti Dni, erat necessarium quod ipsis uniretur formaliter; sed non unitur: ergo non est forma illas dignificans. maior patet quia inintelligibile est quod aliquis effectus, vel quasi effectus formalis communicetur ab aliqua forma, vel quasi forma alicui subiecto, quin intelligatur illi forma unita: probatur ergo minor, quia operationes ad summum intelliguntur unitae ut quod Personalitati, quatenus videlicet a persona oriuntur ut quod. sed ut Deitas esset forma, vel quasi forma dignificans erat necessarium quod intelligeretur unita operationibus ut quo, ergo non unitur ut forma dignificans.

Respondeo dist. maiorem erat necessarium quod uniretur formaliter: unione morali, concedo maiorem, unione physica nego maiorem. et distinguo minorem eadem distinctione et nego consequentiam, quam solutionem non praeoccupat probatio adiuncta quandoquidem non potest non intelligi Deitas moraliter unita operationibus eo ipso quod illae oriantur a persona divina ut quod.

Replicabis, ut posset intelligi Deitas ut quo moraliter unita operationibus, erat necessarium quod talis unio esset libera Xpto Domino, quandoquidem satisfactio adaequate sumpta est libera Xpto homini, seu ut est homo, sed Deitas non est libera ergo.

Respondeo quod Deitas in abstracto sumpta libera non est voluntati creatae Xpti Dni, at concretive sumpta, seu ut dignificans in concreto est libera, quatenus est liberum Xpto Dno ponere vel non ponere subiectum, licet semel positum, non sit ipsi liberum quod a Deitate dignificentur.

Obiicies tertio si Deitas inclusa in Personalitate Verbi esset forma, seu quasi forma dignificans operationes Xpti Dni, vel illas dignificaret sub conceptu Sanctitatis, vel sub conceptu dignitatis et magnitudinis, sed sub conceptu Sanctitatis non potest dignificare operationes Xpti Dni ut satisfactorias. quandoquidem satisfactio praestatur ratione obsequii, quod formalissime praestatur a conceptu dignitatis et magnitudinis, qui conceptus distinguitur virtualiter a conceptu essentiae, et Deitatis,

cum sit conceptus attributalis conveniens cuilibet attributo, ut videtur docere D. Th. 1. p. q. 42. ar. 4. ad 2. quo circa Deus constituitur in dignitate infinita, & per sapientiam, & per omnipotentiam, & per immensitatem, & æternitatem, & per alia attributa, quod non verificatur de sanctitate, quæ utique Deo convenit essentialiter, ratione essentiæ. ergo dignificat operationes Xpti sub conceptu sanctitatis. & alias conceptus dignitatis ut vidimus ex D. Th. est conceptus attributalis. ergo Deitas non est forma dignificans operationes Xpti Dni.

Respondeo operationes liberas Xpti Dni & esse satisfactorias, & esse meritorias, quæ meritoriæ sunt, valorantur a Deitate sub conceptu sanctitatis, qui conceptus in præcindibilis est ab essentia, cum ut dixi, ad tract. de merito in communi 1. 2. q. 114. ar. 2. forma valorans meritum est sanctitas operantis. quæ parte autem sunt satisfactoriæ dignificantur a dignitate & magnitudine divina, non ut est conceptus attributalis, distinctus virtualiter ab essentia. seu Deitate, nec prout transcendit alia attributa, sed prout est Deo essentialis, non solum phisice, sed etiam metaphisice, & nec virtualiter distinguitur ab essentia divina, seu a Deitate. quod potius infertur ex Angelico Magistro 1. p. q. 42. ar. 4. ad 2. per hæc verba: * Magnitudo in divinis significat perfectionem naturæ & ad essentiam pertinet. * & ibidem paulo inferius. Paternitas igitur est dignitas Patris, sicut & essentia Patris, nam dignitas est absoluta & ad essentiam pertinet. sicut igitur eadem essentia, quæ in Patre est Paternitas, in Filio est Filiatio, ita eadem dignitas, quæ in Patre est Paternitas, in Filio est Filiatio * ergo videtur dicendum quod dignitas non distinguitur virtualiter ab essentia. & proinde quod Deitas sub conceptu dignitatis est forma, seu quasi forma valorans operationes Xpti Dni ut satisfactorias.

§. IV.

Corollarium quoddam

Infers satisfactionem Xpti Dni fuisse infinitam active ex persona offerente & satisfaciente, non passive, & ex parte rei oblatæ. ut ex ratione probativa nostræ conclusionis infertur. quod autem infinita non sit ex parte rei oblatæ ex eo constat quia hostia seu victima oblata, nempe ipse Xptus. licet in se sit quid infinitum quatenus includit personam divinam, tamen comparatur ut passive oblatus. ut obiectum comparatur actui, sed obiectum esto infinitum, infinitatem non præstat actui. ergo. item etiam quia alias actio qua B. Virgo Xptum obtulit in templo, fuisset infinita cum etiam obtulisset rem infinitam, videlicet Xptum.

Articulus III

Vtrum Satisfactio Xpti Domini ab intrinseco, & ex natura sua fuerit sufficiens pro peccatis humani generis?

§. I

Aperitur dubium

Procedit dubium de satisfactione Xpti attento suo valore intrinseco, videlicet seclusa gratia, & acceptatione extrinseca Dei valorante vel supplente defectum valoris, quia esse satisfactionem Xpti sufficientem, imo, & superabundantem saltim ex acceptatione divina, ut sufficientem, & superabundantem, illam volente acceptare, nullus Catholicorum potest negare, cum Scriptura sacra pluries affirmet satisfactionem Xpti, fuisse sufficientem, & superabundantem: ut constat ex illo Psalmi 129: * Copiosa apud eum redemptio. * & ex illo Pauli ad Rom. 5 * Ubi abundavit delictum, ibi superabundavit & gratia * unde abstrahendo a modo, quo satisfactio fuerit sufficiens, an ab intrinseco, an ab extrinseco, negari non potest sufficientia.

Rursus pro difficultatis resolutione notandum est quod in presenti non procedit dubium, de sufficientia, & condignitate efficaci, & in actu secundo, videlicet non inquiritur in presenti an induceret in Deo obligationem ex iustitia ad illam acceptandam? de hoc enim postea instituetur Deo dante, dubium. sed solum procedit quęstio de sufficientia, & condignitate intrinseca in actu primo, attento videlicet suo valore intrinseco. quę duo notanda habenda sunt pro oculis, pro sequentis articuli resolutione.

§. II

Referuntur sententiae

Duę versantur sententię extreme opposite circa presentem difficultatem. prima est negativa, & docet satisfactionem Xpti, attento suo valore intrinseco, non fuisse sufficientem, sed solum ex Dei acceptatione illam valorante, & supplente defectum valoris intrinseci. ita Scotus in 3. dist. 19. & 20. & in 4 dist. 15. q. 1. quem sequuntur eius discipuli. eamdem tenet Gabriel in 3. dist. 19. q. 2. ar. 1. notabili 3. Almainus. ibid. q. 1. Philipus Faber in 3. dist. 19. q. unic. disp. 45. cap. 3. & disp. 46. cap. 3. Rada. 3. p. controv. 13. ar. 2. concl. 5. & ar. 3. concl. 3. Franciscus del Castillo 3. p. disp. 13. q. 1. & est communis in Subtili Schola.

Secunda, & vera sententia oppositum docet, unde asserit

hęc sententia Satisfactionem Xpti Dni, ex se, et ex natura sua, attento suo valore intrinseco, & seclusa acceptatione extrinseca Dei, ut valorante, vel supplente defectum valoris, esse sufficientem, & condignam pro peccatis humani generis ita Angelicus Magister D. Th. in hac 3. p. q. 1. ar. 2. & infra q. 48. ar. 2. & in 3 dist. 20. q. 1. ar. 1. & alibi, quem sequuntur eius dispuli. hanc eamdem sententiam tent D. Bonav. in 3 dist. 20. q. 3. Ricardus in 3. dist. 20. q. 4. Capreol in 3. dist. 20. q. unic. ar. 1. Ferrariensis. 4 contrag. cap. 55. Caiet. 3. p. q. 1. ar. 2. et est communis inter Thomistas. Videatur Ill. Godoi in pręsenti 3. p. disp. 4. §. 2. Gonet etiam disp. 4. ar. 2. §. 1. Noster M. Barra disp. 1. q. 4. ar. 1. est etiam hęc sententia Communis inter Authores Societatis. eam tenent Vazquez disp. 5. cap. 2. Suarez. disp. 4. sect. 3.

§. III.

Statuitur conclusio.

Sit nostra Conclusio hęc secunda sententia: Satisfactio Xpti Domini, ex natura sua ab intrinseco, & seclusa acceptatione divina, ut valorante, vel supplente defectum valoris fuit condigna, & sufficiens, pro peccatis generis humani.

Haec conclusio videtur conformior Sacris litteris, & probatur testimoniis supra relatis ex Psalmo 129. & ex Ap. ad Romanos. 5. ubi ante verba relata hęc habet Apostolus* Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia, & donum in gratia unius hominis Iesu Xpti in plures abundavit.* In quibus verbis videtur Apostolus comparare Satisfactionem Xpti cum peccato Adami, & insuper asserit, quod sicut Adæ peccatum vim habuit ad perdendum, & macculandum genus humanum, multo magis, Satisfactio Xpti vim habuit ad genus humanum reparandum. Sed Adæ peccatum, attenta sua gravitate intrinseca habuit vim ad totum genus humanum maculandum; ergo potiori titulo. Satisfactio Xpti attento suo valore intrinseco vim habuit ad illud reparandum.

Dices peccatum Adæ non habuisse ex natura sua vim intrinsecam ad genus humanum maculandum. sed ad hoc fuisse necessarium pactum, initum inter Deum, & Adamum.

Sed contra quia pactum initum inter Deum, et Adamum, non dedit peccato vim ad maculandum, sed solum fuit necessarium, ut voluntates posterorum continerentur, ut in capite, in voluntate Adæ, qua pręcontinentia stabilita, & pręsupposita, peccatum illud ex sua gravitate intrinseca maculat genus humanum; alias si peccato ex se & ab intrinseco ex natura sua talem vim non haberet, illam causaret in peccato Deus per tale pactum, quod nefas est dicere.

Rursus probatur conclusio ex illo Pauli a Hebræos 10. per hæc verba: * impossibile est sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata, ideo ingrediens mundum dicit: hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. * ex quibus tale argumentum conficio: Apostolus comparat sacrificia veteris legis, cum sacrificio Xpti, & maiorem valorem concedit sacrificio Xpti, quam sacrificiis veteris legis; atqui si sacrificium crucis Xpti non haberet ex se & attenta sua natura, & valore intrinseco vim et efficaciam, sed solum ex acceptatione divina, supplente defectum valoris, & illud ut sufficiens acceptans, non esset disparitas inter unum, & aliud sacrificium, cum posset Deus acceptare ut sufficiens sacrificium veteris legis, ergo signum est quod satisfactio Xpti, eiusque sacrificium habet valorem intrinsecum, attenta sua natura, & seclusa acceptatione divina.

Ulterius probatur conclusio ex Patribus. Sufficiat Magnus Basilius qui super Psalmum 48 sic ait ad illa verba * Frater non redimit; redimit homo: * Non homo nudus, sed Homo-Deus Iesus Xptus, quia nullus alius poterat condignum offerre pretium. * sed si condignitas in satisfactione esset tantum ex acceptatione divina dante vel supplente defectum condignitatis, & valoris, homo nudus posset illam conferre, ut patet. ergo dicendum est quod satisfactio Xpti Domini fuit ab intrinseco condigna, & sufficiens.

§. IV.

Fundamentaliter probatur conclusio.

Ratio ergo a priori fundatur in infinitate satisfactionis Xpti, quæ ut probatum est talis est ab intrinseco, & sic potest formari. Illa satisfactio est condigna, sufficiens, & ad æqualitatem, quæ in morali æstimatione attento suo valore intrinseco, adæquat, & compensat gravitatem peccati mortalis; sed satisfactio Xpti Dni est huiusmodi. ergo attento suo intrinseco, & seclusa acceptatione divina, ut valorante, & supplente defectum valoris, est condigna, sufficiens, & ad æqualitatem. maior continet diffinitionem satisfactionis condignæ, & æqualis, quippe cum satisfactio sit obsequium per modum pretii oblatum, & pretium illud sit condignum, sufficiens, & ad æqualitatem, quod in æstimatione morali tanti æstimatur, ac res pro qua offertur. probatur ergo minor quia licet gravitas offensæ sit simpliciter infinita, etiam satisfactio Xpti est simpliciter infinita in ratione valoris, ut supra ostensum est attento suo valore intrinseco, ergo adminus satisfactio Xpti est condigna, sufficiens, & æqualis pro peccatis generis humani & adæquat gravitatem offensæ.

Confirmatur, & instatur ad hominem contra authores primæ sententiæ. quia in eorum sententia licet satisfactio Xpti Dni non sit simpliciter infinita est in ordine superiori ad satisfactionem

puræ creaturae, & offensa peccati mortalis est in ordine superiori ad offensas irrogatas creaturis, ergo ad minus satisfactio Xpti Dni est in ordine superiori, sicut est offensa peccati, ergo ad minus satisfactio adæquat, et est sufficiens, & condigna pro offensa.

§ V.

Solvuntur argumenta.

Obiicies primo Valor satisfactionis Xpti Domini non adæquat gravitatem offensæ ergo satisfactio Xpti Domini non est condigna, & sufficiens consequentia patet, & ans probatur. gravitas offensæ peccati mortalis talis naturæ est, ut plus demereatur peccatum, quam mereatur satisfactio Xpti, ergo satisfactio non adæquat gravitatem offensæ. ans probatur, peccatum originale, & quodlibet peccatum mortale personale demeretur condigne quoad sufficientiam Incarnationem, seu meretur incarnationis carentiam, si Deus decrevisset illam facere sub conditione quod homo non poneret positivum demeritum illius; sed satisfactio Xpti, ut meritoria non meruit, nec potuit mereri incarnationem, ergo gravitas offensæ peccati mortalis, talis naturæ est, ut plus demereatur peccatum mortale, quam mereatur satisfactio Xpti.

Respondeo negando antecedens, & ad probationem similiter negatur antecedens. & ad probationem concessa maiori, distinguo minorem: non potuit mereri incarnationem, ratione dependentiæ essentialis ab illa tanquam a principio effectivo, concedo minorem ex defectu valoris, & condignitatis intrinsecæ nego minorem, & consequentiam. Ut enim peccatum mortale plus demereretur, quam meretur satisfactio Xpti ut meritoria, erat necessarium, quod istud non meritum quod est in operibus Xpti erga suam incarnationem, esset ex defectu condignitatis, & valoris æqualis, cum eadem incarnatione ut præmio, quod utique non est, sed potius adæquat. imo est idem valor in incarnationis operibus ut meritorijs, & in incarnatione ut meritata, si ex alio capite non repugnaret quod esset meritata ab operibus Xpti.

Quod patet & instatur quia operationes meritoriæ Xpti Domini extendi possunt attento suo valore intrinseco ad incarnationem promerendam Patris, vel Spiritus Sancti, vel ad de condigno merendam Incarnationem Verbi in alia natura intellectuali, quam, vel quas incarnationes si de facto non meruit Xptus, eo est quia illam, vel illas non impetravit. Non ergo potuit Xptus suam incarnationem mereri eo quia meritum, seu operatio meritoria Xpti Dni oritur effective ut quod a Xpto, unde et dependet essentialiter ab incarnatione, etenim non est Xptus, Deus homo, nisi media incarnatione seu assumptione humanæ naturæ ad esse personale Verbi, in qua assumptione consistit incarnatio. & principium meriti non potest cadere sub merito, ut late ostenditur ad tract. de merito. 1. 2. q. 110.

Obiicies secundo: Valor satisfactionis Xpti non adequat gravitatem offensæ. ergo satisfactio non est sufficiens, & condigna. ans. probatur. forma gravificans offensam præstantior est quam forma valorans satisfactionem Xpti. ergo. ans probatur. forma gravificans offensam est Deus ut est in se, & forma valorans satisfactionem Xpti est Deus in humanitate, seu Verbum ut homo; sed Deus ut est in se præstantiorem effectum præstat. quam Deus in humanitate, seu Deus ut homo. ergo forma gravificans offensam præstantior est quam forma valorans satisfactionem Xpti. probatur maior, probanda postea minor. quia Deus ut est in se est qui denominatur, & est offensus per peccatum, Deinde satisfactio est a Verbo ut homine, ut Deus enim non potest satisfacere, cum ut Deus non habeat superiorem, & sit creditor. ergo vera est maior. Iam ergo probatur illa minor quia Deus ut est in se dignior est quam Deus in humanitate, seu quam Deus homo, etenim ut est in se est dignus essentialiter. ut homo autem habet dignitatem per communitionem, quandoquidem ut homo dicit reduplicative humanitatem.

Respondeo negando ans, & ad probationem similiter nego ans. & ad eius probationem nego maiorem. etenim forma valorans & dignificans satisfactionem Xpti est eadem Deitas ut inclusa in personalitate Verbi. qua ratione satisfactio evadit simpliciter infinita. & ad eius probationem respondeo. admissa prima parte, distinguendo secundam: satisfactio est a Verbo ut homine, concretive. & substractive sumpto. concedo ans, abstractive & dignificative nego ans. Verum enim est quod ut Deus non potest satisfacere, quia lly satisfacere dicit principium quod eliciens satisfactionem in concreto. hoc est eliciens actionem quæ est substractum valorandum a forma dignificante. verum hoc non impedit quod abstractum valorans idest forma dignificans sit ipsa Deitas secundum se moraliter unita operi satisfactorio.

Denique obiicies:

Xptus Dominus non potuit offerre Deo æquales gratias pro beneficijs collatis ipsi humanitati; ergo neque æqualem satisfactionem offerre potest pro peccatis. ans videtur deduci ex Aristotele 8 Ethic. cap. 13. ubi docet quod Diis, Parentibus, & Magistris, æquale reddere non possumus. & ratione probatur, quia si per aliquam actionem posset Xptus offerre Deo æquales gratias, maxime per ipsam gratiarum actionem; sed per istam non, ergo per nullam. maior patet. & minor probatur, quia ipsa gratiarum actio est aliquod novum beneficium a Deo collatum ipsi humanitati. Prima autem consequentia ex eo probatur, quia si Xptus Dominus non potest pro debitis propriis satisfacere. ergo neque pro alienis.

P. Vazquez

respondet concesso antecedenti negando consequentiam, & rationem disparitatis

assignat ex eo quia per satisfactionem quam Xptus obtulit pro peccatis, non crescit debitum per peccatum contractum, sicut crescit debitum humanitatis ipsa gratiarum actione. Sed hec solutio non videtur sufficiens, quia ex doctrina in qua fundatur sequitur, quod et si gratiarum actio compenset debitum contractum ex benificio incarnationis facto humanitati, cum ipsa gratiarum actio sit novum beneficium, & non possit esse compensatio sui ipsius, restat debitrix humanitas, quod non possit compensare se ipsam patet, & docetur a D. Th. in 3 dist. 20. q. 1. ar. 2. ad 1.

P. Suarez, respondet negando ans. & ad illius probationem respondet Aristotelem loqui de pura creatura que non potest equale reddere Deo pro beneficiis ipsi collatis. Persona autem divina propter suam infinitam dignitatem potest equale reddere Deo, cum offerat obsequium infinitum simpliciter.

Sed neque hec solutio satisfacit, quia ut docet D. Th. 2. 2. q. 106. ar. 6. in corp. hoc est discrimen inter compensationem ex iustitia, & compensationem ex gratitudine, quod ad illam sufficit equalitas, ad istam autem non sufficit equalitas, sed requiritur quod aliquid plus reddatur, eo quia compensatio ex gratitudine respicit benificium secundum voluntatem dantis, in quo quod precipue commendatur est quod confert beneficium gratis. & pro inde, qui beneficium accipit, & debet compensare valorem beneficij, & insuper illud quod est esse grati datum.

Tertio propter hoc aliqui respondent quod Xptus plus obtulit quam accepit, quia etsi accepisset aliquid infinitum, nempe Personalitatem Verbi, non tamen illam accepit modo infinito, cum alias, & alias naturas, & perfectiori modo possit personare.

Sed nec hec solutio solvit argumentum. quia nullum discrimen verum assignari potest inter infinitatem phisicam beneficii, & infinitatem phisicam compensationis, nec similiter inter infinitatem moralem beneficij & infinitatem moralem compensationis. ergo solutio non subsistit antecedens probatur quia sicut personalitas oblata in compensationem, quando Xptus se obtulit Patri hostiam, est infinita in se ipsa phisice, ita est phisice infinita in se ipsa ut beneficium factum humanitati, & sicut Personalitas infinite dignificat moraliter operationes Xpti quibus se offert, & gratias agit Patri ita dignificat infinite humanitatem illam santificando infinite, que sanctitas est beneficium. ergo non reddit plus quam accepit.

Respondeo ergo ad argumentum dupliciter. primo negando antecedens. quia licet ex parte rei oblate in compensationem non obtulisset Xptus plus, quam accepit, in affectu sic erat dispositus, ut plus posset offerre, plus obtulisset quod sufficit ad gratitudinem.

Replicabis ergo pura creatura potest ex gratitudine equalis gratia Deo offerre. probatur consequentia, quia iuxta solutionem datam sufficit offerre plus in affectu.

Respondeo ad replicam dupliciter primo negando consequentiam, & ad probationem respondeo quod quando dicitur quod sufficit si plus offeratur in affectu, intelligitur dummodo in effectu offeratur ad minus equale, cum vero Xpus in effectu equale obtulisset Patri, & deinde in affectu plus inde est quod Xpus potuit equalem compensationem, etiam ex gratitudine offerre, non vero pura creatura. Secundo ad replicam respondeo distinguendo primam consequentiam, ergo potuit pura creatura &c. loquendo de compensatione ex gratitudine pro beneficiis antecedentibus ad ipsam gratiarum actionem, transeat, pro ipsa gratiarum actione, que novum beneficium est nego consequentiam, unde creatura semper restat debitrix.

Secundo respondeo ad principale argumentum, negando consequentiam, ut formalem. unde etiam si prescindamus. imo, et si concedamus quod Xpus non potuit ex gratitudine equalem compensationem offerre Deo non sequitur non potuisse satisfacere pro peccatis, quia non est bonum argumentum non potest facere plus, ergo non potest facere minus, cum enim beneficia facta humanitati sint maiora, & meliora, quam sit gravis offensa peccati mortalis, cum illa sint ordinis divini hipostatice, & ista solum sit ordinis divini moraliter inde est quod licet non possit compensare illud beneficium ex gratitudine, non sequitur quod non possit satisfacere condigne, & ad equalitatem pro peccatis humani generis.

Articulus. IV.

Utrum satisfactio Xpti Domini fuisset etiam ab intrinseco superabundans?

§. I.

Quibusdam praenotatis statuitur conclusio.

Satisfactionem Xpti Domini fuisse non solum sufficientem, condignam, & ad æqualitatem, ut articulo antecedenti stabilitum est, sed fuisse etiam superabundantem, communiter defenditur a Theologis. videtur enim non posse aliter sentiri, salva manente, ut fas est, scriptura sacra. ut ex dictis articulo præcedenti constat. difficultas ergo devolvitur inter Theologos ad dignoscendum modum istius superabundantiæ, an videlicet sit talis ab intrinseco & secundum se, attento nimirum valore, & condignitate intrinseca, satisfactionis; vel an sit solum talis ab extrinseco, & ex divina acceptatione volente talem satisfactionem ut superabundantem acceptare?

Authores negantes satisfactioni Xpti sufficientiam, & condignitatem ab intrinseco pro peccatis humani generis, quos dedimus articulo præcedenti, negant consequenter fuisse ab intrinseco superabundantem; sed solum asserunt esse superabundantem ab extrinseco, nimirum ex divina voluntate illam ut superabundantem volente acceptare. E contra autem Thomistæ omnes Duce Angelico Magistro docent satisfactionem Xpti, ex se, & ex natura sua, seu valore intrinseco inspecto, & solum attenta sua dignitate intrinseca, & seclusa acceptatione Dei ut valorantis, vel volentis illam ut superabundantem acceptare, esse ab intrinseco super abundantem. cum quibus

Sit nostra conclusio.

Satisfactio Xpti Domini, fuit superabundans ab intrinseco, suo intrinseco valore solum inspecto. & attentis suis prædicatis intrinsecis, seclusa etiam acceptatione Dei, ut dante, vel supplente superabundantiam.

Hæc nostra conclusio probatur primo ex sacris litteris, eisdem authoritatibus, quibus articulo præcedenti probavimus sufficientiam intrinsecam. quibus addi potest aliud testimonium ex Job cap. 6. per hæc verba: * Utinam appenderentur peccata, quibus iram merui, & calamitas, quam patior in statera, quasi arena maris gravior appareret. * in quibus verbis licet litteraliter loquatur Job de se ipso, tamen mistice, seu moraliter interpretatur a Lira, & a pluribus ex Sanctis Patribus de Xpto Domino. quatenus eius Passio excedat omnium peccata quantum arena maris exiguum ponderis.

Audiatur inter alios, ad illud assumptum suadendum D. Gregorius Magnus lib. 7. Moralium cap. 2. ubi hec habet verba: * Quis alius statera nomine, nisi Dei, et hominum Mediator exprimitur? qui ad pensandum vitæ nostræ meritum venit, ac secum iustitiam, et misericordiam detulit: Sed misericordiæ lance præponderans, culpas nostras parcendo levigavit. in manu enim Patris quasi in statera miri libraminis factus hinc in se calamitatem nostram, et illinc peccata suspendit, sed gravis ponderis calamitatem moriendo ostendens, apud misericordiam suam leve esse peccatum relaxando ostendit. *

Similia ad intentum habet D. Bernardus, homilia de duobus discipulis in Emaus: verba eius sunt sequentia: * Crux facta est statera corporis Xpti, quod est Ecclesia, cum enim ipse crucifigeretur, appensa sunt cum ipso peccata, quæ commisimus, calamitas, quam incurrimus, ipse erat innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior Cœlis conversatio eius; non enim peccatum fecit, nec inventus est dolus in ore eius, et quoniam talis, ac tantus, tanta indigna dignatus est in cruce pati, præponderare cepit calamitas, et crimina levigare. cum adhuc tamen in cruce erectus staret, vacillare videbatur statera, nec plene cognoscebatur quo cadere deberet, cum inclinato capite emissit spiritum, et calamitas præponderando caderet, et quasi arena maris gravior apparèret, gentes quasi monumentum stateræ reputatæ sunt, nam in statera ceciderunt, quia partes adversæ damnationis nostræ chyrographum amisserunt.*

Et D. Augustinus serm. 114. de tempore hec habet verba nostram conclusionem suadentia: * Indubitanter credamus, quod totum mundum redemit, qui plus dedit quam totus mundus valeret *

S. Leo, Papa serm. 11 de Passione, hec habet: * Valius factum fuit donum Charitatis quam debitum servitutis.*

§. II.

Iuxta alia principia assignatur fundamentum conclusionis.

In ratione fundamentali construenda pro nostra conclusione stabilienda, discrepant Theologi, etenim qui docent peccatum mortale non esse simpliciter infinitum in ratione offensæ sed solum secundum quid. et alias docent satisfactionem Xpti Dni fuisse simpliciter infinitam attento suo valore intrinseco, facile assignant superabundantiam, et excessum in satisfactione Xpti relate ad offensam peccati mortalis, cum evidenter superat illud quod est infinitum simpliciter, respectu illius, quod tantum est secundum quid infinitum.

Vlterius Authores docentes satisfactionem Xpti non fuisse infinitam simpliciter, sed tantum superioris ordinis, et ad satisfactionem a pura creatura præstabilem, et ad offensam peccati mortalis, facile etiam stabiliunt superabundantiam in satisfactione Xpti. ex eo quia res inferioris ordinis, necessario superatur a re superioris ordinis, nec illa, istam adæquare potest.

verum nos neutra hac ratione uti possumus cum stabilitum relinquamus satisfactionem Xpti fuisse simpliciter infinitam in ratione valoris, & peccatum mortale esse simpliciter infinitum in ratione offensę. alio ergo fundamento stabilienda est nostra conclusio.

§. III.

Ratione fundamentali suadetur conclusio.

Ratio ergo fundamentalis, & a priori nostrę conclusionis sic potest formari. Valor satisfactionis Xpti ab intrinseco, & ex natura suę, & seclusa acceptatione extrinseca Dei, ut valorante, vel supplente defectum valoris, excedit, in morali æstimatione gravitatem offensę peccati mortalis: ergo ab intrinseco, & ex natura suę est superabundans. antecedens probatur, quia gravitas offensę peccati mortalis fundatur in unione morali, qua Deus offensus unitur peccato mortali, eo quia Deus est subiectum morale offensę, & offensa moraliter subiectatur in Deo, & proinde Deus se habet ut forma moralis gravificans offensam, ut suo loco late explicatum est; Valor autem satisfactionis Xpti fundatur in Unione physica mediata, qua Persona Verbi unitur satisfactioni, seu operationibus satisfactoriis, & in unione morali immediata, qua ipsa Persona Verbi unitur ipsis operationibus satisfactoriis, ut etiam suo loco explicatum est, sed Valor fundatus in unione physica mediata, & in unione morali immediata, excedit gravitatem, quę unice fundatur in unione morali immediata, ergo valor satisfactionis Xpti ab intrinseco, & ex natura sua, & seclusa acceptatione extrinseca Dei ut valorante, vel supplente defectum valoris excedit in morali æstimatione gravitatem offensę peccati mortalis.

Confirmatur eadem forma, vel quasi forma sive physica, sive moralis, perfectiori modo communicata perfectiorem effectum formalem præstare necesse est.; sed Deitas valorans satisfactionem Xpti, & gravificans offensam peccati mortalis, perfectiori modo morali unitur operibus satisfactoriis Xpti Dni, quam unitur offensę peccati mortalis, ergo moralitas satisfactionis dignior est quam sit indignior moralitas offensę peccati mortalis. explicatur maior, probanda postea minor, quia in communi sententia asserente humanitatem Xpti sanctificari substantialiter a natura divina implicite inclusa in personalitate Verbi, quę sententia supra a nobis stabilita relinquitur, est eadem forma, seu quasi forma, quę sanctificat ipsum Deum in se ipso, & quę sanctificat humanitatem Xpti, & tamen Deum sanctificat per essentiam, humanitatem tamen Xpti per participationem, & communicationem, unice quia perfectiori modo est in Deo, ubi est per summam identitatem, quam in Xpto, ubi est per unionem, & communicationem, ergo est quia eadem forma, seu quasi forma perfectiori modo communicata perfectiorem effectum seu quasi effectum formalem debet communicare, & præstare quę, & alijs exemplis, tum physicis, tum moralibus potest suaderi.

Iam ergo probatur minor quia Deitas communicatur operationibus Xpti Domini per unionem physicam mediatam, & per unionem moralem immediatam, offensę vero peccati mortalis unice communicatur moraliter, physice enim non potest offensa peccati mortalis subiectari in Deo, nec ipsi uniri, ergo moralitas quam prestat Deitas operibus satisfactionis Xpti Dni prestantior est, & perfectiori modo communicatur, quam moralitas quam ipsa Deitas prestatur offensę peccati mortalis.

Denique a posteriori probatur nostra conclusio: quia illa dignitas concedenda est satisfactioni Xpti, quę convenire nequeat satisfactioni purę creaturę. sed esse aliquam satisfactionem superabundantem ab extrinseco, & ex divina acceptatione volente illam ut superabundantem acceptare, supplendo defectum valoris intrinseci, convenire potest satisfactioni purę creaturę; ergo satisfactioni Xpti alia superabundantia est concedenda ad compensandum, & satisfaciendum pro peccatis humani generis. discursus est legitimus. nunc sic subsumo: sed hęc alia superabundantia, quę convenire nequeat satisfactioni, solum est illa quę talis est ab intrinseco, & quę desumitur a valore intrinseco, & in illo fundatur seclusa omni extrinseca acceptatione, ut valorante, vel supplente defectum valoris: ergo satisfactio Xpti Dni attento suo valore intrinseco est super abundans.

§. IV.

Solvuntur argumenta.

Obiicies primo gravitas offensę peccati mortalis adequat in morali æstimatione dignitatem satisfactionis Xpti Dni, ergo satisfactio Xpti Dni licet fuerit ęqualis, seu ęquivalens pro offensa peccati mortalis, non fuit excedens, & super abundans. consequentia infertur, & antecedens probatur, quia gravitas offensę peccati mortalis est infinita simpliciter, ut supra anobis est stabilitum. ergo licet dignitas satisfactionis Xpti sit simpliciter infinita superexcedere non potest gravitatem offensę peccati mortalis. consequentia probatur. quia unum infinitum non potest esse maius alio, neque illud excedere.

Respondeo negando antecedens, & ad probationem concesso antecedenti nego consequentiam. ad cuius probationem distinguo antecedens, unum infinitum non potest esse maius alio, si sunt in eodem genere concedo, in diverso genere subdistinguo, non potest esse maius alio, nec perfectius, nego, precise maius in linea quantitatis, omitto. Dicimus ergo quod licet verum sit quod infinita in eodem genere sint ęqualia, quo pacto omnia peccata mortalia, interse valde diversa, & inęqualia in ratione malitię, sunt omnino ęqualia sub ratione offensę, & similiter operationes Xpti Dni licet inter se discriminentur in ratione substrati, & bonitatis desumptę ab obiecto, sunt tamen ęquales in valore personali, tamen infinita diversi generis

possunt esse inequalia in morali perfectione, imo, & in methaphisica perfectione, quo pacto essentia divina perfectior est attributis. & proinde cum satisfactio Xpti Dni sit infinita in diverso genere, ac infinita est offensa mortalis, inde est quod adest locus ut satisfactio Xpti Dni excedat infinitatem peccati mortalis.

Obiicies secundo si satisfactio Xpti Dni esset ex natura sua, ex predicatis intrinsecis, & attento suo valore intrinseco superabundans, & excedens gravitatem offensę peccati mortalis, sequeretur non posse a Deo iuste exigi in recompensationem illius; sed hoc falsum, iustissime enim exigitur a Deo offenso, ergo non est superabundans. Sequella maioris probatur, quia persona offensa solum potest iuste exigere satisfactionem ęqualem offensę sibi irrogatę, non autem superabundantem; cum ad superabundantem ius non habeat. Respondeo negando sequellam ad cuius probationem distinguo maiorem persona offensa solum potest exigere satisfactionem ~~sibi~~ ęqualem offensę sibi irrogatę, si possibilis est satisfactio quę sit ęqualis, & non superabundans, concedo maiorem, si possibilis non est satisfactio ęqualis quin simul sit superexcedens, nego maiorem, & distincta minori eisdem terminis negatur consequentia. Etenim cum satisfactio ęqualis gravitati offensę prestari non possit, nisi a Persona divina unita naturę intellectuali creatę, & aliunde eo ipso quod satisfactio prestetur a Persona divina in natura creata, non possit non esse superabundans, ideo iuste exigitur a Deo offenso etiam si sit identice superabundans.

Replicabis, si Deus non posset premiare opus meritorium hominis iusti cum premio ęquali merito illius, quin premium superexcederet meritum non posset homo iustus iuste exigere illud premium superexcedens; ergo similiter si satisfactio pro offensa Deo irrogata non est possibilis ut ęqualis, quin simul sit superexcedens, non poterit a Deo iuste exigi in compensationem offensę. Consequentia patet a paritate, & insuper ratione eadem probatur. ideo homo iustus merens stante impossibilitate premii ęqualis suo merito, quin sit superexcedens, non potest iuste exigere illud premium, quia superexcedens, quia iustus non habet ius ad superexcessum quod relucet necessario in illo premio solum possibili iuxta hypotesim; sed similiter Deus offensus ius non habet ad superexcessum relucens necessario in satisfactione Xpti, ergo vel non potest iuste exigi a Deo, vel homo ille iustus merens iuste potest exigere illud premium superexcedens identice, quia aliud supponitur impossibile.

Ill. Godoy huic replicę respondet disp. 6. § 4. n. 78. concesso antecedenti, & negando consequentiam, & rationem disparitatis assignat ex eo quod Deus remunerator meritorum obligari non potest ad hoc ut conferat ex iustitia merenti premium, nisi ęquale, unde cum in hypotesi facta, & disputationis gratia admissa, repugnet

premium equale. & non superexcedens, inde est quod Deus obligari non potest ad conferendum premium illud superexcedens. Contra autem, inquit iste Sapientissimus Episcopus, Cum Deus posit obligare ex iustitia satisfacientem, ad satisfactionem exhibendam pro iniuria sibi irrogata, & in nostro casu repugnet satisfactio equalis, quin sit simul superexcedens, inde est quod Deus ex iustitia potest exigere satisfactionem, etiam si alias identice sit superabundans.

Et instat in sententia communi Theologorum asserentium iustos suis bonis operibus mereri de condigno, & ex iustitia gloriam, & deinde laborant authores sic sentientes in explicando, quomodo et si bona opera iustorum excedantur physice a gloria, non tamen excedantur moraliter, quorum labor, subiungit iste Sapientissimus, esset innanis, si posset remunerator in aliquo casu obligari ex iustitia a merente, ut conferret premium excedens valorem, & dignitatem meriti.

Deinde probat assumptum ex eo quia in nullo casu retributor, seu premiator potest obligari ex iustitia a merente ad conferendum premium, superexcedens valorem, & dignitatem meriti, cuius contrarium, auerit a nullo affirmari.

Sed venia tanti Magistri mihi displicet sua solutio, nec percipi potest vis aliqua, seu discrimen aliquod in disparitate quam intendit assignare, inter Deum ex una parte exigentem iuste satisfactionem alias superexcedentem gravitatem offensę eo quia repugnat satisfactio equalis quin etiam sit superexcedens, & inter hominem iustum merentem ut posit obligare Deum de condigno, & ex iustitia ad conferendum premium superexcedens meritum, in hypotesi quod repugnet premium equale, quin simul sit superexcedens.

Respondes ergo ad replicam negando antecedens, unde si per impossibili, ut in hypotesi facta conceditur, repugnaret premium equale meritis iustorum, quin simul esset superexcedens, posset utique Deus obligari ex iustitia a merente, ut illi conferret illud premium, licet alias identice esset superexcedens. & proinde Xphus obligari potest a Deo ex iustitia, ut ponat in re satisfactionem, etiam si identice sit superabundans, & superexcedens gravitatem offensę peccati mortalis, eo quia Xphus non potest ponere satisfactionem equalem, quin simul sit superexcedens.

Ratio autem utriusque est in promptu. & in primis ius in merente erga Deum ut conferat premium superexcedens in hypotesi quod repugnet equale, quin sit superexcedens probatur. quia merens aliquod verum ius habet contra Deum obligans Deum ex iustitia, quod modo supponi debet ex tractatu de Predestinatione, & concedit Ill. Godoy. & facile etiam ratio assignatur quia non repugnat Deum obligari creaturę ex iustitia, imo de facto sic accidit quandoquidem premiat ex iustitia iuxta illud Apostoli * quam reddet mihi Dnus in illa die iustus Iudex *

gloria ergo iustis confertur a Deo ut iudice. & ut corona seu premium iustitię.

Ratione autem suadetr. quia Deum obligari creaturę ex iustitia non repugnat supremo dominio Dei, quod probatur, quia Deus obligatur ex iustitia per conventionem & pactum Deo liberum, conventione autem facta ex denario diurno ex parte Dei, & ex parte creaturę opere laborioso posito in vinea Domini, creatura ius habet ad denarium, ut constat ex illa parabola Math. c. 20. in qua parabola significatur pactum innitum inter Deum, & creaturas intellectuales quibus promittit gloriam, simbolizatam in illo denario, posita a creaturis observatione laboriosa legis. ergo non repugnat Deum obligari ex iustitia creaturis, ergo creatura aliquod verum ius habet ex stricta iustitia contra Deum. ergo si repugnat premium ęquale quin sit superexcedens, tenetur Deus ex iustitia ad conferendum illud premium superexcedens. probatur hęc ultima consequentia. ideo iuxta doctrinam Ill. Godoy in Deo est verum ius ad exigendam satisfactionem a Xpto, etiamsi alias satisfactio ponibilis a Xpto sit superabundans, quia Xptus ut fideiusor contraxit debitum quod alias erat in creatura propter peccatum ab ipsa commissum, & in Deo semper manet illud verum ius, usque dum extinguatur per satisfactionem, sed in creatura merente, supposita conventione & pacto est verum ius ad premium, & non extinguitur, nisi per premium, ergo si aliunde supponitur quod Deus non habet premium ęquale, quin sit superexcedens, tenetur Deus ad illud premium conferendum, etiam si alias sit superexcedens.

Ubi obiter notandum est hypotesim esse impossibilem, quia Deus in thesauris suę omnipotentię habet premium ęquale pro quocumque merito, iuxta taxationem divinę iustitię, unde si premiat ultra condignum est quia libere vult.

Secundo etiam obiter nota quod ut in creatura detur verum ius contra Deum requiritur necessario pactum ex parte Dei, libere a Deo factum, & promissio ex parte Dei libera, quia si Deus non inneret tale pactum, & faceret ex sua liberrima voluntate illam promissionem iustissime poterat Deus creaturas intellectuales obligare ad exactissimam observantiam legis, & cuiuslibet precepti etiam positivi erga materiam alias indiferentem, & ratio est manifesta, quia Deus est supremus Dominus, & Creator, & titulo creationis, & supremi domini residentis in Deo debet creatura omnes suas actiones liberas consecrare Deo, & illas in obsequium Dei exercere

Et per hoc patet solutio ad instantiam quam affert Ill. Godoy in communi sententia theologorum, insudantium, & laborantium in assignando quomodo gloria quam Deus preparat iustis, cum entitative superexcedat merita iustorum, no obstante

conferatur ex iustitia. & sit premium simpliciter debitum, quia, etsi gloria, & felicitas eterna sit entitative, & phisice superexcedens merita iustorum, v. g. actum amoris Dei super omnia, qui est instantaneus, & brevissimomenti, unde dicitur non sunt condigne passiones huius temporis ad futuram gloriam, que revelabitur, tamen moraliter non superexcedit talis gloria, & felicitas eterna, ratione pacti, & conventionis, conventione enim facta ex denario conferendo posito labore in vinea Domini, ius habetur ad denarium.

Quod potest exemplificari in Rege, seu Principe absoluto, qui ex sua libera voluntate, & liberalitate vellet inire pactum cum suis vasallis, & subditis proponendo in premium dimidium Regni sui. vel aliquod aliud magnum sub conditione victorie in cursu aliquo in stadio, quod premium deberet conferre ex iustitia velociori currenti, & tamen cursus ille phisice sumptus. est inferius in perfectione ad premium, ceterum moraliter & in aestimatione prudentum equivalet premio. & de condigno illud meretur. eo quia Rex ille, seu Princeps absolutus si voluit libere se obligari. sed de hoc plura ad tract. de Merito 1.2. q. 112. & ad tract. de Predest.^e 1. p. q. 22.

Ad ultimum quod dicit quod ~~[illegible]~~ ~~[illegible]~~, a nullo Theologorum affirmatur iustum posse obligare Deum ad conferendum premium superabundans. & excedens, respondeo, verum esse quia loquuntur de premio de facto collato, vel conferendo a Deo, eo quia de facto habet Deus premium equale meritis iustorum, attenta taxatione sue iustitie. Ceterum in hopotesi admissa, contrarium supponitur. unde aliter discurrendum est, ac iuxta illud quod de facto accidit.

Articulus V

Vtrum Satisfactio Xpti Dni fuerit ex toto rigore iustitiæ?

§. I
Prænotantur nonnulla

Dubium præsens non instituitur ad assignandam, & examinandam virtutem specialem iustitiæ, a qua procedat intentio formalis satisfaciendi, seu ipsa satisfactio, de hoc enim postea ~~sed~~ instituetur dubium, sed solum in præsenti intendimus indagare, an fuerit ex toto rigore iustitiæ, præscindendo, an sit ex virtute iustitiæ commutativæ vel distributivæ, vel ex alia?

Pro cuius intelligentia notandum est, quod aliud est esse aliquam satisfactionem æqualem, & condignam, pro compensatione iniuriæ, & offensæ; aliud est esse de rigore iustitiæ, ad primum sufficit condignitas, videlicet quod tantum reddatur, quantum debetur; ad secundum præter istam æqualitatem, requiritur quod satisfactio quæ offertur, taliter offeratur, quod in ea præstanda serventur omnes conditiones strictæ iustitiæ, quas statim annumerabimus, & explicabimus. quo pacto plures theologi licet affirment satisfactionem Xpti Dni fuisse æqualem, & condignam, imo, & superabundantem negant fuisse ex toto rigore iustitiæ.

Ast pro maiori intelligentia, tum quæstionis præsentis, tum conditionum quæ exiguntur ad strictam, & rigorosam iustitiam, habenda est præ oculis diffinitio iustitiæ, quam tradit D. Th. 2. 2. q. 58. ar. 1. ex Digesto veteri lib. 1. tit. 1. leg. 10. quæ sic se habet: * Iustitia est constans, & perpetua voluntas ius suum unicuique tribuendi. * in qua diffinitione ut notat Angelicus Magister, ibidem ad. 1. ly. Voluntas non significat potentiam, sed actum, qui oritur a virtute iustitiæ, unde iustitia sumpta pro habitu est habitus inclinans ad ius suum unicuique tribuendum: ex qua difinitione colligitur quatuor sequentes conditiones esse exactas, ad strictam & rigorosam iustitiam.

§. II
Assignantur conditiones ad strictam iustitiam exactæ

Prima conditio est quod sit ad alterum, ut docet Arist. 1. Ethic. cap. 1. 2. & 8. & D. Th. expresse loco citato ex 2. 2. q. 58. ar. 2. & infertur ex difinitione iustitiæ, quia ad iustitiam requiritur, quod adsint diversa iura, & unumquodque servetur; sed eiusdem ad se ipsum non possunt haberi diversa iura, ut patet. ergo ad strictam & rigorosam iustitiam exigitur quod sit ad alterum.

Vlterius quia stricta iustitia tendit ad æqualitatem servandam, sed eiusdem ad se ipsum non stat æqualitas, cum æqualitas, vel sit relatio realis, quæ versari nequit nisi inter extrema realiter distincta, vel sit fundamentum proximum relationis realis, quod fundamentum cum sit id quod realiter est quod refertur, exigit extremum realiter distinctum cui referatur, ergo est quia stricta iustitia exigit quod sit ad alterum.

Secunda conditio ad strictam, & rigorosam iustitiam est quod non fundetur in gratia creditoris, si namque debitum solvitur ex gratia creditoris remittentis illud, solutio debiti iustitia non est, sed gratia, quæ conditio admittitur communiter a Theologis. hanc conditionem explicat pereleganter Capreolus in 3 dist. 15. q. 3. ar. 1. & Caiet. in hac 3. p. q. 2. ar. 2. & communiter docetur non solum a Thomistis, sed & a Doctoribus Societatis sequentibus. Sarez 3. p. disp. 4. sect. 6. & Vazquez 3. p. disp. 6. cap. 1. & 2.

Tertia conditio ad rigorosam, & strictam iustitiam exacta est quod non sit ex bonis alio titulo debitis; implicat enim debitum aliquid solvi pretio alias debito. explicat hanc conditionem D. Th. in 4. dist. 15. q. 1. ar. 2. ad 3. Scotus ibidem. q. 1. Durand: ibidem. q. 1. Capreolus ibidem. q. 3 & eam tenent communiter Theologi.

Quarta denique, & ultima conditio ad rigorosam iustitiam exacta est, quod sit ex bonis propriis debitoris, & ratio suadet, implicat enim quod aliquis debitum solvat, bonis non suis & super quibus non habet perfectum ius, quod transferre possit sub dominio creditoris. ista conditio docetur a supracitatis Doctoribus, scilicet a D. Th. Scoto, Durando & alijs ibidem, & communiter admittitur a Theologis cuiuslibet scholæ.

§ III

Referuntur sententiæ

Prima sententia docet satisfactionem Xpti Dni non fuisse ex toto rigore iustitiæ. eo quia non habuit aliquam, vel aliquas, vel nullam ex conditionibus, ad strictam, & rigorosam iustitiam exactis, licet alias affirment fuisse perfectam, condignam, & æqualem, imo, & superabundantem pro offensa peccati mortalis. ita Lesius de perfectionibus divinis cap. 2. n. 12. Vazquez 3. p. disp. 7. & 8. Molina 1. p. q. 21. ar. 1. §. 5. Lugo 3. p. disp. 3. Lorca 3. p. disp. 8. & alij extra scholam Angelici Magistri.

Secunda sententia affirmat fuisse ex toto rigore iustitiæ. ita omnes Thomistæ, ut conformius sacris litteris, & veritati eam docuit Capreolus in 4. dist. 15. q. 1. ar 3. Soto in 4. dist. 19. q. 1. ar. 2. Ferrara 4. contra gentes. cap. 55.

quos sequuntur recentiores Thomistæ inter quos sapientissimus Magister Joannes a S.to Thoma 3. p. q. 2. ar. 2. Noster sapientiss. M. Antonius dela Parra 3. p. disp. 1. q. 4. ar. 4. Ill. Godoy 3. p. q. 2. disp. 5. §. 1. M. Gonet. 3. p. disp. 4. ar. 4. Ex alijs tenent hanc sententiam Suarez 3. p. disp. 4. sect. 5. Valentia 3. p. punct. 2. quæsito 4. Hurtado 3. p. disp. 12. & est communior inter Doctores Societatis. ex Scotistis eam tenet Vega in Tridentinum lib. 7. a cap. 1.

§. IV.

Statuitur conclusio authoritate, & ratione.

Sit nostra conclusio hæc ultima & secunda sententia: Satisfactio Xpti Domini fuit ex toto rigore iustitiæ. Probatur primo ex Sacris litteris, sit primum testimonium ex Apost. 1. ad Corint. cap. 1. ubi de Xpto loquens sic ait: * Qui factus est nobis sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio. * & deinde in eadem epist. ad Corint. cap. 6. dicit: * Empti enim estis pretio magno. * sed emptio ad iustitiam pertinet. ergo. Et ad Romanos 5. ait: * Sicut per unius delictum, ita per unius iustitiam liberavit nos Xptus. * & ad Colosenses 2. hæc habet: * Delens quod adversum nos erat chirographum decreti * sed Chirographum quod erat per peccatum adversum nos erat debitum ex stricta iustitia, ergo & deletio per satisfactionem Xpti facta debuit esse ex stricta, & rigorosa iustitia.

Nec valet dicere cum Vazquez omnia hæc testimonia & similia, intelligenda esse methaphorice, & in lata quadam acceptione, quatenus videlicet. solum significent satisfactionem Xpti fuisse æqualem, & condignam, pro offensa, pro qua offertur in pretium.

Non inquam id valet, quia testimonia Sacræ paginæ intelligenda sunt formalissime, & in rigorosa acceptione, ut docet communis regula Theologorum desumpta ex D. Augustino lib. 11. de doctrina Xptiana, si ex rigorosa intelligentia nullum sequitur inconveniens, sed ex stricta, formali, & rigorosa intelligentia nullum sequitur inconveniens, ut ex dicendis constabit. ergo solutio non tenet.

Secundo probatur conclusio ex SS. Patribus. Et in primis D. Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 14. hæc habet: * Xptus superavit Diabolum, non potentia, sed iustitia * quod et docet lib. de Civit. Dei cap. 20. & rursus in Enchyridione cap. 49. hæc habet: * Ut Diabolus veritate iustitiæ, non violentia potentiæ devictus, iustissime amitteret, quos peccati merito detinebat. * idem docet S. Basilius Homilia 25. Cyprianus in exposit.e Symboli. Athanasius lib. de Incarnatione. Anselmus lib. 2. Cur Deus homo. Gregorius Homil. 17 Moralium. Nizenus orat.e Chatecumenorum. cap. 23. ait: * tamquam ex contractu Xptus nos redemit. * Contractus autem ad iustitiam pertinet.

Ratione autem suadetur conclusio. illa satisfactio est talis ex toto rigore iustitiæ, quæ præter æqualitatem habet omnes conditiones exactas ad strictam, & rigorosam iustitiam. Sed satisfactio Xpti Domini est huiusmodi, ergo est ex toto rigore iustitiæ. minor constabit examinando seorsim omnes conditiones exactas ad strictam, & rigorosam iustitiam. & illas adaptando satisfactioni Xpti Domini.

§ V.

Examinatur prima conditio ad strictam iustitiam, & appropiatur satisfactioni Xpti.

Obiicies primo. Ad satisfactionem perfectam de rigore iustitiæ requiritur necessario quod sit ad alterum, sed satisfactio Xpti Domini ad alterum non fuit, ergo non fuit ex toto rigore iustitiæ. maior supponitur ex dictis, & probatur minor, quia satisfaciens fuit Verbum ut in humana natura subsistens, & deinde cui fit, & offertur satisfactio est Deus offensus, sed Verbum, & Deus offensus non distinguuntur, etenim Verbum est Deus. ergo non fuit ad alterum.

Praetermitto solutionem aliquorum asserentium Verbum satisfecisse solummodo Patri, a quo realiter personaliter distinguitur; quo pacto vult solutio ista satisfactionem Xpti fuisse ad alterum.

Prætermitto inquam solutionem istam ut indignam, & improbabilem, quia satisfactio facta fuit, & debuit esse illi qui offensus est, & cui offensa fuit irrogata, sed per peccatum offenditur non solum Pater, sed Deus, & tota SS. & individua Trinitas, etenim per peccatum aufertur a Deo ratio ultimi finis, quæ ratio indivisibiliter convenit Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, sicut & ratio primi principij, iuxta illud *ego sum Alpha, & Omega, principium & finis* ergo satisfactio Xpti Domini fuit facta, & debuit fieri Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, & non solum Patri.

Dices in favorem huius improbabilis solutionis, & asserti, quod in sacris litteris affirmatur satisfactionem Xpti Domini fuisse oblatam Patri, iuxta illa verba Evangelistarum *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* & iuxta illa verba: *Pater si possibile est transeat a me calix iste.* & iuxta illud Pauli ad Ephes. 2. *Per quem habemus accessum ad Patrem.* & iuxta illud Ep. 1. Joann. cap. 2. *Advocatum habemus apud Patrem.*

Sed facile respondetur quod non est novum in sacris litteris attribuere Patri per accommodationem, ea quæ sunt Maiestatis, Potestatis, & Authoritatis, sicut & Filio quæ expectant ad Scientiam, & Sapientiam. & Spiritui Sancto, quæ expectant ad amorem. quin ex hoc liceat

asserere quod Solus Pater facit, quę potestatis sunt, nec quod Solus Filius, quę Sapientię, & Scientię sunt, nec quod Solus Spiritus Sanctus, quę Amoris, cum omnia absoluta sint indivisa, & communia toti Trinitati, & similiter omnia ad extra & omnes operationes ad extra sint toti Trinitati communes, iuxta illud tritum axioma, * in divinis omnia sunt Unum ubi non obstat relationis oppositio * ut docet Angelicus Magister. 1. p. q. 39. ar. 6 & 8. & tenent communiter non dico solum Theologi, Sed & Catholici.

P. Vazquez, quem alii sequuntur, asserit quod Satisfactio est ab humanitate elicitive, non tantum ut quo, sed etiam ut quod, & quod Verbum solum denominative dicitur Satisfaciens. unde sic adest locus ut Satisfactio Xpti Domini sit ad alterum, cum humanitas, quę Satisfactionem proprie elicit realiter distinguatur a Verbo, cui ut Deo fit Satisfactio. Assumptum probat Vazquez, primo ex illo principio phylosofico, suo modo intellecto, & solum iuxta suam intelligentiam certo nimirum, quia Actiones sunt Suppositorum, denominative tantum, & non elicitive. Secundo iuxta subiectam materiam, quia S. Athanasius Epist. ad Epitectum explicat de humanitate illa verba Pauli 1. ad Corint. cap. 1. nimirum: * Factus est nobis Sapientia a Deo, & iustitia, & Sanctificatio, & redemptio. Tertio probat assumptum ex D. Th. in hac 3. p. q. 26. ar. 2. ubi docet Xptum fuisse Mediatorem inter Deum, & homines, non ut Deum, sed ut Hominem. at qui ly ut, est particula reduplicativa, ergo Xptus reduplicative ut homo Satisfecit, ergo ab humanitate est Satisfactio elicitive tam ut quo, quam ut quod.

Sed hec Solutio est falsissima, & continens doctrinam contra bonam Logicam, physicam, & methaphisicam, & quod intolerabilius est contra sanam Theologiam. imo Nazarius 3 p. controv. 3 eam appellat erroneam. sed abstinendo a censura sic illam impugno. & in primis est contra bonam Logicam. quia ut docetur in ea, ut alliqua propositio affirmativa sit vera Subiectum, & predicatum debent Supponere pro eodem. unde ut ista propositio sit vera: * Xptus nos redemit de maledicto Legis * quę est de fide, & prolata ab Apostolo 3. ad Galatas. vel ista * Xptus passus est pro nobis, * quę continetur in Symbolo fidei, vel ista: * Xptus Satisfecit * predicatum, & Subiectum debent Supponere pro eodem, sed Supponere pro eodem est eidem ut quod convenire, seu idem Substractum, seu Subiectum quod, quod est tale respectu Significati formalis Subiecti. esse Substractum, & Subiectum quod respectu significati formalis predicati, ut patet in his propositionibus, homo est risibilis, homo est rationalis, homo est albus, seu in ista album est dulce, Significatum enim formale illius Subiecti homo est humanitas, & significatum formale predicati est

in una visibilitas, in alia rationalitas, in alia albedo. & in ultima, significatum formale subiecti est albedo, & significatum formale predicati est dulcedo, & ut verę sint predictę propositiones requiritur, quod idem substractum quod ut quod est sustentans, vel identificans significatum formale subiecti sit substractum quod sustentans, vel identificans significatum formale predicati, quo pacto abstractum de abstracto non predicatur affirmative in rebus creatis, nec concretum de abstracto, vel econtra, sed solum concretum de concreto.

Nunc sic. sed significatum formale predicati cuiuslibet ex illis propositionibus de fide, est redemptio, passio, vel satisfactio, & substractum est Xpus, homo Deus, seu substractum habens humanitatem, & Deitatem, ergo ut sint verę debet significari quod idem substractum quod est Xpus, seu quod est habens humanitatem & Deitatem simul in una persona, est substractum redimens nos, patiens pro nobis, & satisfaciens, seu est habens passionem redemptionem, & satisfactionem.

Nunc sic ultra. Sed Xpus non supponit pro humanitate, sed pro persona subsistente in natura humana, quo pacto ista est falsa, Xpus est humanitas, & ista vera, Xpus est homo, nec ista est vera Xpus est Deitas, sed ista Xpus est Deus. (nota quod in divinis ratione summę puritatis et abstractionis est verum dicere Deitas est Deus, & econtra. unde ista Xpus est Deitas habet aliquam veritatem de quo modo non disputamus) ergo satisfacere, pati, & redimere non verificatur ut quod de humanitate, ergo humanitas non est quę ut quod operatur in Xpo. hec secunda consequentia deducitur ex prima, & prima ex dictis. & insuper prima docetur a D. Thoma in hac 3 p. q. 16. ar. 1. 2. 5. 9. & 10. ubi docet quod concretum non supponit pro natura sed pro subsistente in natura. ergo predicta doctrina Patris Vazquez est contra bonam Logicam.

Est etiam contra bonam physicam, & methaphysicam, quia illius est proprie, & elicitive operari ut quod cuius est esse ut quod, sed humanitas non habet esse ut quod, sed persona, quę cum sit concretum, supponit pro personalitate ut subsistente in natura, unde rectum personę est subsistentia, & obliquum natura, nam iuxta difinitionem personę traditam a Boetio & admissam communiter persona est Rationalis naturę individua substantia. ergo operationes Xpi Dni sunt elicitive ut quod a Verbo ut subsistente in natura humana, & non solius humanitatis.

Est contra bonam Theologiam quia si agere ut quod conveniret realiter elicitive naturę sequeretur quod esset vera ista propositio: + Deitas generat Deitatem, quod est contra fidem

etenim in divinis solus Pater generat. sicut solus Filius est genitus. unde Joannes Theologus in concilio Florentino sessione 18. § ego affirmavi, ad suadendum quod Divinitas non generat, assumpsit illud principium phylosophicum actiones sunt suppositorum, intellectum utique de vera efficientia, & non tantum denominativa. sicut illud intellexit. & explicuit Angelicus Magister in 1. dist. 5. q. 1. ar. 1. per hec verba: * Actiones sunt suppositorum, & essentia non agit, sed est principium actus in supposito, non enim humanitas generat. sed Sortes virtute suę naturę, in creaturis autem essentia realiter differt a supposito, & ideo nullus actus proprie de essentia predicatur. nisi causaliter. * & per hoc patet ad primum.

Ad secundum respondeo quod quando Athanasius tribuit predicta verba humanitati, solum intendit convenire humanitati ut quo. quia ut quo est nostrę iustificationis. & redemptionis principium.

Ad tertium respondeo, quod quando D. Th. dicit quod Xphus ut homo fuit Mediator inter Deum, & homines, solum intendit denotare quod ut homo, & ratione humanitatis fuit causa nostrę redemptionis. & satisfactionis elicitę a Xpto, ex quo non excluditur quod Verbum ut in humanitate subsistens sit principium quod elicitivum operationum.

Preterquam quod Xphus fuit Mediator inter Deum & homines, non ut homo solum, sicut neque ut Deus solum, sed ut Homo-Deus. quo pacto est Xphus. unde infertur quod ut homo deus fuit principium quod non solum denominative satisfaciens. sed elecitive & proprie.

§. VI

Vera solutio explicatur

Respondetur ergo ad argumentum factum explicando quomodo sit intelligenda ista conditio ad alterum. dicimus quod satisfactioni Xpti Domini convenit esse ad alterum modo sufficienti ut satisfactio sit ex toto rigore iustitię. quia fuit ad alterum alietate naturę, licet non fuisset ad alterum alietate suppositi. & quod iste modus essendi ad alterum sit sufficiens ad rigorem iustitię probatur quia stante alietate naturę, stat necessario alietas iuris. videlicet stat necessario diversum ius in qualibet natura, quod ex eo patet. quia stante alietate naturę stat alietas libertatis, & voluntatis, sed cum alietate voluntatis. & libertatis, stat alietas iuris, ergo stante alietate naturę, stat alietas iuris. maior patet quia stante alietate voluntatis & libertatis. stat alietas dominij. sed stante alietate domini stat alietas iuris. ergo stante alietate voluntatis, & libertatis stat alietas iuris.

Cum autem in Xpto licet non sit nisi unum suppositum, & hoc divinum, sint due naturę, divina scilicet, & humana, & proinde duę voluntates, & proinde duo iura & duo dominia, adest locus ut per operationes creatas, elicitas, ut quo remote ab humanitate, & ut quo proxime a voluntate humana, quę ut quod eliciuntur a supposito ut subsistente in natura humana, possit satisfacere Deo subsistenti in natura divina, & cum Deus subsistens in natura divina sit Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, adest locus ut satisfactio Xpti sit ad alterum licet sit elicitive ut quod a Verbo subsistenti in humanitate.

Dices Aristoteles loco citato ex 1. Ethic. cap. 1. 2. & 6. quando docet quod ad strictam iustitiam requiritur quod sit ad alterum, loquitur de alietate naturę, & suppositi, & nullo modo docuisse sufficere quod sit ad alterum alietate naturę.

Dices secundo quod D. Th. 2. 2. q. 58. ar. 2. in corp. similiter docet quod iustitia est alterum alietate naturę & suppositi. ut patet per hęc verba: * iustitia proprie dicta requirit diversitatem suppositorum, & ideo non est nisi unius hominis ad alium. *

Respondeo ad primum ex Aristotele, quod iste non cognovit nisi iustitiam naturalem, unde solum explicuit quidditatem iustitię quę exerceri potest inter homines. loquebatur enim de iustitia humana quam cognovit, & cum non cognovisset nec potuisset naturaliter cognoscere possibilitatem mysterij Incarnationis mirum non est quod solum explicuisset iustitiam quę exigit cum alietate naturę alietatem suppositorum.

Ad secundum ex D. Th. respondeo, quod in ea questione loquitur de iustitia quę inter homines exercetur, non vero loquitur de iustitia secundum suum conceptum formalem, qualis reperiri potest inter Deum ex una parte, & hominem Deum ex alia, quę stare potest cum diversitate naturę, & identitate suppositi.

Ut patet, & instari potest in hypotesi quod Verbum assumeret duas naturas humanas, staret utique identitas personę, seu suppositi, & tamen ob diversitatem numericam naturarum, inter illos duos homines Deum, seu quorum quilibet esset homo Deus, possent celebrari contractus iustitię.

Secundo instatur in sententia Theologorum asserentium satisfactionem Xpti fuisse ęqualem & condignam, pro offensa, & negantium fuisse de rigore iustitię, quia ad ęqualitatem etiam exigitur distinctio inter extrema ęqualia, eiusdem enim ad se ipsum non datur ęqualitas, ergo satisfactio potuit habere ęqualitatem cum Deo offenso, seu inter satisfacientem, & satisfactum, etiam potuit stare stricta iustitia.

§. VII.

Alia argumenta soluuntur.

Obiicies secundo alietas naturarum non sufficit ut Xptus Dominus sit Filius Dei adoptiuus ratione naturæ humanæ. ergo nec sufficit ad strictam iustitiam. antecedens supponitur. & postea a nobis stabilietur pro conclusione. consequentia autem probatur a paritate facta. deinde ratione. quia ideo non sufficit alietas naturarum cum identitate suppositi in Xpto, ut sit Filius Dei adoptiuus, quia Filiatio est ad alterum, vel alterius sed similiter satisfactio ex iustitia est ad alterum, ergo si alietas naturarum non sufficit ad primum, nec ad secundum sufficere potest.

Respondes concesso antecedenti negando consequentiam. disparitas consistit in quidditate Filiationis, & in quidditate iustitiæ, quæ sunt diversæ. Filiatio enim procedit supponit pro persona. sicut Paternitas, cuius est correlatiua, sicut enim generare est actio suppositi, sicut omnes actiones sunt suppositorum, ita generari est suppositi, seu personæ, & cum in Xpto persona sit Filius Dei naturalis, non adest locus ad filiationem adoptiuam. ad iustitiam autem solum requiritur quod stare possit diversitas iurium, & cum in Xpto sint duæ voluntates, sunt duæ libertates, & proinde duo dominia, & duo iura, unde cum diversitate naturarum etiam si alias sit identitas suppositi, quia solum datur una persona, inde est quod datur locus ut satisfactio sit sufficienter ad alterum, ut sit ex toto rigore iustitiæ.

Obiicies tertio.

Si in satisfactione Xpti sufficeret alietas naturæ ut esset ex toto rigore iustitiæ ~~[illegible]~~ requireretur quod inter Xptum satisfacientem, & Deum offensum, cui fit satisfactio esset sufficiens distinctio, ut inter se daretur relatio realis æqualitatis, vel superabundantiæ. sed ad talem relationem stabiliendam sufficiens distinctio non datur. ergo esse talem satisfactionem inter Verbum ut in natura humana subsistens, quo pacto est satisfaciens, & inter Verbum, & Deum ut in natura divina subsistentem. quo pacto est cui fit. & offertur satisfactio non sufficit, nec est sufficiens alietas ut satisfactio Xpti Dni sit ex toto rigore iustitiæ. Maior videtur nota. quia extrema iustitiæ, præsertim commutatiuæ qualis est iustitia perquam Xptus elicuit satisfactionem, ut dicetur postea. sunt extrema vere exigentia relationem realem æqualitatis perfectæ.

Probatur ergo minor quia illa duo extrema, satisfaciens, & offensus referantur relatione reali æqualitatis, requiritur quod fundamentum proximum harum relationum referantur per prius quam subiecta relata. ut docetur in Logica; sed fundamenta referri nequeunt; ergo neque extrema, seu subiecta. cætera patent, & probatur minor, fundamentum ex una parte est actus satisfactorius; et ex alia

est offensa mortalis, sed ista non possunt referri, ergo fundamenta referri nequeunt. probatur minor ut fundamenta, seu extrema referantur debent habere diversam rationem fundandi, ut patet inter duo alba, vel inter numerum ternarium, v.g. & numerum alium etiam ternarium. sed talia extrema non habent diversam rationem fundandi, cum sit eadem divinitas. ergo talia extrema referri nequeunt.

Ad solutionem notandum est quod in qualibet relatione aliud est subiectum, quod refertur, aliud fundamentum, aliud ratio fundandi, aliud relatio. ut patet in relationibus primi & secundi generis, & in tertio genere presertim in relationibus mutuis. & in nostro casu subiecta que referuntur est Deus homo satisfaciens, & Deus ut est ipse offensus, cui satisfactio offertur. fundamentum in uno extremo est satisfactio, & in alio offensa, ratio autem fundandi est Divinitas valorans satisfactionem & gravificans offensam.

Quo supposito respondeo. distinguendo maiorem requiritur quod detur relatio realis, mutua nego maiorem, non mutua concedo maiorem, & distinguo minorem eodem modo, & nego consequentiam. Deus enim offensus non potest referri relatione reali, eo quia talis relatio, que accidens est reciperetur in Deo, & Deus incapax est relationis realis create & accidentaliter advenientis. cuius est capax Xpus ratione nature humane. unde & si creature referantur ad Deum relatione reali subiicibilitatis, Deus non refertur ad illas relatione reali dominii.

Dices ad minus fundamenta referuntur etia si subiecta mutuo non referantur, sed unico, unum subiectum, nempe Xpus. = Respondeo concedendo assumptum, referuntur enim satisfactio, & offensa. & proinde ad probationem minoris, respondeo concessa maiori negando minorem, & similiter ad probationem concedo maiorem, & nego minorem. & ad probationem distinguo maiorem debent habere diversam rationem fundandi, formaliter, concedo, diversam entitative nego & distinguo minorem eodem modo & nego consequentiam. etenim & si Divinitas sit ratio fundandi in actu satisfactorio, & in offensa, tamen fundat alio & alio modo, nam in satisfactio ne fundat ut unita physice mediate, & moraliter immediate, & in offensa, ut unita moraliter solum, imo, & unio moralis est diversa, nam satisfactioni unitur moraliter dignificative, & proinde affective, ~~satisfa~~ offense autem unitur moraliter gravificative, & proinde aversive, que diversitas est maxima, & toto coelo distans.

Replicabis ex alio capite sequi ex ista solutione non posse referri ad invicem duo actus satisfactorii Xpi Dni, nec duo peccata mortalia, cum utrobique sit eadem ratio fundandi, & eodem modo communicata.

Respondeo, distinguendo sequellam, duo actus satisfactorii non possent referri, attento valore personali concedo, attento valore obiectivo, & attenta bonitate morali nego. & similiter peccata mortalia, in ratione offense non possunt referri relatione reali, sed tantum relatione rationis, in ratione autem malitie, referri possunt. & de facto referuntur relatione reali, equalitatis, vel excessus, seu inequalitatis.

§. VIII.

Explicatur secunda conditio ad veram, & rigorosam iustitiam exacta, & applicatur satisfactioni Xpti Domini.

Obiicies quarto contra nostram conclusionem: Vt satisfactio Xpti Dni fuisset ex toto rigore iustitię, requiritur quod non fundetur in gratia Creditoris. Sed fundatur. ergo non est ex toto rigore iustitię. maior supponitur ex dictis, probatur ergo minor: quia satisfactio Xpti Domini fundatur in gratia Vnionis facta humanitati, & in auxilijs collatis ad eliciendos actus satisfactorios, quę omnia gratiose conferuntur a Deo creditore. ergo.

§. IX.

Aliquæ solutiones impugnantur.

Diversimode occurrunt huic argumento Theologi. quidam respondent quod gratia quę obstat ad strictam, & rigorosam iustitiam, est gratia illa, quę facta est a Creditore ex intentione, & motivo satisfactionis, & deinde asserunt, quod gratia unionis, & alię gratię factę humanitati Xpti Domini, non fuerunt factę ex intentione, fine, & motivo, satisfactionis, sed alijs titulis, & motivis, videlicet liberalitatis, & ostensionis suorum attributorum.

Sed hęc solutio potius auget, quam solvat difficultatem, cum solo asseratur gratiam unionis, & auxilia ad actus satisfactorios eliciendos, non fuisse collata ex motivo, fine, & intentione satisfaciendi, cum in nostra, & communi Thomistarum sententia, Verbum factum fuit homo propter nos homines, & propter nostram salutem, unde stabilitum relinquimus quod Adamo non peccante Xpus non veniret.

Secundo respondent alii, quod gratia facta a Creditore, quę obstat ad strictam, & rigorosam iustitiam, est gratia concomitans satisfactionem, non vero illa quę satisfactionem antecedit, quod explicant exemplo. Si Petrus v.g. antequam Paulus illi aliquid debeat, donet gratis eidem Paulo centum numos. v.g. potest Paulus cum illis centum solvere ex iustitia centum quę mutuo accepit ab eodem Petro, vel quę ex contractu emptionis, & venditionis illi debeat. — imo si Paulus debeat centum Paulo, vel ex mutuo vel ex alio contractu, potest illa solvere cum centum alias donatis a Creditore, dummodo illa non donasset ex intentione ut cum illis solvat.

Sed nec ista solutio placet, quia satisfactio Xpti Dni fundatur in gratia non solum facta antecedenter, ad satisfactionem, sed & concomitanter, ut patet in auxilijs gratiose collatis ad eliciendam satisfactionem, & insuper, talis gratia tum antecedens, nempe unio hypostatica, tum concomitans facta est ex intentione, & fine satisfactionis, ad hoc enim Verbum assumpsit humanitatem, & dando auxilia.

§ X

Vera solutio explicatur.

Relictis ergo illis dicendi modis, dupliciter occurrendum est argumento facto, primo distinguendo maiorem. requiritur quod non fundetur in gratia creditoris, in gratia supplente defectum valoris in satisfactione, vel in gratia acceptante satisfactionem supra valorem ipsi satisfactioni intrinsecum, concedo maiorem; requiritur quod non fundetur in gratia supponente in satisfactione valorem nego maiorem, & distinguo minorem eisdem terminis & nego consequentiam. Explicatur solutio. Gratia creditoris dupliciter potest comparari ad satisfactionem, uno modo supplendo defectum valoris, quia satisfactio intrinsece non esset tanti valoris quanti est gravitas offensae, vel acceptando opus satisfactorium supra valorem ipsi intrinsecum, alio modo supponendo in satisfactione valorem, imo illum causando & producendo; prima gratia obstat satisfactioni de rigore iustitiae, non secunda.

Gratia autem Unionis facta humanitati Xpti causat formaliter in opere satisfactorio Xpti valorem intrinsecum, cum illud constituat infiniti valoris, & deinde auxilia gratiose collata ad eliciendam satisfactionem, non dant nec causant valorem in satisfactione, cum iste sumatur a deitate, unde satisfactio ex se & ratione valoris intrinseci adequat imo superabundat gravitatem offensae. ac proinde non est gratia obstans ad rigorem iustitiae. Sicut voluntas principis valorat monetam, at semel gratiose valorata potest vasalus solvere ex iustitia debitum quod habet ad Principem.

Secundo responderi potest alia solutione, distinguendo etiam maiorem requiritur quod non fundetur in gratia Creditoris, facta satisfacienti ut quod concedo maiorem, facta satisfacienti ut quo nego maiorem & sub eisdem terminis distinguatur minor, & negetur suppositum, & deinde consequentiam. Explicatur solutio, et est satisfaciens quod, & quo, illud est Verbum ut subsistens in natura humana seu Deus homo; istud est humanitas. quae utique est principium quo satisficiens quod elicit satisfactionem, licet autem satisfactio Xpti fundetur in gratia facta satisfacienti ut quo, seu ut formalius loquar facta principio quo satisfactionis, non tamen fundatur in gratia facta satisfacienti ut quod, videlicet Deo homini, quia est in capax recipiendi gratiam, cum sit Deus, quo pacto dixi quod negetur suppositum in minori.

Replicabis Verbum ut subsistens in natura humana, qua ratione est satisfaciens ut quo est capax gratiae, ergo tenet suppositum, & solutio est nulla. ans probatur. quia prout sic est subiectum praedestinationis, & praedestinatio est gratia.

Respondetur negando ans, & ad probationem respondeo admissa maiori distinguo, & explico minorem, praedestinatio est gratia, facta humanitati simpliciter, concedo, facta Verbo, seu personae pro recto personae nego minorem, & consequentiam.

§. XI.

Explicatur tertia conditio ad veram & rigorosam iustitiam exacta, & adaptatur satisfactioni Xpti Domini.

Obiicies quinto: Vt sit ex toto rigore iustitię requiritur quod non sit ex bonis alio titulo debitis, sed satisfactio Xpti Dni fuit ex bonis alio titulo debitis; ergo non fuit ex toto rigore iustitię. maior supponitur ex dictis, & probatur minor: quia satisfactio Xpti Dni fuit debita Deo creditori, titulo creationis, titulo conservationis, titulo Dominij, titulo Religionis, titulo gratitudinis, &c. ergo.

§. XII.

Aliquae solutiones referuntur, & impugnantur.

P. Suarez, quem alii sequuntur respondet distinguendo maiorem, riquiritur quod sit ex non debitis, alio titulo iustitię, concedit, alio titulo alterius virtutis, negat. & distinguit minorem eodem modo, & negat consequentiam. dicit ergo quod quando tituli sunt pertinentes ad alias virtutes distinctas a vera iustitia, non multiplicant materiam, sed possunt supra eamdem materiam cadere, & proinde unica solutione solvi possunt, vt patet si quis debeat Ecclesię centum ex mutuo. v.g. & postea vovat se soluturum esse illa centum, satisfacit unica solutione debito, tum contracto ex iustitia, ratione mutui, tum contracto titulo Religionis, ratione Voti.

Sed hęc solutio, & si aliquatenus accedat ad veritatem, non satisfacit, quatenus illam limitat ad debita diversa orta ex iustitia, & ex alijs virtutibus. quia etiam si debita oriantur ex pluribus titulis diversarum virtutum, quarum quęlibet sit perfecta iustitia, possunt unica solutione solvi, si cadunt supra eamdem materiam. assumptum patet. vt si quis debeat alicui centum, v.g. titulo mutui, & deinde promittat se soluturum illa centum. tali tempore, & creditor acceptet promissionem, debitor tenetur duplici titulo strictę iustitię solvere illa centum, quia vt docet communis Theologorum sententia licet promissio non acceptata, solum inducat obligationem ex fidelitate, tamen acceptata inducit obligationem ex iustitia; & tamen unica solutione solvit utrumque debitum, ergo vanum est recurrere ad distinctionem debiti, quod licet sub pluribus rationibus diversarum virtutum debeatur, tamen sub unico titulo iustitię debetur.

P. Puente Hurtado, cum alijs ex eadem Societate, asserit 3. p. disp. 12. § 180. quod vt aliqua satisfactio sit ex toto rigore iustitię sufficit quod sit ex bonis alio titulo indebitis proxime, licet sint remote ex alio titulo debitis. & deinde asserit quod etsi quodlibet opus satisfactorium Xpti Domini

posset pluribus titulis proxime exigi a Deo; tamen de facto opera bona Xpti Domini non fuerunt postulata per Deum a Xpto pluribus titulis proxime, unde cum solum proxime fuissent debita ad satisfaciendum divinae iustitiae, potuerunt esse ex toto rigore iustitiae.

Sed haec solutio sustineri nequit. quia voluntarie omnino, & falso affirmatur opera Xpti Domini bona, & meritoria, non fuisse postulata per Deum a Xpto nisi ad satisfaciendum divinae iustitiae; proxime enim debebantur pluribus titulis, videlicet titulo obedientiae, ob stridum praeceptum impositum a Patre Xpto. ut tenet verior sententia, quam etsi ille neget, tamen negari non potest debitum proximum obedientiae late, & debitum proximum titulo religionis, & aliorum virtutum.

Reverendissimus P. M. Joannes a Sancto Thoma, & SS. Nazarius, & alij. asserunt quod operationes liberae Xpti Dni habuerunt plures infinitates, nempe furum infinitae in ratione obedientiae. in ratione cultus, in ratione gratitudinis, in ratione iustitiae, & in ratione cuius libet virtutis, & proinde Xptus Dominus potuit cum illis solvere quodcumque debitum, ex quocumque titulo.

Sed nec ista solutio placere potest. quia operationes Xpti Domini potuerunt exigi per Deum a Xpto secundum omnes suas infinitudines, titulo Creationis, conservationis, & supremi dominij. ergo si obstat ad rigorem iustitiae quod sit ex debitis alio titulo, frustraneum est confugium ad omnes illas infinitudines.

§. XIII

Vera solutio explicatur

Duplici solutione occurri potest argumento facto. Respondetur primo distinguendo maiorem, ut sit ex iustitia satisfactio debet esse ex alias non debitis, si debita omnia cadant supra eamdem materiam, & illam non multiplicant. nego maiorem, si debita non cadunt supra eamdem materiam, & illam multiplicant concedo, & distinguatur minor eisdem terminis, & neganda est consequentia. Solutio iam patet exemplis supra datis.

Respondetur secundo, etiam distinguendo maiorem. debet esse ex alias indebitis a satisfaciente ut quod, concedo, a satisfaciente ut quo nego & distinguatur minor eodem modo, & negetur consequentia. Explicatur solutio: & est satisfaciens quod. & quo, ille est eliciens ut quod satisfactionem, Xptus, Deus homo. istud est humanitas, principium ut quo eliciens satisfactionem, videlicet Deus homo. est incapax debiti adequate sumptum, & cum adequate sumptum, idest ut Deus homo. sit satisfaciens. satisfacit proinde ex proprijs, & indebitis, licet inadequate ut homo. & ratione humanitatis, quo pacto potius est satisfaciens quo, quam quod, cum ut quod non sit solus homo, sed homo Deus appositive, & in recto.

§ XIV

Explicatur quarta conditio, & appropiatur satisfactioni Xpti Domini

Arguitur Sexto. Satisfactio de rigore iustitiæ talis, petit fieri ex bonis propriis ipsius debitoris. Sed operationes satisfactoriæ in Xpto Domino ut satisfaciente, non erant propriæ sub dominio illius. ergo satisfactio non fuit ex iustitia stricta. maior supponitur, & probatur minor, quia operationes Xpti Domini sicut quælibet res creata fuerunt sub perfectissimo dominio Dei creditoris. etenim sicut omne ens creatum nequit subterfugere causalitatem Dei ita nec potest non esse sub dominio ipsius Dei. ergo non potuit satisfacere ex propriis.

§ XV

Quidam modus dicendi impugnatur

M. Vincentius, & alij cum ipso respondent operationes Xpti Dni posse considerari in fieri, & in facto esse. & ut reflectuntur supra ipsum Verbum. Si considerantur in fieri, & ut reflectuntur supra ipsum Verbum docet iste modus dicendi, sunt propria ipsius Xpti, si autem considerantur in facto esse, non sunt propria illius. sed sunt perfecte, sub supremo dominio Dei.

Sed hic modus dicendi defendi non potest. quia etiam in fieri, & sub illa reduplicatione sunt quid creatum, & proinde continentur sub causalitate Dei, ergo & sub supremo Dei dominio.

§ XVI

Vera solutio stabilitur

Respondetur satisfactio Xpti Domini licet fuisset sub dominio universali Dei, erat tamen ratione suæ libertatis particularis, sub particulari eius dominio, & ut satisfactio sit ex toto rigore iustitiæ non obstat quod sit sub dominio universali Creditoris, dummodo debitor habeat dominium utile, & particulare. Quod exemplo fit manifestum, quia licet Princeps quilibet absolutus habeat dominium universale super fundum sui Principatus, vel Regni, hoc non obstat ut Vasallus possit celebrare contractus ex iustitia cum Principe, transferendo in Principem ius, & dominium utile, & particulare possessionis, quæ est in fundo talis Principatus.

Iuxta quam doctrinam respondetur distinguendo maiorem satisfactio debet esse ex bonis propriis, secundum dominium, & ius particulare concedo. secundum ius, & dominium etiam universale, nego, & distinguo minorem eodem modo, & nego consequentiam.

§ XVII

Solvitur quoddam argumentum contra conclusionem

Obiicies denique specialiter contra conclusionem. Si satisfactio Xpti Dni fuisset ex toto rigore iustitiæ induceret in Deo obligationem ad illam acceptandam, sed talem obligationem non inducit, ergo non fuit ex toto rigore iustitiæ. probatur maior, probanda postea minor. quia debitor habet ius, ut posito ab ipso pretio cum omnibus requisitis ad strictam iustitiam acceptetur, & solvatur debitum. ergo vera est maior. Iam ergo probatur minor. quia si Deus teneretur ex iustitia ad acceptandam satisfactionem videtur quod derogaretur suo supremo dominio, esset enim Deus debitor & satisfaciens haberet ius contra Deum.

Respondeo primo concedendo maiorem, & negando minorem, & ad eius probationem negando assumptum. pro qua doctrina stabilietur postea ex professo disputio.

Respondeo secundo prescindendo ab eo quod Deus possit vel non possit obligari ex iustitia, negando exterminis maiorem, & ratio est. quia licet frequentius sit verum quod resultat obligatio in creditore ad acceptandam satisfactionem, quæ talis est de rigore iustitiæ & servandis omnibus legibus, tamen hoc non est simpliciter necessarium attenta natura satisfactionis secundum se. Quia iustitia habet medium rei, & pro inde invariabile, ad differentiam aliarum virtutum, quæ habent medium rationis, & pro inde in re variabile, iuxta magis vel minus, unde iustitia sive varientur extrema, interque versatur, manet invariata, unde aliquis potest exercere actum iustitiæ erga alterum debitum solvendo, v.g. vel sententiam proferendo, sive alter acceptet, vel non acceptet, sive sciat, sive nesciat quod debitum est solutum, & in deposito iuridice collocatum, ergo ad satisfactionem ex stricta iustitia non requiritur necessario quod inducat obligationem in creditore ad illam acceptandam.

Respondeo tertio. negando etiam maiorem, & ad eius probationem distinguo antecedens. inter homines resultat in creditore illa obligatio transeat. vel concedo. in Deo creditore nego maiorem quia est probabilis sententia negans in Deo obligationem ex iustitia proprie commutativa.

Articulus VI

Vtrum intentio formalis satisfaciendi in Xpto Dño sit elicitive a virtute iustitiae?

§. 1

Praenotantur aliqua

Pro questionis presentis intelligentia, unum ut certum supponimus, & aliud in examen vocamus. Supponimus enim Xptum Dominum satisfecisse per actus omnium virtutum, videlicet, per actus Charitatis, Obedientię, Religionis, humilitatis, & aliarum, & proinde actus isti elicitive fuerunt non a virtute iustitię, sed illorum quilibet elicitus fuit a sua propria virtute. Quod ergo in examen vocamus est an propositum, & intentio formalis satisfaciendi, per quam intentionem actus aliarum virtutum imperantur quatenus satisfactorij sunt, sit elicitive ab aliqua speciali virtute, & quę sit iustitia.

Secundo supponendum est actus morales duobus modijs posse esse satisfactorios, vel tantum materialiter, vel etiam formaliter. esse materialiter tantum satisfactorium est esse actum liberum & moraliter bonum & obsequiosum, licet non factum ex motivo satisfaciendi; esse vero formaliter satisfactorium, est esse factum in obsequium, & ex proposito, & motivo satisfaciendi, quod potest exemplificari, in actu obedientię, qui ut sit actus obedientię materialiter tantum sufficit, quod sit iuxta preceptum superioris, at vero ut sit obedientia formaliter exigitur quod ponatur actus preceptus ex motivo, proposito, & fine se conformandi cum precepto. Vt patet quando quis ieiunat, vel sacrum audit, in die in quo est obligatio, sine reflexione ad preceptum, & obligationem, revera adimplet preceptum, & non ponit actum obedientię formalis, si autem ieiunat, & sacrum audit ex motivo se conformandi precepto exercet actum obedientię formalis. In presenti ergo non disputamus de satisfactione materialiter accepta, sed de satisfactione formaliter sumpta & pro inde in titulo articuli queritur de intentione formali, quandoquidem supponimus satisfactionem materialiter acceptam poni per actus ab omni virtute elicitos.

Vlterius supponendum est actus elicitos a quacumque virtute, imperari posse ab alia virtute, imo, & a pluribus ut patet & in Xpto, & in nobis. quilibet enim actus cuiusvis virtutis moralis, imperari potest a Charitate, vel ab Obedientia, vel a Religione, & e contra, & simul ab omnibus potest imperari. Vna quęque enim virtus ex motivo, & fine sui obiecti imperat actus aliarum. v.g. Charitas ex motivo diligendi Deum super omnia, imperat actus aliarum virtutum, & Obedientia, ex motivo se conformandi cum precepto. quo pacto suam passionem, & mortem,

sustinuit Xptus Dominus, et ex motivo Charitatis, iuxta illud Joannis 15 * Maiorem Charitatem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis * & ex motivo obedientiæ, iuxta illud Apost. ad Phylip. 2 * factus obediens usque ad mortem * & ex motivo iustitiæ, reparandi videlicet ius divinum læsum per peccatum, iuxta illud Isaiæ 53. Si posuerit animam suam pro peccato videbit semen longævum. videatur D.T. 2.2. q. 81. ar. 4. ad 1.

Punctus ergo difficultatis, consistit in indagando principio elicitivo intentionis formalis satisfaciendi in Xpto, an nimirum sicut in homine in veriori Theologorum sententia datur specialis virtus, quæ dicitur, & est Pænitentia, quæ realiter distinguitur ab omni alia virtute, a qua pænitentia oritur elicitive propositum, & intentio formalis satisfaciendi, & si imperfecte, & a qua actus aliarum virtutum, ut sunt formaliter satisfactorij imperantur, sic etiam in Xpto, detur aliqua specialis virtus, quæ sit iustitia, quæ elicitive producat propositum, & intentionem formalem satisfaciendi, & constituendi æqualitatem inter satisfactionem, & offensam, & a qua actus aliarum virtutum, ut formaliter satisfactorii, imperentur?

§. II.

Referuntur sententiae.

Circa presentem difficultatem duæ versantur sententiæ, prima est negativa, & docet intentionem formalem satisfaciendi a nulla speciali virtute iustitiæ fuisse elicitive, ita omnes Theologi qui docent satisfactionem Xpti Dñi non fuisse de toto rigore iustitiæ = Insuper tenent hanc sententia alij qui etsi doceant fuisse de toto rigore iustitiæ, ad tale propositum seu intentionem, negant tamen specialem virtutem iustitiæ. ita M. Vincentius ex dominicana familia Primarius Salmantinus in relectione de Gratia Xpti. q. 5. dub. 1. concl. 2. & P. Vazquez de Incarnat. disp. 7. cap. 6. num. 47.

In assignando autem principium elicitivum propositi, & intentionis formalis satisfaciendi discriminantur, nam M. Vincentius docet principium elicitivum illius esse virtutem Religionis. P. Vazquez autem nullam virtutem specialem ad talem intentionem eliciendam sed asserit satisfactionem fuisse ab omni virtute, & per omnes actus cuiuscumque virtutis fuisse positam satisfactionem.

Secunda sententia est affirmativa, & docet intentionem formalem satisfaciendi elicitive fuisse a virtute aliqua speciali, quæ est proprie iustitia, fuisse autem iustitiam commutativam iustitiam, vel distributivam, vel aliam, examinabitur in alio articulo. docet ergo hæc sententia tale propositum elicitum a virtute iustitiæ imperasse actus omnium aliarum virtutum ut satisfactorios. hanc sententiam tenent communiter thomistæ, & qui docent satisfactionem Xpti Domini fuisse de toto rigore iustitiæ, unde in longum esset illos recensere.

§. III

Statuitur prima conclusio

Sit prima conclusio: Propositum, seu intentio formalis satisfaciendi oritur in Xpto elicitive ab aliqua virtute speciali distincta specifice athome ab omni alia virtute.

Hæc conclusio directe militat contra sententiam P. Vazquez. & sic probatur: Ad omnem actum speciali honestate morali gaudentem, constituenda, & assignanda est aliqua specialis virtus, quę ut principium illum eliciat. Sed intentio formalis, seu propositum formale satisfaciendi in Xpto, pro peccatis humani generis est actus bonus moralis speciali honestate morali gaudens, ergo constituenda, & assignanda est aliqua specialis virtus distincta specifice athome ab omni alia virtute, quę ut principium illum eliciat. Maior est principium universale, quo utitur Sacra Theologia, ex Methaphysica ad probandam existentiam cuiuslibet virtutis moralis, & Theologicę, & simul ad suadendam distinctionem athomam, & specificam virtutum inter se. Sicut similiter Methaphysica ex eodem principio probat existentiam, & distinctionem specificam scientiarum inter se. ex eo videlicet quia ad omnem actum speciali veritate gaudente, debet assignari aliquis specialis habitus scientificus, qui illum eliciat. & ratio omnium est quia si actus quilibet sive de linea intellectus, sive de linea voluntatis, & aliarum potentiarum, specificatur ab obiecto, ita habitus, vel virtus specificatur ab actu.

Minor vero probatur: primo quia in obiecto seu motivo formali prędicti actus resplendet aliqua specialis honestas, quę non respicitur formaliter ab omni virtute. ergo talis actus speciali honestate morali gaudet.

Secundo quia intentio formalis satisfaciendi creaturę pro iniuria ipsi creaturę factę est actus moralis speciali honestate morali gaudens, ergo intentio formalis satisfaciendi Deo pro offensa & iniuria ipsi Deo facta est actus speciali honestate morali gaudens.

Tertio quia hominem velle satisfacere Deo, modo quo homo potest, videlicet imperfecte, est intentio, seu actus speciali honestate morali gaudens, specificans virtutem specialem, videlicet habitum pœnitentię: ergo Xphum velle satisfacere Deo perfecte pro offensa peccatorum mortalium generis humani, est actus gaudens speciali honestate. antecedens est communis doctrina Theologorum, & cum illis affirmat P. Vazquez 3. p. q. 85. ar. 2. dub. unic. Consequentia autem probatur tum paritate facta. & insuper ratione, quia ideo illa intentio in homine puro specificat habitum pœnitentię, quia talis actus gaudet speciali honestate quę formaliter non respicitur ab aliqua alia virtute; sed similiter in Xpto. ergo.

§. IV.

Responsiones ad hanc rationem confutantur.

Dices cum P. Vazquez Xptum Dnum satisfecisse per actus omnium virtutum, ergo non est constituenda in Xpto Dno aliqua specialis virtus ad eliciendam satisfactionem seu intentionem formalem satisfaciendi, ans est certum, & consequentia probatur ex eodem principio quo nos usi sumus, videlicet quia actus est a quo specificatur habitus, seu virtus, ergo actus pertinens ad omnes virtutes, seu actus qui elici potest ab omni virtute divisive, specificare non potest aliquam specialem virtutem.

Dices secundo, quod ideo in nobis datur habitus specialis virtutis ad satisfaciendum, videlicet pœnitentia, quia in nobis post peccatum adest debitum, & obligatio satisfaciendi, modo quo possumus nempe imperfecte. Sed in Xpto tale debitum, seu obligatio satisfaciendi pro nobis, non adest, ergo non est necessario constituenda in Xpto, aliqua specialis virtus ad satisfaciendum.

Sed contra & respondeo ad primum distinguendo antecedens, Xptus satisfecit per actus omnium virtutum, materialiter, concedo, formaliter nego ans. & consequentiam. Explicatur solutio, & simul instatur argumentum, in virtute obedientiæ. est enim certissimum, quod per actus cuiuslibet virtutis ponitur obedientia actus præcepti, v. g. est præceptum de dilectione Dei super omnia, de Deo colendo, de veritate dicenda quando loquitur, de humilitate, de abstinentia seu ieiunio, & sic de alijs. Si autem quis ponat actum charitatis, obeditur primo præcepto, si actum religionis, secundo, si veritatem seu actum veracitatis tertio, & sic de alijs. verum quia ponendo istos actus solum exercetur obedientia materialis, ideo ad ponendum actum obedientiæ formalis, seu ad amandum, & colendum Deum ex motivo obedientiæ, & se conformandi cum præcepto ponitur a Theologis virtus quædam specialis, nempe obedientia, a qua elicitur propositum, & intentio formalis obediendi in quacumque materia. Sic ergo similiter discurrendum est necessario in satisfactione, & intentione formali satisfaciendi. & per hoc patet ad probationem consequentiæ, intentio enim formalis satisfaciendi non est actus potens elici a quacumque virtute divisive sumpta, sicut nec intentio formalis obedientiæ.

Ad secundum respondeo negando causalem in maiori assignatam, sed ideo ponitur in nobis virtus specialis videlicet pœnitentia ad eliciendam satisfactionem modo quo possumus, nempe imperfecte. Causalis ergo adæquata, est quæ iam assignata est, quia nimirum intentio formalis satisfaciendi est actus speciali honestate morali gaudens. etenim ad eliciendum actus, qui non cadunt sub præcepto, sed sub consilio, & proinde actus quorum elicientia non cadit sub obligatione, si fieri volunt ex motivo se conformandi consilio,

ad eliciendum illud propositum formale. Seu istam intentionem formalem de illis eliciendis ex fine & motivo aquiescendi consilijs requiritur etiam specialis virtus, videlicet ipsa virtus obedientiæ late sumpta. ergo non ideo ponitur in nobis virtus pœnitentiæ ad eliciendam satisfactionem quia post peccatum adest vel non adest obligatio satisfaciendi. Ratio ergo a priori est, quia quando actus habet specialem honestatem moralis connaturalis modus operandi exigit principium connaturale ad illius elicientiam, unde & si posset fieri medio auxilio speciali transeunte, tamen iste modus non est connaturalior, & perfectior quando dari potest principium permanens connaturaliter elicitivum illius actus. & cum in Xpto debeamus assignare perfectiorem modum operandi. ideo ad eliciendam intentionem formalem satisfaciendi ponenda est virtus, seu habitus specialis permanens. Sicut ponitur ad obediendum formaliter.

Secundo defficit secunda replica in propositione minori quatenus asserit in Xpto Dno non fuisse obligationem satisfaciendi pro nobis, quia Xpus titulo Fideiussoris, quem titulum supra se voluntarie admisit, habuit obligationem eandem quæ inerat hominibus. ergo ex isto capite etiam si admitteretur illa falsa maior, non infertur argumenti intentum.

§. V.

Proponitur speciale. & difficile argumentum.

Obiicies: In iustis non datur virtus specialis, a qua oriatur elicitive intentio formalis merendi, ergo neque in Xpto est necessaria aliqua specialis virtus, a qua oriatur elicitive intentio formalis satisfaciendi. Antecedens communiter admittitur a Theologis, & ratio est quia ratio meriti includitur in omnibus operibus liberis, & bonis moraliter, & ad formalitatem inclusam in omnibus operationibus cuiuscumque virtutis non potest dari virtus specialiter illius elicitiva. & consequentia infertur a paritate, & ratione iam insinuata dando rationem illius doctrinæ.

Nec effugies difficultatem. Si dicas quod licet satisfactio materialiter sumpta includatur in omnibus operationibus meritorijs, tamen intentio formalis satisfaciendi includi nequit in illis, non inquam effugies difficultatem si hoc dicas, quia etiam si meritum includatur in qualibet operatione bona, tamen intentio formalis merendi in illis non includitur, ergo etsi ad istam intentionem formalem merendi eliciendam non datur in iustis aliqua virtus specialis, nec ad eliciendam intentionem formalem satisfaciendi dari debet aliqua specialis virtus.

Confirmatur quia ideo esset constituenda in Xpto aliqua specialis virtus ad eliciendam intentionem formalem satisfaciendi, quia in hoc actu resplendet

aliqua specialis honestas moralis, sed similiter in intentione formali merendi resplendit aliqua specialis honestas moralis, ergo vel utrobique est assignanda aliqua specialis virtus, vel nullibi.

§. VI.

Reiiciuntur aliqui modi dicendi.

Ad hoc argumentum utique difficile, aliqui respondent concesso antecedenti, negando consequentiam, & ratio disparitatis assignatur ex eo quod concomitantia quam habet meritum ad operationes honestas, est talis respectu omnium, concomitantia autem quam habet satisfactio, est tantum ad opera bona pœnalia.

Sed hæc solutio et est intollerabilis, & est insufficiens, unde relinquenda est. est intollerabilis, quia satisfactionem Xpti Dni solum constituit in operationibus pœnalibus, unde actus interni, & spirituales Xpti Dni, v. g. amor Dei superomnia, & acceptatio interna mortis & passionis non essent actus satisfactorij, quod est plusquam falsum. Est etiam insufficiens quia etiam concomitantia ad plures actus diversarum, etsi non omnium virtutum obstabit ad assignandam virtutem specialem electivam intentionis formalis satisfaciendi, si concomitantia ad omnes in merito obstat.

Secundo alij respondent assignando aliam rationem disparitatis & consistit in eo quod æqualitas retributionis præmij ad quam æqualitatem tendit meritum ponitur a Deo præmiante. æqualitas autem satisfactionis ponitur a Xpto, ac proinde ad illam ponendam requiritur virtus specialis.

Sed hæc solutio, seu disparitas etiam est insufficiens, quia tam in merito iustorum, quam in satisfactione Xpti, et est æqualitas ponenda a iustis, & æqualitas ponenda a Deo, & est æqualitas ponenda a Xpto, & est æqualitas ponenda a Deo. æqualitas enim est inter extrema diversa, quorum unum nempe meritum ponit iustus merens, & aliud nempe præmium Deus præmians, similiter æqualitas satisfactionis ponitur a Xpto satisfaciente, & esse satisfactum ponitur a Deo.

Tertio alij respondent assignando aliam rationem disparitatis, & consistit in eo quod ratio meriti sumitur a dignitate, & sanctitate personæ operantis, & merentis, unde non transit in rationem obiecti unde non potest aliquam specialem virtutem regulare. at vero et si dignitas satisfactionis sumatur etiam a persona, ut alibi dictum est, transit in rationem obiecti eo quod ordinatur ad constituendam æqualitatem inter satisfactionem, & Deum offensum.

Sed hæc solutio etiam est insufficiens, imo auget difficultatem, non enim datur ratio quare ratio meriti non transeat in rationem obiecti sicut transit satisfactionis ratio, etsi sumatur dignitas satisfactionis a dignit. personæ.

§. VII.

Vera Solutio stabilitur.

Ad hoc argumentum utique difficile dupliciter responderi potest. omissis Solutionibus predictis ut insufficientibus. Primo respondeo concesso, vel pretermisso antecedenti negando consequentiam. Et ratio disparitatis est. quia Xptus Dominus formaliter ut satisfaciens per se primo tendit ad constituendam equalitatem satisfactionis cum offensa reparando ius divinum lesum per peccatum, & cum actus primarius speciali honestate morali gadens debeat specificare aliquam specialem virtutem, ideo ponenda est in Xpto aliqua specialis virtus. que sit elicitiva intentionis formalis satisfaciendi. Iustus autem merens non respicit perse primo equalitatem meriti ad premium. Sed perse primo solum intendit iustus prestare obsequium Deo, & illi servire, illum amando per charitatem colendo, per religionem, obtemperando per obedientiam. & sic de alijs. ad quos actus sequitur secundario, & inseparabiliter meritum. & cum actus qui est de se secundarius elicitur ab eodem habitu a quo elicitur primarius inde est quod ad merendum non requiritur virtus aliqua specialis.

Replicabis & dices quod iustus potest perse primo respicere intentionem formalem merendi. ergo. talis intentio potest esse actus primarius, proindeque potest specificare aliquam specialem virtutem.

Sed contra primo nego consequentiam. omisso antecedenti. quia in illo casu ille actus erit extraordinarius, & ad actus extraordinarios non requiritur aliqua specialis virtus. Sed sufficit aliquod speciale auxilium. intendere autem satisfacere. est actus in Xpto ratione muneris Redemptoris connaturalis, unde exigit specialem virtutem. Sicut satisfacere homo puro modo quo potest est actus debitus, & connaturalis in ordine supernaturali, unde ponitur penitentia.

Contra secundo. & nego ans. Sed vera semper illa intentio est actus secundarius, quia non adest obligatio illam ponendi; non enim datur preceptum ad merendum, Sed ad bene operandum, & posito bono opere sequitur inseparabiliter meritum.

Replicabis, ad actus ad quos non adest obligatio, nec preceptum. dari potest specialis virtus elicitiva illorum ergo ex eo quod non adsit obligatio vel preceptum merendi non arguit quod in iustis non detur specialis virtus ad illam intentionem eliciendam, vel si hoc non obstante non datur non erit etiam necessaria ad eliciendam intentionem formalem satisfaciendi.

Sed contra. & Resp.º quod preter hoc quod est non habere obligationem. seu non dari preceptum vel obligationem cadentem supra intentionem merendi, talis actus seu intentio non habet bonitatem primariam

& proinde non exigitur specialis virtus. & iuxta hanc doctrinam facile respondetur ad argumentum in forma, cum sua confirmatione.

Sed adhuc videtur posse replicari, insistendo in eo quod intentio formalis merendi in iustis, sit actus primarius, speciali honestate gaudens. ex eo quia velle non mereri est actus primarius speciali difformitate gaudens, ergo velle mereri est actus primarius speciali honestate gaudens.

Sed contra. & facile respondetur, distinguendo ans, & illud concedo sumpto ly non mereri, positive, & privative, & illud nego sumpto ly non pure negative. & distinguo consequens, ergo velle mereri est actus primarius, speciali honestate gaudens. & alias est actus connaturaliter factibilis nego & alias est actus extraordinarius concedo, & ad actus extraordinarios non requiritur aliqua specialis virtus, sed sufficit auxilium transiens.

Secundo & facilius respondes ad principale argumentum negando antecedens, unde affirmo quod in iustis datur specialis virtus elicitiva intentionis formalis merendi. & per consequens, potius ex hac paritate confirmatur conclusio a nobis supra stabilita. ratio autem ad affirmandum dari illam specialem virtutem in iustis ad eliciendam intentionem formalem merendi sumitur ex eo quia in sententia communi Thomistarum, & etiam aliorum merita iustorum habent ius ad gloriam, ut ad premium ex iustitia conferendum, & conferendum ex iustitia iuxta plures distributiva, & iuxta alios commutativa, ut explicatur ad tractatum de predestinatione, unde ex parte merentis correspondet etiam ius quod Deus tenetur premiare, ergo cum ex ista intentione formali merendi ponatur a iustis equalitas, & ius in merito virtus elicitiva istius iuris & equalitatis in merito relate ad premium est iustitia, que solutio videtur valde conformis ad illam doctrinam citatam ex tractatu de predestinatione.

§ VIII

Statuitur secunda conclusio

Sit secunda conclusio: Virtus specialis elicitiva intentionis formalis satisfaciendi in Xpto Domino est virtus iustitie stricte.

Prescindimus modo an sit iustitia commutativa, vel alia species determinata, de hoc agemus articulo sequenti. & probatur breviter. illa est virtus iustitie stricte, & rigorose loquendo que ex sua natura tendit ad resarciendum perfecte ius divinum lesum per peccatum; sed talis est virtus per quam Xptus elicuit intentionem formalem satisfaciendi, ergo in Xpto virtus elicitiva intentionis formalis satisfaciendi est virtus iustitie stricte. maior constat ex definitione iustitie, & minor ex eo patet quia intentio formalis satisfaciendi in Xpto oritur a virtute inclinante ad equalitatem constituendam inter satisfactionem, & offensam

§. IX

Solvuntur argumenta

Obiicies cum M. Vincentio, & Lorca: Virtus elicitiva intentionis formalis satisfaciendi fuit Virtus Religionis, seu indistincta a Religione, atqui Religio non est pars subiectiva & perfecta iustitiæ, sed est pars potentialis, & imperfecta iustitiæ, ergo in Xpto virtus specialis elicitiva intentionis formalis satisfaciendi, non est stricta iustitia. probatur maior quia Xptus Dnus licet operatus fuerit nostram salutem, per modum meriti, satisfactionis, & sacrificij, tamen ratio sacrificij fuit specialis, & præcipua formalitas illius. atqui sacrificium pertinet ad Religionem, ergo Religio fuit specialis virtus perquam elicuit Xptus intentionem formalem satisfaciendi.

Confirmatur quia in sententia Eminentissimi Caietani. in nobis Pœnitentia est virtus indistincta a Religione, ut docet in hac 3.p.q.85.ar.2. ergo si nos per Pœnitentiam ponimus satisfactionem, Xptus in quo non residet virtus Pœnitentiæ, ob incapacitatem obiecti primarij, videlicet peccati proprij ut expiandi, & delendi, erit Religio virtus perquam elicuit intentionem formalem satisfaciendi.

Respondeo negando maiorem, & ad eius probationem dicimus, quod licet Xptus, operatus fuerit nostram salutem etiam per sacrificium, sub qua ratione ortum habuit a virtute Religionis, tamen ex hoc non colligitur quod satisfactio, sub formalitate sub qua respiciebat æqualitatem, inter ipsam, & offensam, sub qua ratione est formaliter virtus satisfactiva, oriatur a Religione, quia sub isto conceptu oriri debet a virtute inclinante ad constituendam æqualitatem & ad servandum ius divinum quod revera pertinet ad iustitiam.

Ex quo patet quod ex præfato argumento solum convincitur, quod Religio imperasset satisfactionem Xpti, sicut, & alios actus, & sicut satisfactio imperata fuit a pluribus alijs virtutibus, etenim mutuo virtutes imperant & imperantur. fuit enim imperata satisfactio, a Charitate, ab obedientia, a Religione, ab humilitate, & ab alijs sicut econtra iustitia satisfactiva elicitive, imparavit Caritatem, Religionem, obedientiamque, & aliasque virtutes. & ad istud intentum docet D.Th. 2.2. q.81. ar. 4. ad.1. * quod omne opus virtutis dicitur esse sacrificium, in quantum ordinatur ad Dei reverentiam, unde ex hoc non habetur quod Religio sit generalis virtus, sed quod imperet omnibus alijs virtutibus.

Ad Confirmationem negamus cum communi Theologorum Pœnitentiam esse indistinctam a Religione, quidquid dicat Emus. Caietanus. præterquam quod satisfacimus per pœnitentiam, quæ est pars potentialis iustitiæ quia imperfecte solum possumus satisfacere. Christus autem perfecte satisfecit, unde per iustitiam perfectam, non per Religionem quæ est pars potentialis iustitiæ.

Articulus VII

Vtrum Virtus iustitiæ, quæ elicitive producit in Xpto intentionem formalem satisfaciendi sit iustitia commutativa?

§. I

Praenotantur aliqua

Vt speciem athomam. & infimam virtutis elicitivę intentionis formalis satisfaciendi radicitus cognoscamus dubium præsens movetur. constat enim ex dictis esse in genere iustitię strictę. unde restat cognoscere sub qua specie iustitię strictę contineatur.

Pro cuius luce

Supponendum est ex 2. 2. q. 58. & 61. iustitiam proprie dictam, & in communi acceptam dividi tamquam in species proprias, [illegible] in iustitiam Legalem, distributivam, & commutativam. quam divisionem esse adequatam communiter admittitur. & loco citato probatur. & proinde iustitia remunerativa, & vindicativa, non sunt species condistinctę a prędictis. sed vel sub distriva, vel sub commutativa continentur.

Secundo supponendum est ex eodem loco. 2. 2. q. 58. ar. 5. & 61. ar. 1. ad 4. quod virtus iustitię legalis est illa quę ordinat bonum privatum cuiuslibet partis ad bonum commune. Iustitia autem distributiva e contra, respicit bonum commune. ut distribuendum partibus, iuxta geometricam proportionem. conferendo nempe. plus digniori, & minus, minus digno. Iustitia denique commutativa præscindit de ista ordinatione, quod nempe sit, determinate, partis, ad totum, vel partis ad partem, vel totius ad partem, sed respicit ius uniuscuiusque ut conservandum illęssum, sive tale ius sit in parte, sive in toto, unde respicit bonum ut commutandum pro alio bono iuxta ~~arith~~ arithmeticam proportionem, seu cum perfecta ęqualitate inter datum, & acceptum. quę omnia valde præoculis habenda sunt ad dubij præsentis resolutionem.

§. II

Statuitur conclusio

Sit nostra conclusio: **Virtus a qua fuit elicita in Xpto Domino, intentio formalis satisfaciendi, & perquam regulantur actus aliarum virtutum, ut satisfactorii, est formaliter virtus iustitię commutativę.** Est hęc conclusio communis Thomistarum, illam docuit. Alvarez. 3. p. disp. 4. conclus. 4. Nazarius. 4. p. secundę controversię. concl. 5. Cornejo. disp. 5. dub. 8. Ill. Araujo. dub. 6. Ill. Godoi 3. p. disp. 6. §. 3. Gonet. & quamplures.

Probatur Ratione apriori.

Virtus inclinans ad satisfactionem æqualem, ut talem, pro offensa alicui irrogata, est virtus iustitiæ commutativæ; Sed Virtus per quam elicuit Xptus Dominus intentionem formalem satisfaciendi, & per quam regulantur actus aliarum virtutum, ut satisfactorij, est virtus inclinans ad constituendam æqualitatem inter satisfactionem, & offensam, ergo est virtus iustitiæ commutativæ. maior constat ex ipsa diffinitione iustitiæ commutativæ, respicientis formaliter æqualitatem inter datum, & acceptum. & minor similiter est nota & ex dictis constat Xptum Dnum dedisse satisfactionem æqualem, imo, & superabundantem.

Confirmatur, quia iuxta Aristotelem 5 Ethic. cap. 3. tunc in resarciendis iniurijs servatur iustitia commutativa, inter offensum, & satisfacientem, quando id, quod offertur in obsequium pro compensatione iniuriæ est æquale iniuriæ illatæ; sed virtus inclinans in Xpto ad eliciendam intentionem formalem satisfaciendi & a qua elicitur talis intentio, est virtus offerens æqualem satisfactionem, & obsequium pro compensatione iniuriæ irrogatæ Deo, ergo est virtus iustitiæ commutativæ.

Rursus: iuxta D.Th. 3. p. q. 85. ar. 3. Pœnitentia ideo non est pars subiectiva iustitiæ, sed pars potentialis iustitiæ commutativæ quia compensatio offensæ, quæ offertur per pœnitentiam, non est æqualis, sed compensatio quæ offertur a Xpto, Deo per satisfactionem, est æqualis. ergo est a virtute iustitiæ commutativæ.

Denique probatur conclusio aposteriori: Intentio formalis satisfaciendi in Xpto Domino elicitur a virtute iustitiæ, ut ex dictis ar. præcedenti constat, sed non elicitur a virtute legali, nec a distributiva, ergo est a virtute comutativæ iustitiæ. consequentia patet a sufficienti partium enumeratione, & minor constat ex notabilibus ubi explacum relinquitur quid sit unaquæque iustitia.

§ III.

Solvuntur argumenta

Obiicies primo, ex M. Vincentio: Ad hoc ut virtus inclinans in Xpto ad satisfaciendum esset iustitia commutativa, erat necessarium quod inclinaret in satisfactionem æqualem offensæ, æqualitate ab ipsa virtute iustitiæ præstanda. sed nulla virtus residens in anima Xpti, præstat æqualitatem actui satisfactorio, relatæ ad offensam, ergo non est in Xpto iustitia commutativa. maiorem supponit, & probat minorem, quia valor æquans in operationibus Xpti Dni ad gravitatem offensæ est qui sumitur a persona Verbi, non ille qui ponitur a virtutibus, cum iste sit limitatus, & desumptus ab obiectis. ergo nulla virtus residens in anima Xpti præstat æqualitatem actui satisfactorio.

Respondetur negando maiorem, quam cum deberet probare, non probat. sufficit enim ad rationem perfectæ iustitiæ commutativæ,

quod inclinet ad eliciendum actum habentem pro motivo, & obiecto æqualitatem, ex quo-cumque capite proveniat æqualitas, & valor, ut patet in humanis, satisfacit enim qui-libet pretio alicuius rei, cum pecunia, & tamen valor pecuniæ non præstatur a virtute iustitiæ residentis in satisfaciente cum illa, sed provenit aliunde, nempe a voluntate Principis. Satisfacere ergo potest Xptus Dominus Deo offenso, cum satisfactione seu opere satisfactorio ab eodem Xpto elicito, etiam si valor satisfactionis non præstetur a virtute iustitiæ, sed a Persona Verbi.

Replicabis, & dices quod saltim ad rigorosam iustitiam requiritur, quod ipsa virtus iustitiæ elicere, vel imperare possit æqualitatem formaliter ut talem; sed nulla virtus residens in Xpto potest elicere, vel imperare æqualitatem ergo numquam verificatur quod intentio formalis satisfaciendi eliciatur a virtute iustitiæ commutativæ. maior videtur nota cum iustitia commutativa respiciat ut obiectum, & motivum æqualitatem. probatur minor. quia valor constituens æqualitatem in operationibus Xpti Dni sumitur a personalitate Verbi, sed nulla virtus potest imperare vel elicere hunc valorem, cum talis valor nec sit liber nec vitalis, ergo nulla virtus residens in Xpto Dno potest elicere, vel imperare æqualitatem.

Respondeo admissa maiori, negando minorem, vel claritatis gratia, distinguatur maior possit imperare vel elicere æqualitatem sumptam pro forma illam constituente nego. sumptam pro substrato, vel sumptam concretive, concedo maiorem, & sub eisdem terminis distinguo minorem, & nego consequentiam, & ad probationem, concessa maiori distinguo minorem, sed nulla virtus potest elicere, vel imperare valorem, in abstracto concedo, in concreto nego. & consequentiam. valor enim licet abstractive sumptus non sit liber nec vitalis, in concreto, est liber & vitalis, ratione substrati valorati quod substratum est actus liber & vitalis, & isto posito nequit non valorari a personalitate Verbi.

Obiicies secundo

Vt virtus satisfactiva in Xpto Domino esset iustitia commutativa, debebat respicere opera Xpti Dni formalissime ut æqualia, sed ut sic non respiciuntur a tali virtute, ergo non est iustitia commutativa. maior videtur nota. probatur ergo minor. si respiceret talia opera formalissime ut æqualia, specificaretur ab illis ratione formæ constituentis æqualitatem sed ut sic non potest ab illis specificari. ergo virtus satisfactiva non respicit opera Xpti ut æqualia. probatur minor, quia forma præstans æqualitatem, est forma præstans valorem infinitum, nempe est Personalitas, sed non potest virtus satisfactiva specificari a Personalitate ut præstante valorem, ergo. probatur minor quia alias esset virtus satisfactiva virtus Theologica. quæ respicit Deum pro obiecto, unde vel virtutes theologicæ essent plures quam tres. vel satisfactiva virtus esset Charitas.

Respondeo concessa maiori, negando minorem. & similiter ad probationem, vel distinguo: maior talis virtus specificatur ab operibus ratione formæ constituentis in illis æqualitatem, forma se habente. ut obiectum quo, transeat. ut obiectum quod, nego, & similiter distinguo minorem. & nego consequentiam, & ad probationem nego maiorem seu sequellam, quia virtus theologica respicit Deum. ut obiectum quod. & quo. & non tantum ut obiectum quo. virtus enim satisfactiva specificatur ab operibus Xpti ut æqualibus. & substratum æquale est quid creatum. licet forma præstans æqualitatem sit personalitas divina.

Replicabis. ergo virtus satisfactiva est in Xpto omnium virtutum moralium perfectissima. consequens est falsum, quia iuxta D. Th. 2.2. q. 81. ar. 6. Religio est inter virtutes morales perfectissima. eo quia virtus religionis proximius accedit ad Deum cuius cultum respicit ut obiectum. prima consequentia probatur. quia perfectio virtutis vel habitus, sicut & perfectio potentiæ pensatur penes obiectum. sed si virtus satisfactiva in Xpto habet pro obiecto quo, seu pro ratione formali sub qua respiciendi obiectum quod. personalitatem divinam, haberet nobilius obiectum quam religio, & proximius respiceret Deum. cum religio solum respiciat Deum ut obiectum. cui, non ut obiectum quod. vel quo. ergo esset virtus satisfactiva omnium virtutum moralium perfectissima.

Potest huic replicæ responderi dupliciter, primo concedendo sequellam, & ad probationem in contrarium respondeo D. Thomam loco citato quando docet Religionem esse perfectiorem inter virtutes morales. loqui de religione comparata ad virtutes morales quæ in pura creatura reperiuntur, non autem de religione residente in Xpto, nec comparando illam ad alias virtutes morales residentes in Xpto.

Respondeo secundo, & forte probabilius negando sequellam. quia etiam Religio habet Deum pro obiecto quo, seu pro ratione formali sub qua, quia illa est ratio formalis sub qua alicuius virtutis, ex cuius unitate, sumitur unitas & species virtutis, sed ex unitate Dei, & ex unitate unius primi principii & unius ultimi finis, sumitur unitas Religionis ut docet ibidem D. Th. q. 81. ar. 8. ergo Religio respicit Deum etiam ut obiectum quo. verum quia illum ut obiectum quod non respicit, ideo non est virtus theologica.

Obiicies tertio: ut aliquis operetur ex iustitia commutativa requiritur non solum quod operetur ex motivo constituendi æqualitatem inter datum, & acceptum, sed insuper, & præcipue requiritur, quod sit adstrictus debito rigoroso operandi ex iustitia: sed in Xpto tale debitum non est; ergo Xptus non operatus est satisfactionem ex virtute iustitiæ commutativæ. præmissæ indigent probatione, & inprimis maior est D. Th. 2.2. q. 80. ar. 1. in corp. per hæc verba. * Ratio vero iustitiæ consistit in hoc quod alteri reddat quod ei debetur secundum æqualitatem. & ratione insuper probatur eadem maior:

quia iustitia est constans, & perpetua voluntas ius suum unicuique tribuendi ut docet D. Th. 2. 2. q. 58. ar. 1. ergo iustitia respicit æqualitatem ad quam in altero est ius, sed ius in uno infert debitum in alio

Iam ergo probatur minor. Primo quia iuxta illud Isaiæ c. 53. Xphus oblatus est quia ipse voluit. ergo non ex debito, sed ex sua libera voluntate. Secundo quia non alia maior obligatio fuit in Xpto quam illa, quæ hominibus inerat, sed homo non tenebatur ex stricta iustitia ad satisfactionem præstandam, alias teneretur ad impossibile, ergo nec Xphus tenebatur ad satisfactionem præstandam ex iustitia. Tertio quia iustitia si aliquod debitum solvit est debitum proprium, non alienum, quo circa Pœnitentia virtus, quæ iustitia imperfecta, & potentialis est, non est ad solvendum debitum alienum, sed ad peccata propria delenda. sed Xphus eo quia impeccabilis, incapax est debiti proprij, sicut & peccati; ergo Xphus non est operatus satisfactionem ex debito.

P. Suarez respondet huic argumento negando maiorem, quia ex terminis inquit non requiritur debitum strictum ad operandum ex iustitia. ut patet in venditore. qui in venditione mercium exercet actum iustitiæ commutativæ, & tamen potest vendere sine obligatione, & debito vendendi, potest enim sine iniuria alterius non vendere suas merces. Secundo roboratur solutio quia ad operandum in materia aliarum virtutum non requiritur debitum, ergo nec ad operandum in materia iustitiæ. antecedens patet in actu Charitatis, fidei, & spei, & in actibus virtutum moralium, v.g. Religionis, humilitatis, temperantiæ, Misericordiæ, & aliarum. Tertio. quia Deus puniendo peccatores exercet actum iustitiæ vindicativæ, atqui Deus non tenetur stricte ad puniendum, cum possit libere condonare pœnam. ergo ad operandum ex iustitia non requiritur debitum strictum.

Sed hæc solutio displicet primo quia est expresse contra D. Th. locis citatis ex. 2. 2. Secundo, quia rationes pro ista sua existimatione suadenda nullius roboris sunt. Non urget prima ratio, quia licet venditor absolute non teneatur vendere, tamen ex suppositione quod vendere vult tenetur debito rigoroso iustitiæ ad vendendum cum iusto pretio. Non urget secunda, quia non est universaliter verum quod actus aliarum virtutum possunt exerceri sine debito, ut patet in actu obedientiæ, qui ut formaliter est talis, & perfectissimæ obedientiæ respicit præceptum superioris. Præterquam quod licet aliquæ virtutes exerceri possint per suos actus sine debito stricto, non exinde colligi debet quod idem erit in iustitia. quia iustitia respicit essentialiter ius alterius, & ius in uno infert debitum in alio. Non denique urget tertia ratio quia etsi Deus non teneatur ex iustitia peccatores punire sed possit ex sua suprema libertate, & dominio gratis condonare pœnam, tamen ex suppositione quod iustitiam velit exercere in puniendo, tenetur non ex lege sibi ab alio imposita, quia hoc est chymera, sed ex rectitudine suæ voluntatis, punire ad æqualitatem, & si punit citra condignum, est quia ex sua misericordia dispensat. quia supremus Dominus. Sed de hoc ad tract. de reprobat.

Respondetur ergo ad argumentum concessa maiori negando minorem, & ad probationem in contrarium respondeo. ad primum quod illa verba Isaiæ habent sensum absolutum, & rigorosum unde Xptus libere, & ex sua libertate acceptavit munus Fideiussoris, & Redemptoris. quod munus poterat non acceptare. at vero ex suppositione quod illud acceptare voluit subiit obligationem strictam, & rigorosam satisfaciendi pro nobis. & hoc commendat maximam eius Charitatem erga homines quorum obligationem motus a sua Charitate subivit. iuxta illud eiusdem Isaiæ in eodem cap. 53. vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.

Ad secundum concessa maiori distinguo minorem homo non tenetur ex stricta iustitia, ex defectu debiti nego minorem, ex defectu potentiæ ad adæqualem satisfactionem concedo minorem, & nego consequentiam. Xptus autem cum posset ponere æqualem satisfactionem, & aliunde habuisset debitum, inde est quod operatus est satisfactionem ex iustitia.

Ad tertium respondeo, quod debitum quod habet fideiussor ut talis est proprium. quia assumit debitum principalis, unde ratione muneris debitum alterius, videlicet principalis est appropriatum fideiussori. Pœnitentia autem solum ordinatur ad debitum contractum ratione peccati proprij, non ratione alicuius muneris. unde non est ad rem.

Sed contra hanc doctrinam utique verissimam insurgit gravissima difficultas de læsione libertatis Xpti Dni, quia si Xptus erat obligatus ad ponendam satisfactionem, ergo non potuit illam non ponere, cum illam non ponere esset peccatum. cuius est incapax Xptus Dnus ergo necessario, & non libere posuit satisfactionem.

Sed ad hoc iam late, & difuse est dictum supra tractatu de impeccabilitate Xpti, disp. de concordia libertatis Xpti cum eius impeccabilitate.

Obiicies quarto operari ex iustitia commutativa respicit pro obiecto æqualitatem, sed satisfactio Xpti non respicit æqualitatem, cum fuerit super abundans. ergo non satisfecit ex iustitia commutativa.

Respondeo distinguendo maiorem respicit æqualitatem arithmeticam vel formalem, vel æquivalentem concedo semper formalem nego. & distinguo minorem eodem modo, & nego consequentiam. licet enim satisfactio Xpti sit superabundans, est æquivalenter æqualis, cum æqualis contineatur in super excedenti, sicut in numero maiori continetur minor.

Obiicies quinto ut esset in Xpto vera & rigorosa iustitia commutativa ad præstandam satisfactionem erat necessarium quod Xptus satisfecisset Patri ut æqualis, sed non satisfecit ut æqualis, qua satisfecit ut homo, quandoquidem ut homo passus, mortuus, & sepultus est, ergo virtus ex qua satisfecit non est virtus iustitiæ commutativæ. probatur maior, quia iustitia commutativa solum exercetur inter æquales. eo quia respicit omnimodam æqualitatem.

Respondeo negando maiorem. ad cuius probationem respondeo quod æqualitas quam respicit iustitia commutatiua, est æqualitas rei ad rem, seu dati, & accepti, non autem respicit æqualitatem personarum, alias iustitia commutatiua exerceri non posset inter Principem, & vasallos suos, quod est manifeste falsum cum inter ipsos celebrentur diversi contractus iustitiæ commutatiuæ, videlicet contractus emptionis, & venditionis, & mutuationis, & solutionis, & alij similes.

Præterquam quod in casu Xptus satisfecit ut æqualis Patri, ut quod, & si non ut quo, substractive, quia ut quo dignificative, erat æqualis cum forma dignificans satisfactionem sit personalitas Verbi, ratione divinitatis implicite inclusa in personalitate Verbi. unde quando dicitur quod passus, mortuus, & sepultus est ut homo, ly ut sumitur reduplicative, nam specificative, & per communicationem idiomatum, est verum dicere Deus passus mortuus, & sepultus est pro nobis. unde Xptus satisfecit non solum ut homo, nec solum ut Deus, sed ut homo Deus.

Sexto denique obicies: iuxta Aristotelem 5. Ethic. cap. 5. & 6. Filij ad Patrem non est iustitia simpliciter talis, ut etiam docet D. Th. 2. 2. q. 57. ar. 4. eo quia Filius est aliquid Patris, quo pacto proprie inter ipsos reperiri non potest diversitas iurium, sed Xptus etiam ut homo magis est aliquid Dei, quam in creatis sit Filius aliquid Patris, etenim Xptus personaliter est Deus simpliciter, ergo potiori titulo Xptus non poterit satisfacere ex iustitia.

Respondeo explicando maiorem, & illam concedo de Filio non emancipato, et illam nego de Filio emancipato, inter quem & Patrem possunt exerceri contractus stricte iustitiæ. & deinde distinguo minorem, Xptus est magis aliquid Dei personaliter, & aliunde ratione diversæ naturæ, & proinde diversæ voluntatis, libertatis, & dominij stat simpliciter diversitas iurium concedo, & non stat diversitas iurium nego minorem. & consequentiam. Solutio patet ex dictis.

Articulus VIII

Vtrum Deus acceptaverit satisfactionem Xpti Domini ex iustitia rigorosa commutativa?

§. I

Praenotantur aliqua

Vidimus ex dictis articulo praecedenti satisfactionem Xpti Domini fuisse de toto rigore iustitiae commutativae, et elicitam a virtute iustitiae commutativae, ex quo deducitur esse in satisfactione Xpti ius verum, et reale ad sui acceptationem, sicut similiter in ipsa ut meritoria ius ad praemium. unde necessario ex parte Dei videtur correspondere debere debitum aliquod, ius enim unius infert necessario debitum alterius, cum inintelligibile sit ius in uno sine debito in alio. Unde inquirendum restat pro complemento huius disputationis, et pro cognitione modi quo Deus tenetur ad praemiandum meritum Xpti quomodo possit stare Deum obligari sine praeiudicio, et detrimento sui supremi dominii? vel an sit hoc ius in Xpto, sine stricto debito in Deo, sed cum debito late sumpto. vel quomodo hoc debitum sit.

Pro huius dubii intelligentia notandum est quod iustitia tribus modis potest accipi, primo large, et secundum quod est quid commune ad omnem virtutem per praedicationem, qua ratione omnis virtus iustitia, seu iusta est. Secundo sumi potest magis proprie, prout est virtus ad alterum: sub qua acceptione comprehenduntur omnes partes iustitiae sive sint subiectivae, sive potentiales. Denique iustitia in rigorosa acceptione respicit ius alterius cum debito legali. ut solvendum ad aequalitatem, vel proportionalem, et geometricam, vel omnimodam, et arithmeticam. et sub hac acceptione solum continentur partes subiectivae, et perfectae, ut sunt, iustitia legalis, commutativa, et distributiva. Loquendo ergo de iustitia in prima, vel secunda acceptione, nulli dubium Deum acceptasse satisfactionem Xpti ex iustitia; difficultas ergo reducitur ad tertiam acceptionem, an scilicet exercuisset actum iustitiae commutativae. vel alterius acceptando satisfactionem Xpti, et eius meritum praemiando.

§. II

Referuntur sententiae

Circa sententiarum diversitatem, Authores negantes satisfactionem Xpti fuisse de rigore iustitiae, docent consequenter Deum non acceptasse satisfactionem Xpti ex stricta iustitia. Sed ex Fidelitate, vel gratitudine, vel ex alia quadam virtute.

Authores vero nobiscum sentientes satis-

factionem Xpti fuisse de toto rigore iustitiæ dividientur in assignanda virtute per quam illam Deus acceptavit, dum aliqui affirmant, illam acceptasse ex iustitia legali alij ex distributiva, alij ex commutativa, & si non formaliter tali, sed tantum eminenter commutativa. & alij denique ex iustitia stricte, rigorose, & formaliter commutativa. duplici conclusione claritatis gratia respondemus.

§ III

Statuitur prima conclusio

Sit prima conclusio. Deus acceptavit satisfactionem Xpti ex iustitia stricta. & rigorosa.

Probatur primo ex D. Th. qui pluribus in locis admittit in Deo strictam, & rigorosam iustitiam: sed si in Deo datur iustitia stricta & rigorosa, maxime ad acceptandam satisfactionem Xpti, ergo illam ex stricta & rigorosa iustitia acceptavit. maior patet ex Angelico Magistro in 2. dist. 23. q. 1. ar. 3. & in 4. dist. 46. q. 1. ar. 1. & 1. Contra gen. cap. 93. & 1. p. q. 21. ar. 1. & minor etiam patet, quia si in Deo datur iustitia, ergo respectu alicuius ad extra, cum iustitia sit ad alterum, sed inter opera ad extra potentia obligare Deum ex iustitia potentiora sunt opera Xpti, cum sint infiniti valoris, & ut satisfactoria, & ut meritoria, ergo vera est minor.

Secundo probatur ratione: Pactum sub conditione operis onerosi, & condigni, purificata conditione inducit in promittente, vel paciscente obligationem ex iustitia stricta, & rigorosa; sed Deus pepigit cum Xpto de offensa remittenda generi humano, sub conditione operis onerosi, & condigni ponendi a Xpto, & Xpus acceptavit pactum. & purificavit conditionem nempe posuit satisfactionem usquequaque condignam, ut pote infiniti valoris, moriendo. ergo Deus acceptavit satisfactionem ex iustitia stricta, & rigorosa. maior est communis Theologorum, & iurisprudentium. et minor etiam est communis Theologorum. & pactum constat ex illo Isaiæ cap. 53. n. 10. si posuerit animam suam pro peccato videbit semen longævum.

Dices maiorem esse veram inter puras creaturas, quarum una non est sub dominio alterius, vel quarum una potest ius suum in aliam transferre. unde una aliam potest obligare sub conditione operis onerosi conditionem in pacto inclusam purificando, quia tale opus condignum quod patratur non est sub dominio illius in cuius obsequium fit, at vero quidquid Xpus ut homo facere potuit, erat Deo debitum pluribus titulis, & per consequens licet ex parte Dei adsit promissio, non inducit in Deo obligationem ex iustitia, sed ex fidelitate.

Sed contra quia prædicta maior propositio est uni-

versaliter vera, & non solum inter creaturas, ergo solutio nulla est. assumptum suadetur. quia pactum sub conditione operis onerosi inducit in promittente, etiam si Deus qui promittit, obligationem, purificata conditione, non solum ex Fidelitate, ergo inducit obligationem ex iustitia. an̄s prob. obligatio ex sola fidelitate non opponitur gratiæ absolute. sed obligatio orta ex pacto subconditione operis onerosi, purificata conditione opponitur gratiæ, ergo non inducit solum obligationem ex fidelitate; probatur maior, probanda postea minor. qua Unio hypostatica fuit gratia facta humanitati, imo & generi humano, imo Unio hypostatica fuit gratia omnium maxima facta ex liberrima Dei voluntate, & liberalitate. iuxta illud:* Sic Deus dilexit mundum ut filium suum Unigenitum daret.* Joann. cap. 3. atqui Unio hypostatica erat debita titulo promissionis liberalis, unde erat debita titulo fidelitatis, fuit enim promissa Abrahamo, & Dabidi. ergo obligatio orta ex sola fidelitate non opponitur gratiæ absolutæ.

Insuper gratia hominibus collata a Deo intuitu actus contritionis, gratia est, ut negari non potest. & tamen adest promissio facta a Deo hominibus dandi illam ipsis si perfecte convertuntur. iuxta illud:* Convertimini ad me & ego convertar ad vos* Zachariæ. cap. 1. & iuxta illud:* in quacumque die ingemuerit peccator exaudiam eum:* ergo idem.

Iam ergo probatur illa minor ex illo Pauli ad Rom. 4:* ei qui operatur merces non imputatur secundum gratiam sed secundum debitum:* ergo obligatio orta ex pacto sub conditione operis onerosi, purificata conditione opponitur gratiæ. Ulterius probatur. ex illa parabola Vineæ. Math. c. 20. Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno misit eos in vineam suam* & postea labore posito denotatur habuisse illos ius ad denarium. unde quando plus exigebant, dixit pater familias, videlicet Deus, nunne ex denario convenisti mecum. significans enim quod solum habebat ius utique strictum & ex iustitia commutativa ad denarium. ergo ~~operatio~~ obligatio orta ex pacto sub conditione onerosa, purificata conditione infert ~~obligationem~~ debitum ex iustitia stricta.

Ex quibus authoritatibus rursus probatur conclusio: quia Deus præmiat iustorum merita ex iustitia stricta. ergo potiori titulo debet ex iustitia stricta acceptare satisfactionem Xpti. consequentia patet. & antecedens præterquam ex prædictis authoritatibus constat. & præterquam quod debet supponi ex tract. de Prædest.e ulterius probatur ex aliis sacræ paginæ testimoniis: in quibus dicitur Deum remunerare ex iustitia iustorum merita. sit unum ex illo ad Thimoteum 4* Superest mihi corona iustitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex:* sit aliud ex illo ad Hebræos. 6.* Non enim iniustus est Deus ut obliviscatur

operis vestri.* Unde D. Augustinus lib. 4. contra Julianum cap. 8. ait:* Deus ipse (quod absit) erit iniustus, si ad eius regnum verus non admittitur iustus.*. ergo est quia tenetur ex rigorosa iustitia ad remunerandum.

Denique probatur conclusio ratione efficaci. Si ob aliquam rationem non posset Deus obligari ex iustitia stricta ad satisfactionem Xpti acceptandam, maxime quia sequeretur aliqua imperfectio in Deo; sed non sequitur ergo acceptat satisfactionem Xpti ex iustitia stricta, & rigorosa. probatur minor si aliqua esset imperfectio, maxime quia esset debitum in Deo, per quod teneretur acceptare satisfactionem Xpti; sed debitum quod resultat in Deo imperfectio non est. ergo. maior est fundamentum contrariæ sententiæ probatur minor. quia debitum quod resultat in Deo non est absolutum, & Deo necessarium, nec antecedens, sed est conditionatum conditione ipsi Deo libera, unde est Deo liberum, & solum consequenter necessarium ortum habens ex libera Dei voluntate, & ex pacto ipsius Dei, ipsi Deo simpliciter libero. sed debitum hoc modo existens in Deo, imperfectio non est. ut patet, cum non minus sit Deus supremus Dominus, quam sit primum liberum, ast qui non opponitur libertati Dei supremæ, & primæ necessitas consequens orta ex sua libera voluntate, quippe Deus ex suppositione quod voluisset v. g. existentiam alicuius rei, v. g. mundi, & in mundo existentiam consensus a se prædifinit, non potest velle eius carentiam, quippe ex suppositione quod prædeterminet voluntatem ad amorem, v. g. est impossibilis non amor. qui prius prioori ad hanc prædeterminationem erat possibilis, ergo similiter debitum existens in Deo ex suppositione ipsi libera, & ex pacto ipsi Deo libero nulla est imperfectio.

§. IV.

Statuitur secunda conclusio.

Sit secunda conclusio: Deus acceptavit satisfactionem Xpti ex virtute iustitiæ commutativæ. & ex virtute iustitiæ commutativæ remittit hominibus offensam virtute meritorum Xpti. ita Mag. Alvarez 3. p. disp. 4. Nazarius contro. 2. Cornejo, disp. 5. M. Araujo 3. p. de Incarnat. ar. 2. dub. 5. & 6. M. Godoy. 3. p. disp. 7. § 3. concl. 2.

Probatur primo ex Angelico Magistro. 2. 2. q. 61. ar. 4. ad. 1. per hæc verba:* Ad primum dicendum, quod illa forma divini iudicii attenditur secundum rationem commutativæ iustitiæ, prout scilicet recompensat præmia meritis, & supplicia peccatis.*

Probatur secundo ex eodem Angelico Magistro 2. 2. q. 106. ar. 1. ad 2. his verbis:* Ad secundum dicendum quod retributio proportionalis pertinet ad iustitiam commutativam, quando attenditur secundum debitum legale, puta,

si pacto firmetur, ut tantum pro tanto retribuatur. * Ex quibus verbis sic formo rationem. Reddere tantum pro tanto pacto firmatum est actus iustitiæ commutativæ, sed acceptatio satisfactionis Xpti pro offensa irrogata Deo, & remissio offensæ, quam Deus confert hominibus intuitu meritorum Xpti, est reddere tantum pro tanto, pacto firmatum, ergo est actus iustitiæ commutativæ. maior continetur in verbis D. Thomæ, imo, & minor. & insuper probatur. quia Xpus dedit suam satisfactionem, & obsequium, pro Deo placando, & pro remissione offensæ infinitæ

Ratione probatur conclusio quia si propter aliquam rationem Deus non acceptaret ex virtute iustitiæ commutativæ satisfactionem Xpti, intuituque illius hominibus offensam ex eadem iustitia condonaret, maxime quia Deus capax non esset virtutis iustitiæ commutativæ; sed Deus capax est talis virtutis; ergo acceptavit ex virtute iustitiæ commutativæ satisfactionem Xpti, intuituque illius hominibus offensam ex eâdem virtute condonavit. Maior est fundamentum contrariæ sententiæ, probatur minor, si Deus non esset capax illius virtutis, maxime quia talis virtus diceret imperfectionem, sed non dicit, ergo est capax. maior est fundamentum contrariæ sententiæ, probatur minor: si virtus iustitiæ commutativæ aliquam imperfectionem in suo conceptu formali importaret, maxime imperfectio dati, & accepti cum abdicatione dominij, quod convenire nequit Deo cum nihil a nobis, neque ab homine Deo accipere posit, nec posit a se abdicare dominium aliquod, sed talis virtus nullam ex his imperfectionibus dicit in suo conceptu formali, quippe talis imperfectio solum convenit iustitiæ commutativæ prout est in creaturis, ergo virtus iustitiæ commutativæ nullam imperfectionem dicit in suo conceptu formali. maior est fundamentum contrariæ sententiæ.

Probatur minor quoad primam partem probanda postea quo ad secundam quia virtus gratitudinis etiam ~~[illegible]~~ in suo conceptu formali includit rationem dati, & accepti, unde virtus gratitudinis ut docet D. Th. 2. 2. q. 109. ar. 1. respicit benefactorem a quo aliquid accepit, unde dicit debitum in accipiente, fundatum debitum supra beneficium, atqui licet inter homines gratitudo ab ista imperfectione præscindere nequeat, gratitudo est virtus quæ datur in Deo sine ista imperfectione, etiam si Deus incapax sit recipiendi beneficium, & habendi benefactorem. ergo similiter licet inter homines iustitia commutativa respiciat datum, & acceptum, ista imperfectio non est de suo conceptu formali

Pro secunda parte iam probatur minor quia licet liberalitas inter homines non possit exerceri sine abdicatione dominij. etenim si quis alicui aliquid donat, transfert dominium quod habebat donans supra rem donatam, in eum, cui illam donavit. tamen in Deo datur liberalitas,

quin cogamur admittere. quod Deus abdicat a se dominium illius rei, quam liberaliter elargitur, ergo similiter licet iustitia commutativa, quæ inter homines exercetur importet secum abdicationem dominij, non recte infertur, quod ista imperfectio sit de suo conceptu formali.

Vlterius probatur conclusio, & simul corroboratur doctrina data. quia si debitum rigorosum fundatum in iure alterius, repugnaret Deo, maxime, quia esset contra rationem supremi dominii, sed debitum quod est in Deo fundatum in iure alterius, ad stabiliendam strictam, & rigorosam iustitiam commutativam non est contra rationem supremi dominij, ergo non repugnat Deo iustitia commutativa. probatur minor, quia debitum quod ponimus in Deo, & quod sufficit ad stabiliendam iustitiam commutativam, non est debitum Deo necessarium, & non liberum, nec est absolutum, & antecedens suam libertatem, sed potius est debitum conditionatum nimirum si pactum incesserit, & ponatur opus onerosum importatum in pacto, unde est debitum Deo simpliciter liberum, & solum consequenter Deo necessarium, sed huiusmodi debitum non est contra supremum Dei dominium, ergo, vera est minor.

Confirmatur, & explicatur amplius. Non minus Dominus Deus est primum Liberum, & Omnipotens simpliciter, quam sit supremus, & primus Dominus, sed ad rationem primi liberi, non opponitur necessitas simpliciter consequens, nec ad rationem Omnipotentis opponitur quod aliqua conditione posita, non possit producere aliquod possibile, ergo neque ad rationem supremi dominij obstabit ex suppositione Deo libera debitum strictum, & rigorosum fundans ius strictum in creatura. maior est nota, & consequentia infertur & minor negari non potest, sed ab omnibus debet concedi.

Primo in nostra, & communi Thomistarum sententia, quia supposito decreto libero Dei prædeterminante ad amorem. v.g. Deus est necessitatus ad physicam prædeterminationem conferendam, & ad præstandum etiam concursum simultaneum ad amorem. unde non potest ponere odium, nec prædeterminationem, & concursum simultaneum ad odium in eadem voluntate, in illo instanti prædeterminationis ad amorem, & odium absolute loquendo possibile erat pro illo instanti, unde ex suppositione Deo libera redditur impossibile, & tamen talis necessitas, quia consequens, & Deo libera, nec similiter impotentia, quia etiam consequens, & ex suppositione Deo libera, non opponitur libertati primi liberi nec omnipotentiæ ipsius, ergo debitum strictum, Deo liberum, & ex suppositione pacti, Deo liberi, & ex suppositione positionis operis onerosi, quæ positio etiam est Deo libera, non opponitur supremo dominio.

Secundo in sententia scientiæ mediæ, supposita scientia media ad amorem, v.g. in instanti A & supposita determinatione voluntatis creatæ ad amorem

in eodem instanti A. Deus non potest non praestare concursum simultaneum ad Amorem, imo nec praedifinitionem exactam ab aliquibus regulatam per scientiam mediam, unde redditur impossibile odium in eodem instanti, quin laedatur libertas, neque Omnipotentia detrimentum patiatur.

Tertio praescindendo a sententiis. Supposito decreatio istius mundi, & non alterius alter mundus redditur impossibilis, & carentia istius mundi etiam redditur impossibilis, & Deus non potest formare decretum contrarium & hoc totum sine detrimento suae libertatis, & sine detrimento Omnipotentiae, eo quia impotentia & impossibilitas alterius mundi est Deo consequens, & ortum habens a suo libero decreto. ergo similiter erit theologizandum de supremo dominio, quin illi obstet debitum stricum, fundatum in iure alterius. quia est, ex suppositione Deo libera.

Dices, quia Deus est supremus Iudex, & Superior simpliciter respectu omnium, neque ex suppositione potest subiici alteri ut iudici, vel ut superiori, ergo quia est supremus Dominus neque ex suppositione poterit alteri debere, debito rigoroso fundato in iure stricto alterius.

Respondeo concesso antecedenti negando consequentiam. & ratio disparitatis est manifesta, quia supremus Iudex, & supremus superior ex suo conceptu dicit independentiam ab omni alio. ceterum de ratione supremi non est quod alteri non possit conferre aliquod ius, quando taliter ipsi confertur ius, quod, quod in esse & conservari dependet a supremo Domino, & illud potentia antecedenti auferre potest. imo hoc est de conceptu supremi dominij. & supremi domini, posse conferre ius ad praemium, ac promissis intercedente pacto, & opere oneroso, & purificata conditione ob habente ius, ponendo videlicet opus onerosum. Paritas autem facta solum convincit, quod quia Deus est supremus Dominus, neque absolute, neque ex suppositione possit esse subditus alteri ut domino, quod est verissimum, & non opponitur nostrae conclusioni.

Replicabis. si ius quod est in satisfactione Xpi, & in meritis iustorum, dependet a Deo in esse & conservari ergo poterit non acceptari. & per conseq. non erit Deus obligatus ex iustitia commutativa, ad illud acceptandum, haec ultima consequentia ex prima infertur, & probatur prima. quia si dependet a Deo in esse, & conservari poterit destrui, & annihilari actu, sed non videtur possibilis maior non acceptatio, quam destructio, & annihilatio iuris. ergo poterit non acceptari

Resp. negando primam conseq. & ad probat. distinguo maiorem, poterit anihilari de potentia absoluta, & pot. antecedenti concedo, pot. conseq. & de lege ordinaria nego, & admissa minori nego consequentiam.

Denique potest probari nostra conclusio ex paritate. quia in Deo datur iustitia distributiva, ergo. & commutativa. antecedens communiter admittitur, etiam ab authoribus contrariæ sententiæ: probatur consequentia. quia utraque iustitia respicit obligationem, & exigit debitum legale. ergo si debitum a iustitia distributiva exactum convenire potest Deo, etiam illi poterit convenire debitum exactum a iustitia commutativa. antecedens colligitur ex difinitione iustitiæ in communi.

Respondebis admisso antecedenti negando consequentiam, & paritatem, & rationem disparitatis assignabis ex eo quia iustitia commutativa exigit debitum fundatum in iure alterius; distributiva autem, licet exigat debitum non tamen fundatum in iure alterius, sed in ipso retribuente. quod probas ex eo quia iustitia distributiva, licet respiciat alterum, illum respicit ut subiectum cui, non ut subiectum in cuius iure fundatur.

Sed contra quia utraque iustitia respicit debitum in iure alterius fundatum, ergo nulla est disparitas. antecedens probatur, quia debitum ortum ex iure ipsius retribuentis, debitum simpliciter non est, debitum enim, est stricte ad alterum ergo debet provenire a causa extrinseca, seu a iure alterius, sed debitum exactum ad iustitiam etiam distributivam, est debitum simpliciter, & rigorose tale ergo debet provenire a causa extrinseca seu a iure alterius, ergo non respicit alterum solum ut subiectum cui, sed etiam ut subiectum cuius, seu in cuius iure fundatur.

Confirmatur, debitum sufficiens ad virtutem fidelitatis, non sufficit ad iustitiam distributivam, sed ad fidelitatem exigitur debitum ortum ex ipso promitente, ergo ~~deb~~ debitum fundatum in retribuente non sufficit ad iustitiam distributivam, & per consequens exigitur debitum fundatum in iure alterius. maior patet, alias vel fidelitas non esset pars potentialis iustitiæ, sed subiectiva, vel distributiva iustitia non esset subiectiva pars sed potentialis.

DISPVTATIO VIGESSIMA ~~SECUNDA~~ TERTIA DE TEMPORE IN QVO CHRISTVS MERVERIT.

2. q. 34. usque ad 57.

Articulus. I.

Vtrum Xptus Dominus meruisset in primo suæ conceptionis instanti?

§. I.

Referuntur sententiae.

Prima sententia negat Xptum Dominum in primo instanti suę conceptionis, meruisse. Pro hac sententia referuntur Albertus Magnus in 3. dist. 18. ar. 6. D. Bonav. in eadem dist. ar. 1. q. 2. Durandus in eadem dist. q. 2. n. 7. Alensis 3. p. q. 17. membro 2. ar. 1.

Secunda sententia est affirmativa, & est iam communis Theologorum. cum Magistro in 3. dist. 18. & ibidem D. Th. & Scotus q. unic. § est igitur, Paludanus. q. 1. ar. 1. Almainus etiam q. 1. Gabriel. q. unic. ar. 2. Cartusianus. q. 2. tenet etiam eam Angelicus Mag. 3. p. q. 34. ar. 4. quem sequuntur Caiet. ibidem, & omnes Thomistæ, quorum cathalogum invenies apud M. Godoi 3. p. tract. 12. disp. 47. §. 1. & M. Gonet 3. p. disp. 21. ar. 1.

§. II.

Statuitur conclusio affirmativa.

Sit nostra conclusio: Xptus Dominus meruit in primo suę conceptionis instanti.

Communiter probatur hęc conclusio ex illo Pauli ad Hebręos 10. per illa verba. * ingrediens in mundum dixit: hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: ecce venio, in capite libri scriptum est de me: ut faciam, Deus, voluntatem tuam * perque verba docemur, quod Xptus, in ingressu

in mundum dixit: ecce venio: acsi diceret noluisti sacrificia antiqua, quia insufficientia; corpus autem passibile aptasti mihi, ecce venio ut hostia, unde me offero passioni, & morti, ut a peccato liberetur genus humanum, & fiat satis iustitiæ divinæ læsæ per peccatum. qui actus voluntatis Xpti Dni dici nequit quod non fuit meritorius, unde ibidem Apostolus paulo post subiungit: in qua voluntate sanctificati sumus.

Deinde illud ingrediens in mundum, formalissime verificatur de primo instanti sedi incarnationis, & generationis Xpti, & cum verba Sacræ paginæ intelligenda sint in sensu formali, stricto & rigoroso, si nullum sequitur inconveniens, sic intelligendum est illud ingrediens in mundum, quando utique dixit ecce venio, ut denotat illud adverbium tunc, assumptum facile suadetur quia non potest illud ingrediens in mundum de Xpto ante primum instans suæ conceptionis, ut patet, cum ante primum instans non esset, & potius verificabatur ingressurus in mundum, deinde non potest verificari de Xpto post primum instans suæ conceptionis, quia tunc non verificatur ingrediens, sed ingressus fuit, ergo unice potest verificari de primo instanti suæ conceptionis, ergo in primo instanti suæ conceptionis meruit.

Nec valet dicere cum P. Vazquez cui displicet probatio supra facta ex authoritate, quod illud ingrediens in mundum, non denotat primum instans suæ conceptionis, sed indefinite totum tempus suæ vitæ mortalis, & ad hanc suam expositionem stabiliendam non affert aliam rationem, nisi dicere quod non debet referri ad primum instans conceptionis Xpti, quia, quia nullus ex SS. illud explicant de primo instanti nisi solus D. Thomas.

Non inquam id valet, nec sine audacia magna, & ingenti potest non intelligi determinate de primo instanti conceptionis, quia sic illud explicat D. Th. qui sine dubio præferendus est Patri Vazquez, imo non datur comparatio inter suam & D. Thæ doctrinam sicut nec inter personas. Tum quia si illud intelligit D. Th de primo instanti conceptionis Xpti signum quod adest urgentissima, & verissima ratio, quæ fundatur in eo quod verba Sacræ paginæ intelligenda sunt stricte, quando non sequitur inconveniens, unde non adest locus ut intelligi debeant vel possint ad arbitrium P. Vazquez, & intellectum stricte significat primum instans, ut demonstratum est. Tum quia SS. PP. non dicunt quod intelligi debet de tempore vitæ Xpti indefinite sumptæ, ergo si D. Th. qui magis ad methodum scholasticam scripsit illud coarctat ad primum instans, standum, & sentiendum est cum D. Th. & non cum Patre Vazquez

Vlterius ratione probatur nostra conclusio, quia Xpto concedendum est, quidquid maioris dignitatis, & perfectionis est, quando muneri Redemptoris non opponitur: ut est principium apud Theologos commune, sed Xptum in primo instanti suę conceptionis meruisse, dignitatis, & perfectionis est, & non opponitur muneri Redemptoris, imo est valde proficuum tali muneri, ergo meruit in primo instanti.

Insuper probatur conclusio, quia si propter aliquam rationem non posset Xptus Dominus mereri in primo suę conceptionis instanti maxime quia in primo instanti non potuisset habere usum rationis, nec libertatem ad meritum sufficientem, sed Xptus Dnus in primo conceptionis instanti, & habuit perfectum usum rationis, & libertatem ad meritum exactam, ergo meruit in primo instanti suę conceptionis. maior est fundamentum Durandi, & aliorum pro sententia contraria subscribentium, probatur minor, quia Xptus Dnus in primo instanti suę conceptionis habuit scientiam beatam, & amorem beatificum ad visionem subsequutum, sed amor beatificus, ut terminatus ad bonitatem divinam quatenus est ratio diligendi creaturas, est actus meritorius, ut supra stabilitum relinquimus, & visio beata potest regulare actum istum ut meritorium, ergo habuit usum rationis, & libertatem ad meritum exactam, in primo suę conceptionis instanti.

Secundo probatur eadem minor ex D. Th. in hac. 3. p. q. 34. ar. 2. in argumento sed contra. ubi hęc habet. * Sed contra quia Augustinus dicit in libro de Trinitate, mox ut Verbum venit in uterum, servata veritate proprię naturę, factum est caro, & perfectus homo: sed perfectus homo habet usum liberi arbitrij, ergo ~~per~~ Xptus habuit in primo instanti conceptionis usum liberi arbitrij. * quę verba sunt & expressa, & probantia predictam minorem. & deinde illam exprofesso suadet Angelicus Magister in corpore articuli. ubi ad longum videri possunt eius angelica verba.

Tertio probatur eadem minor. quia Xptus in primo instanti fuit iustificatus, & sanctificatus, modo possibili perfectiori, per gratiam, sed modus perfectior sanctificationis per gratiam, est per proprium actum liberum, quomodo adulti iustificantur, ergo est quia in primo instanti usus rationis habuit usum rationis & liberum arbitrium.

Insuper probatur nostra conclusio ex illo Hieremię cap. 31 * Novum creavit Dominus super terram ~~mulier~~ fœmina circundabit virum. * idest, iuxta intellingentiam Sanctorum Patrum, Xptum in utero Matris, qui in primo instanti conceptionis, fuit circa tuus, ut vir, non corporali fortitudine, sed virilitate rationis. Unde Zacharię 6. dicitur

Xphus *Vir oriens* quia a primo instanti ingressionis in mundum, quæ est conceptio seu nativitas in mundo virili ratione pollebat, qua ratione Angelus nuntians B.V. natum anuntiavit Xphum in utero, Nunc sic sed perfectus usus rationis conveniens viro includit libertatem. & actum liberum regulatum ratione, ergo Xphus inprimo instanti conceptionis habuit actum liberum, & cum aliunde esset supernaturalis habuit ille actus quidquid desiderari potest ut fueret meritorius.

Nec valet dicere cum Durando Xphum inprimo instanti conceptionis, dici virum, orientem, seu virum circumdatum a fœmina. virum inquit, quoad habitus scientiæ, gratiæ, & virtutum omnium.

Non inquam, valet aliquid hæc solutio, quia pueri usu rationis carentes quando baptizantur accipiunt virtutes omnes, fidem, & gratiam quoad habitus, & non proinde dicuntur, nec sunt viri in ordine supernaturali. - Tum quia ut docet D. Th. citato ar. 2. ex q. 34. tertiæ partis, perfectio ultima non consistit in habitu, sed in actu, sed Xphus fuit in primo instanti plenissime perfectus. ergo habuit actum ultimum illorum habituum, & per consequens habuit in primo instanti actum intellectus & voluntatis, in quibus consistit usus rationis, exactus ad meritum.

Ulterius quia actus intellectus, & voluntatis in quibus consistit usus rationis. sunt actus instantanei, qui proinde incipere possunt cum primo esse, non enim sunt motus successivi, & actus imperfecti, sed sunt actus perfecti, & instantenei motus, ut pote spirituales, imo illuminatio in sole, etiam si sit actus incipit cum primo esse solis, quia actus perfecti, & instantanea mutatio est.

Denique probatur conclusio. quia Angeli in primo instanti suæ creationis. de facto meruerunt, unde in eodem primo instanti elicuere actum intellectus & voluntatis, & libere se exercuere, ergo & Xphus in primo instanti suæ conceptionis, potuit habere actum intellectus, & voluntatis & libere operari & proinde mereri Deum amando. quatenus est ratio diligendi creaturas, quo pacto potest esse obiectus amoris liberi, & similiter potuit mereri se offerendo hostiam in sacrificium, & acceptando passionem, & mortem pro redemptione generis humani.

§. III

Solvuntur argumenta

Obiicies primo: Ut Xphus Dominus in primo suæ conceptionis instanti potuisset mereri, & de facto meruisset, necesse est. quod in illo primo instanti potuisset habere, & de facto habuisset actionem liberam; sed in primo instanti non potuit habere actionem liberam, ; ergo in primo instanti suæ conceptionis non meruit. cætera patent. & probatur minor, quia ut

actio sit libera, requiritur quod taliter sit, quod possit non esse ex arbitrio voluntatis illam elicientis, sed actio existens, & potens existere in primo instanti non est huiusmodi, ergo in primo instanti suę conceptionis non potuit Xphus Dominus habere actionem liberam. probatur minor actio existens, & potens existere in primo instanti, est in primo instanti, ergo non existit, nec potest existere in primo instanti, ita ut possit non esse ex arbitrio voluntatis illam elicientis, antecedens est certum. si enim non esset, non esset meritoria. consequentia autem probatur, quia quodlibet dum est necesse est esse, ergo si in primo instanti est necesse est quod sit in primo instanti, & per consequens non ita existit in primo instanti, quod possit non esse ex arbitrio voluntatis illam elicientis.

Confirmatur, ut actio libera ita sit quod possit non esse ex arbitrio voluntatis illam elicientis, exigitur quod in aliqua vera realitate, seu in aliqua vera, & reali duratione voluntas illam eliciens sit sine tali actione. sed actio existens in primo instanti non supponit voluntatem in aliqua vera & reali duratione sine ipsa actione, ergo actio existens in primo instanti non ita est ut possit non existere ex arbitrio voluntatis illam elicientis.

Confirmatur secundo, ut actio sit libera requiritur quod oriatur a principio indiferenti, sed actio existens in primo instanti non oritur a principio indiferenti, quandoquidem voluntas est determinata per ipsam actionem. ergo actio existens in primo instanti non potest esse libera.

Confirmatur tertio ut actus liber sit, & existat exigit consultationem, ex qua oriatur, & concludatur prudens determinatio, sed consultatio cum sit discursus, & in Xpho formalis, cum sit discursivus, non potest esse in instanti. ergo actus liber non potest existere in primo instanti.

Respondeo primo quod si hoc argumentum aliquid convinceret probaret etiam Angelos in primo instanti suę creationis, non elicuisse actionem liberam & meritoriam, quod esse falsum ostenditur 1. p. q. 63. ar. 5 ubi ostenditur Angelos in primo instanti meruisse, & non potuisse peccare in illo instanti.

Secundo respondeo dicelte concessa maiori negando minorem, & ad probationem, vel concedo absolute maiorem, vel illam distinguo claritatis gratia, actio libera taliter debet esse quod possit non esse ex arbitrio elicientis, possit potentia antecedenti concedo maiorem, potentia consequenti nego maiorem, & distinguo minorem sub eisdem terminis, & nego consequentiam. & ad probationem concesso antecedenti, distinguo conseq. sub eisdem terminis. & ad probationem etiam distinguatur distinguo antecedens, & consequens, sub eisdem terminis & nego ultimam consequentiam. solutio etiam patet.

Ad primam confirmationem, nego absolute maiorem, & instatur in actu libero Angelico in primo instanti creationis illorum, quorum voluntas non extitit vere & realiter in aliqua duratione in qua non fuisset actus liber. Instatur secundo in decreto libero Dei, quod est æternum sicut & voluntas divina.

Secundo respondeo distinguendo maiorem requiritur quod præexistat voluntas, præexistentia causæ, seu præexistentia naturæ concedo maiorem alia præexistentia nego maiorem, & distinguo minorem eodem modo, & nego consequentiam.

Ad secundam confirmationem distinguo maiorem ut actio sit libera requiritur quod oriatur a principio indifferenti indifferentia suspensionis nego maiorem, indifferentia non opposita libertati & opposita determinationi concedo, & distinguo minorem eodem modo, & nego consequentiam. ad libertatem enim non exigitur quod procedat a principio suspenso ab omni exercitio, principia enim exacta ad libertatem solum exigunt existere quando est actus liber, non in duratione antecedenti, ut patet in Deo qui est summe liber in eliciendis suis decretis, absque eo quod debet præsupponi eius voluntas indifferens indifferentia suspensionis. Solum ergo exigitur quod actus liber exeat & oriatur a principio indifferenti indifferentia libertatis, idest quod oriatur a voluntate taliter operante quod quando operatur posit potentia antecedenti non operari, vel agere seu elicere actum contrarium.

Ad tertiam confirmationem respondeo, quod illa consultatio solum exigitur in non habente plenitudinem cognitionis, & scientiæ, cum autem Xptus in primo instanti suæ conceptionis habuisset visionem beatam, & scientiam supernaturalem per se infusam habuit proinde plenitudinem scientiæ & cognitionis, unde non fuit necessarius discursus formalis, & consultatio formalis, sed fuit sufficiens discursus, & consultatio eminentialis, seu virtualis.

Obiicies secundo replicando contra præcedentem doctrinam: in natura rationali prior est conceptus radicaliter operativæ necessario, quam conceptus radicaliter operativæ liberæ, ergo in primo instanti conceptionis Xpti debuit explicari per actum necessarium, quam per liberum, sed actus necessarius ~~liber~~ meritorius non est, ergo, Xptus in primo instanti suæ conceptionis non potuit mereri. ~~[illegible]~~

~~[illegible]~~ Subsumpta cum sua consequentia patet, probatur ergo antecedens: probanda postea prima consequentia. Primo. quia in natura rationali prior est conceptus radicaliter intellectivæ, quam conceptus radicaliter volitivæ. Sed operatio intellectus non est formaliter libera, sed necessaria, ergo prior est in natura rationali conceptus necessario operativæ, quam liberè.

Secundo, quia in ipsa voluntate prior est conceptus operativus per modum naturae, quam conceptus operativus liberè. Sicut prior est tendentia ad finem, quam ad media ergo absolute in natura rationali prior est conceptus operativus necessario, quam liberè.

Iam ergo prima consequentia probatur quia ideo in natura rationali est prior intellectus, quam voluntas, quia in eadem natura rationali est prior conceptus radicaliter intellectivus, quam conceptus radicaliter volitivus, ergo si prior est in natura rationali conceptus radicaliter operativus necessario, quam conceptus radicaliter operativus liberè prior debet esse actus necessarius quam liber. & per consequens in primo instanti prius est stabiliendus & ponendus actus necessarius per quem explicatur in exercitio primus conceptus naturae, quam actus liber.

Confirmatur seu ulterius probatur eadem prima consequentia. ideo in intellectu est prior cognitio principiorum, quam cognitio conclusionum, quia in intellectu est prior conceptus proxime intelligentis principia, quam conceptus proxime intelligentis conclusiones, ergo idem quod prius.

Denique probatur eadem consequentia ideo in intellectu est prior apprehensio, quam iudicium vel discursus, quia in intellectu prior est ratio apprehensivi, quam iudicativi, & discursivi. ergo idem.

Ad hoc argumentum in quo valde fidit sententia contraria Respondeo primo concesso absolute primo antecedenti, concedimus enim quod in natura rationali prior est conceptus radicaliter operativus necessario, quam liberè. quod salvatur per hoc quod in omni natura intellectuali, sive in Xpto, sive in homine, sive etiam in Angelis sit prior actus intellectus in quo libertas formaliter non est, sed necessitas, quam actus voluntatis, in quo est formalis libertas, Unde non convincitur ex hoc, quod etiam in voluntate debeat primo existere actus necessarius quam liber, ut patet in Angelis, qui in primo instanti suae creationis meruerunt, & si non placuissent peccare, unde fuit in eorum libertate actus liber. in nobis autem si actus indeliberatus, & necessarius praecedit regulariter actum liberum, est quia cognitio, qua regulatur voluntas est imperfecta, ut pote nostra cognitio est de imperfecto ad perfectum, unde primum cognitum a nostro intellectu est ens universale, vel sub communissimo conceptu entis prout abstrahit a corporali & spirituali, ut docet probabilis sent.a thomistarum, quam sequuti fuimus in Physica. ad 1. lib. Physicorum, vel est primum cognitum ens universale prout abstrahit solum ab ente corporali, & sensibili. ut docet etiam probabilis sent.a thomistarum. quae ratio non urget in Xpto. nec in Angelis, in Xpto quia in primo instanti suae conceptionis habuit scientiam beatam, & supernaturalem. in Angelis, quia sunt naturae intellectualis perfectae.

Et iuxta hanc doctrinam respondetur ad argumentum informa, concesso antecedenti distinguendo consequens, ergo in primo instanti conceptionis Xpti debuit eius natura intellectualis per actum necessarium, & non per liberum, in eius prima, & intimior potentia, videlicet in intellectu concedo consequentiam, in primo, & secunda eius potentia, nempe in intellectu & voluntate, nego consequentiam, & deinde concessa minori subsumpta, nego ultimam consequentiam. quam solutionem, & distinctionem non infringunt sequentes probationes, antecedentis, & primę consequentię.

Unde licet in natura intellectuali redeplicative ut radicaliter intellectiva, sit prior conceptus intellectivus necessario, quam libere, in natura intellectuali redeplicative ut radicaliter volitiva, non est prior conceptus volitivus necessario, quam libere, sed hi conceptus se habent ut independentes, ita ut in natura intellectuali perfecta, vel cui convenit in primo instanti intellectio perfecta, vel perfectissima, prior est conceptus libere, videlicet si cognitio repręsentat obiectum creatum, cum obiectum creatum non possit necessitare voluntatem, ad eius amorem. Si autem natura intellectualis incipit a cognitione imperfecta, prior est actus indeliberatus, quam liber.

Secundo respondeo ad argumentum, concesso etiam primo antecedenti, concedendo etiam primam consequentiam, ex quo non infertur ultima consequentia, etiam concessa minori subsumpta, quia in Xpti voluntate creata eius primus actus fuit amor beatificus, qui amor sub primaria formalitate sub qua terminatur ad Deum ut est in se est necessarius, sub alia autem formalitate secundaria sub qua terminatur ad Deum ut est ratio diligendi creaturas. est actus liber, ~~ut~~ ut iam explicatum est supra. disp. 20. ar. 1. § 4

Vel claritatis gratia concesso antecedenti distinguatur primum consequens, ergo in primo instanti conceptionis Xpti debuit explicari per actum necessarium, qui simul sub alia formalitate esset liber, concedo, qui sub nulla formalitate esset liber nego consequentiam quę solutio est clarior, & facilior, et iam patet ex dictis. Sed nota quod licet hęc secunda solutio pro presenti difficultate, & iuxta subiectam materiam, loquendo videlicet de Xpto, sit sufficiens, clarior & vera, tamen absolute loquendo, & prescindendo de subiecto habente naturam intellectualem, standum est primę solutioni, quia debemus solvere argumentum, ita ut sit connexio inter illam doctrinam, & aliam de Angelis. 1. p. q. 63. ar. 5. ubi docetur Angelum in primo instanti meruisse, & non potuisse peccare etiam attenta potentia absoluta.

Obiicies secundo. Sicut se habet liberum arbitrium, ad meritum, ita se habet ad demeritum, sed Xptus in primo instanti non potuit peccare, ergo nec mereri.

Respondeo instando. Sicut se habet liberum arbitrium ad meritum, ita se habet ad demeritum, sed Xptus in secundo, vel tertio instanti, imo, nec in toto tempore suę vitę mortalis potuit demereri peccando, ergo nec mereri, pessima consequentia.

Respondeo secundo ex D. Th. in hac 3. p. q. 34. ar. 3. ad 2. & dico quod hoc argumentum continetur in primo ar[gumento] quęstionis quod contra hanc quęstionem sibi opposuit Angelicus Magister, per hęc verba: * Videtur quod Xptus in 2°. instanti mereri non potuerit: sicut enim se habet liberum arbitrium ad merendum ita ad demerendum, sed Diabolus in primo instanti suę creationis non potuit peccare ut in 1. p. habitum est, ergo nec anima Xpti in primo instanti potuit mereri. * Cui argumento respondet + ad primum dicendum quod liberum arbitrium non eodem modo se habet ad bonum, & ad malum, nam ad bonum se habet per se, & naturaliter, ad malum autem se habet per modum defectus, & pręter naturam id autem quod est pręter naturam est quędam excisio ab eo quod est secundum naturam, & ideo liberum arbitrium creaturę potest in primo instanti moveri ad bonum merendo, non autem ad malum peccando *

Ubi notandum est quod in minori supponitur quędam paritas, quę est ista Angelus in primo instanti non potuit demereri, ergo nec mereri; ergo nec Xptus. & respondet Angelicus Magister. concedendo ans, & negando consequentiam primam, & proinde negat secundam, et ratio disparitatis est iam assignata.

In 1. p. autem. q. 63. ar. 5. facit tertium argumentum a contrario. scilicet hoc modo. Anima Xpti. & Angeli boni in primo instanti potuerunt mereri, ergo & Diabolus in primo instanti potuit peccare. cui argumento respondet ad tertium dicendum quod quid est in merito est a Deo. & ideo Angelus in primo instanti suę creationis mereri potuit, sed non est similis ratio de peccato, ut dictum est. in corpore videlicet eiusdem articuli, idest. quia operatio incipiens cum primo esse rei tribuitur authori ipsius Rei. unde si Angelus in primo instanti peccasset tribueretur Deo. Sed de hoc. ad 1. p. loco citato.

Denique obiicies in primo instanti in quo res incipit esse, non potest operari, sed meritum est operatio. ergo non potuit Xptus in primo instanti mereri maior in qua est difficultas probatur quia prius est esse quam operari, cum operari sequatur ad esse.

Resp°. instando, in Sole, qui in primo instanti in quo incepit esse, incepit illuminatio. Secundo instando in Angelis. dixit resp°. negando maiorem, & ad probationem distinguo ant. prius est esse quam operari, prioritate Naturę concedo. prioritate reali nego.

Articulus. II.

Vtrum Xptus Dominus meruisset a primo conceptionis instanti continuate usque ad mortem?

§. I.

Statuitur conclusio affirmativa.

Tempora de quibus potest dubitari an Xptus Dominus meruisset sunt quatuor, nempe primum instans suæ temporalis conceptionis, de quo iam articulo præcedenti. Secundum, illud quod mediat inter primum prædictum instans, & primum instans intrinsecum mortis, in quo verificatur nunc est mors, & antea non erat seu verificatur nunc est cadaver, & antea non erat, quod primum instans est intrinsecum mortis, quia tunc est mors infacto esse. Tertium est, hoc instans intrinsecum mortis quando nempe primo verificatur nunc est mors, & antea non erat, seu nunc non existens corpus Xpti, & immediate antea erat. Quartum est totum tempus quod transcurrit post mortem Xpti, et vel fuit in mundo ante Ascensionem vel iam est in cælo sedens ad dexteram Patris. de primo instanti iam diximus. unde in hoc articulo de tempore secundo agimus. postea agendum restat, de tertio, & quarto.

Secundo tempus vitæ Xpti & habuit infantiam, iuventutem, & virilitatem. & de omni procedit dubium.

Sit conclusio. Xptus Dominus meruit continuate a primo conceptionis instanti, usque ad mortem. unde meruit existens in utero virginis, in infantia, & semper quod vixit in hac vita mortali.

Est hæc conclusio communis Theologorum. nullo quem viderim excepto. quod autem meruisset in infantia. est ita certum ut oppositum asserere sit & censeatur communiter temerarium. refertur etiam Durandus pro ista conclusione, licet de tempore infantiæ videatur quod expresse illud non docuerit. sicut nec oppositum.

Et facile probatur. primo a paritate: Xptus Dominus meruit in primo conceptionis instanti, ergo & postea in utero Virginis, per illos videlicet novem menses, & in nativitate, & in infantia. & per consequens & postea usque ad mortem.

Vlterius probatur ratione fundata in illo principio communiter accepto, & pluries repetito, videlicet, quia omnis perfectio possibilis compatibilis cum munere redemptoris concedenda est Xpto, sed Xptum Dominum meruisse in Utero, in infantia, & continuate usque ad mortem, est dignitas, &

perfectio possibilis, ergo concedendum est meruisse in Utero Virginis, in nativitate, in infantia & continuate usque ad mortem. minor constabit ex argumentorum solutione.

Quod autem meruisset in infantia probatur etiam ex Sanctis Patribus. Sit primum testimonium ex D. Ambrosio lib. 1. in Lucam cap de Nativitate Salvatoris, per hæc verba: * Me illius Infantiæ vagientis abluunt fletus, mea lachrymæ illæ delicta lavant. * Secundum testimonium sumitur ex D. August. Serm. 11. de tempore: ubi ait: * Adoremus pannos infantiæ, ex quibus facta sunt emplastra naturæ. * Deinde D. Bernardus Serm. 1. loquens de Circuncisione, ait: * Xptus vero patienter, quæ non rapuit, exsolvit, scilicet circuncisione. * Denique D. Thom. in hac 3. p. q. 37. ar 1. inter alias causas Circuncisionis Xpti, hanc assignat, scilicet: * Ut Legis onus in se sustinens, alios a Legis onere liberaret. *

§. II

Argumentum sumptum a ratione solvitur

Obiicies primo: Actio meritoria est actus liber voluntatis. exigens proinde actum intellectus illum regulantem; Sed tempore infantiæ, & proinde nec quando fuit in Virginis utero, non potuit in Xpto esse actus intellectus regulans actum voluntatis meritorium, ergo Xptus non potuit mereri in infantia, & proinde nec in Utero Virginis. cetera patent, probatur minor. Si aliquis actus intellectus posset regulare in Xpto actum voluntatis meritorium, maxime vel visio beata, vel actus scientiæ infusæ, sed nec visio beata, nec actus scientiæ infusæ potuit regulare actum meritorium, ergo vera est minor. maior constat. probatur minor primo quoad primam partem, probanda postea quoad secundam. ~~[illegible]~~ quia meritum convenit Xpto quatenus Viatori, Sed visio beata non convenit Xpto ut viatori, sed ut comprehensori. ergo visio beata non potuit regulare meritum.

Probatur minor quoad secundam partem quia Scientia infusa dependet a sensibus, cum sit eius rationis ac scientia experimentalis, & acquisita. Sed tempore infantiæ, & quando fuit in Virginis utero sensus erant impediti.

Respondetur, iuxta dicta disp. 20. ar. 1. §. 7. concessa maiori negando minorem & ad probationem concessa maiori negatur minor quo ad primam partem. ob rationes iam explicatas citato loco. unde non approbo solutionem aliquorum recurrentium ad actum scientiæ infusæ supernaturalis. quia & si hæc scientia quatenus est ex se. possit exire in actum sine dependentia a corpore, tamen, non regulat actum Charitatis a quo formatur meritum, cum in Xpto non esset alius actus Charitatis nisi regulatus scientia beata, qui ut terminatur ad Deum ut est ratio diligendi creaturas est liber, & meritorius, ut quo iam dictum est supra.

§. III

Speciale argumentum sumptum ab inconvenienti proponitur

Obiicies secundo si Xptus Dominus meruit in primo conceptionis instanti non potuit mereri in infantia, nec ulterius, sed iuxta dicta articulo praecedenti meruit in primo instanti, ergo non meruit in infantia ‡ probatur maior. si meruit in primo instanti meruit omnia dona gratiae, cum eius quodlibet meritum esset infinitum, ergo vel in infantia, et postea non meruit, vel bis, aut pluries idem praemium meruisset, sed hoc non potest esse, ergo si meruit in infantia non potuit mereri in infantia, nec postea. Sequella maioris est nota, unde solum restat probanda minor, quae sic probatur: quia meritum facit quod praemium transeat de non debito, in debitum, sed si meruit in primo instanti, praemium iam erat debitum, et per consequens, meritum quod esset in infantia, non posset facere quod praemium transiret de non debito in debitum, ergo est quia idem praemium postea quam iam debitum est non potest iterum mereri.

Confirmatur id quod semel quis emit ab aliquo, iterum non potest illud emere ab eodem, v.g. si Petrus palium emit triginta argenteis, non potest idem Petrus iterum emere idem palium aliis triginta argenteis, ergo pariter praemium semel emptum, vel quasi emptum per meritum, non potest per aliud meritum iterum emi seu quasi emi.

Confirmatur idem effectus non potest dependere a duplici causa physica efficiente adaequata, ut docetur a Thomistis in fisica, ergo nec idem praemium potest dependere a duplici causa meritoria adaequata.

§. IV

Reiicitur quidam modus dicendi

Aliqui respondent ad hoc argumentum negando maiorem, dicunt enim quod Xptus Dnus, licet in quolibet suo opere posuisset condignitatem, quoad sufficientiam in ordine ad omne praemium possibile, non tamen illud constituit dignum quoad efficaciam, quia Xptus non quamlibet suam actionem applicuit ad omnia dona promerenda, unde non per quamlibet meruit quoad efficaciam adaequatam redemptionem generis humani, sed solum applicuit collectionem omnium suarum actionum meritoriarum ad totam collectionem donorum gratiae, inter quae est nostra redemptio, et singulas suas actiones meritorias ad singula dona gratiae promerenda quoad efficaciam, licet ignotum sit nobis quae dona per has actiones, et quae per illas, de facto meruerit. quia ut dicit Isaias. cap. 40. * Quis cognovit sensum

Domini, aut quis consiliarius eius fuit? * cum hoc tamen discrimine inter passionem & mortem, & alias precedentes actiones meritorias, quod, quidquid ~~[illegible]~~ per singulas sorsim meruit, per passionem, & mortem collective meruit. quo pacto in Sacris litteris nostra redemptio attribuitur passioni Xpti.

Motiva supra quę fundatur iste modus dicendi sunt diversa. primum, quia si Xptus per primum actum meritorium meruisset pro hominibus omnia dona gratiæ ipsis impertienda, sequeretur quod per illum actum primum meritorium fuisse consumatum opus nostræ Redemptionis, consequens est falsum alias, per mortem, & passionem nihil meruisset, unde foret superflua. ergo per meritum illud primi actus non meruit quoad efficaciam omnia dona gratię. Sequella probatur, quia Deus acceptavit Xpti meritum secundum omnia quę promeruit.

· Secundum fundamentum huius dicendi modi, est, quia iuxta communem Theologorum sententiam in 4. dist. 1. ianua cælestis non fuit hominibus aperta ante mortem Xpti, & similiter Sacramenta instituta ante mortem Xpti non conferebant tam perfectum spiritualem effectum, sicut conferunt modo post passionem & mortem Xpti. Sed hęc duo, quę vera sunt in omnium sententia, vera esse non possent si Xpus per primum actum meritorium omnia dona gratię promeruit, cum principale donum gratię, sit & apertio ianuę cęlestis, & uberrimus fructus Sacramentorum, quę essent promerita per illum primum actum, ergo est quia illud primum meritum non habuit efficaciam ad promerenda omnia dona gratię.

Tertium fundamentum est quia sequeretur quod Xptus non nos redemisset per suam passionem, & mortem, sed hoc dicere est absurdum, ergo illud primum meritum non se extendit quoad efficaciam ad omnia dona gratię. Sequella maioris probatur, quia per suam passionem, & mortem non mereretur nostram redemptionem, ergo per illam nos non redemisset. anc probatur, quia mereri, est facere premium de non debito debitum, sed hoc non faceret passio, ergo per passionem, & mortem non mereretur nostram redemptionem. probatur minor quia premium ante passionem, & mortem, iam esset debitum, ergo proprie non faceret premium de non debito debitum.

Denique sumit hic modus dicendi ex D. Th. in hac. 3. p. q. 48. ar. 1. ad. 2. ubi ait: * Dicendum quod ~~[illegible]~~ Xptus a principio suę conceptionis meruit nobis salutem æternam, sed ex parte nostra erant quędam impedimenta quibus impediebamur consequi effectum precedentium meritorum, unde ad removendum illa impedimenta oportuit Xptum pati. * ex quibus verbis formatur hoc argumentum, remotio impedimentorum ad effectum meriti consequendum est aliquod donum gratiæ

Sed hanc remotionem non meruit nobis Xphus per primum meritum, sed per suam passionem, & mortem, ergo meritum primum, & omnia merita infantiæ, & omnia alia antecedentia passionem non fuerunt quoad efficaciam erga omnia dona gratiæ promerenda.

§. V.

Legitima solutio explicatur.

Pro intelligentia Legitimæ solutionis habenda est præ oculis ex physica divisio causæ in totalem, & partialem, deinde causa totalis alia est totalis totalitate causæ, & totalitate effectus, alia est totalis solum totalitate effectus, at non totalis totalitate causæ, primum genus causæ totalis excludit aliam concausam totalem, ut explicatur in physica, & nec dependentia absoluta idem effectus a duplici causa totali provenire potest. in nostra, & omnium thomistarum sententia. Secundum genus causæ totalis admittit aliam concausam, cum et si totus effectus ipsi correspondeat non tamen totaliter totalitate causæ, unde plures causæ sic concurrentes sunt partiales.

Secundo notandum est, & maxime præ oculis habendum, quod causa meritoria cum sit talis per actionem liberam, potest ita ponere in re aliquod meritum, quod illud non dirigat & ordinet ad totum præmium acquirendum, sed cum dependentia ab alia, vel ab aliis actionibus meritoriis, unde & Deus illud meritum non alio modo acceptat, & proinde etsi primum ex se, & quoad sufficientiam in actu primo possit adæquare præmium de facto tamen in actu secundo ad totum præmium non ordinatur, nisi cum dependentia voluntaria, quam sibi imponit ab alia, vel ab aliis actionibus meritoriis, unde cum prædicta dependentia ad totum præmium extenditur, & sic extenditur ad totum præmium totalitate effectus, sed non totalitate causæ.

Respondetur ergo relicta solutione §. præcedentis, ad argumentum positum §. 3. negando maiorem, meruit enim Xphus in primo instanti, & in utero virginis, & in infantia, verum etsi quælibet actio quoad sufficientiam, sit causa adæquate meritoria omnis præmii, & Redemptionis generis humani, & omnis doni nobis collati, & conferendi per Xphum, tamen actio illa libera, & meritoria primi instantis, & quælibet alia subsequuta, taliter voluit in præmium redemptionem quod illam voluit, sicut & dona gratiæ generi humano conferenda, ut complenda per passionem, & mortem. quæ solutio constat ex textu citato ex Ap. ad Hebræos 10. * ingrediens in mundum dixit, hostiam, & oblationem noluisti corpus autem aptasti mihi &c. tunc dixi ecce venio. * idest ecce venio & accepto præceptum moriendi, & offero me in hostiam, & sacrificium, per mortem in cruce perficiendum, ergo taliter meruit, quod libere voluit quod meritum compleretur per passionem.

Ad probationem maioris, distinguatur iuxta hanc doctrinam maiorem si meruit in primo instanti, meruit omnia dona gratiæ, si meruit in primo instanti, sine dependentia a meritis subsequentibus concedo, si cum dependentia voluntaria, illa dona meruit subdistinguo totalitate effectus concedo, totalitate causæ nego maiorem, & nego sequellam & omissa subsumpta nego consequentiam, quam solutionem non infringit probatio in contrarium adducta. dixi omitto minorem, quia idem præmium potest pluribus titulis mereri ut pat. ex D. Th. in hac. 3. p. q. 39 citata ar. 3. ad 3. & q. 19 & ucit. ar. 7. ad 6. & in 3. dist. 18. q. 1. ar. 5.

Ad confirmationem respondet D. Thomas in 3. dist. 18. q. 1. citata ad 2. his verbis. * ad 2. dicendum quod emptio est principaliter propter habendam rem, quæ emitur, & ideo postquam semel empta est ulterius non emitur; sed actio, qua quis meretur non est principaliter propter præmium consequendum, sed propter bonum charitatis, unde homo habens charitatem, etiam operatur si nulla retributio sequatur, unde etiam postquam meruit aliquid operatur, & id quod sibi primo uno modo debebatur, postea alio modo sibi debetur.

Addo, ex prædicta nostra doctrina, quod primum meritum, nec qualibet actio meritoria, licet infinita, non facit sibi totaliter debitum præmium sine dependentia a complemento ponendo per mortem & passionem. emptio autem facit sibi propriam rem emptam iusto pretio, sine dependentia ab alio pretio.

Ad secundam confirmationem potest solutio ex dictis responderi distinguendo antecedens, & illud concedo de duplici causa totali totalitate causæ & effectus, & nego illud de causa solum totali totalitate effectus, & non totalis sed partialis ex parte causæ.

Ad motiva supra quæ fundatur modus dicendi relectus §. antecedenti constat solutio ex dictis. solum restat solvere ultimum desumptum ex illa authoritate Angelici Magistri in hac. 3. p. q. 98. ar. 2. ad. 2. Respondeo quod impedimenta quæ notat D. Th. quæ aderant in nobis ne consequamur effectum meritorum Xpti, quæ fuerunt ante passionem, & mortem, & quæ auferuntur per mortem & passionem sunt illa ad quæ se refert idem Sanctus Doctor, ibidem, quando post relata verba dicit. * sicut supra dictum est. * & citat in margine. q. 46. precedentem. ar. 3. in corpore & ad. 2. ~~[illegible]~~ * impedimenta enim sunt, carentia exercitij dilectionis dei, obedientiæ, humilitatis, iustitiæ, religionis, tolerantiæ, & aliarum virtutum, quæ exercitia maxime resplenduerunt in passione & morte, unde dedit exemplum ut nos in virtutibus exceamur, omnia ergo alia merita merita Xpti non ita expresse hoc exemplum dederunt, unde oportuit Xpstum pati ut removerentur impedimenta, non quia alia merita non meruissent ablationem horum impedimentorum, sed quia per passionem & mortem, accepit meritum præcedens complementum. cum exercite, ad exercitia virtutum omnium non provocaret

Articulus III

Vtrum Xptus Dnūs meruisset in primo instanti intrinseco mortis, quod est vltimum extrinsecum vitae?

§. 1

Statuitur conclusio negativa

Supponit titulus doctrinam communissime explicatam ad libros Physicorum, videlicet Substantias desinere esse extrinsece, & per primum sui non esse, & similiter quod Substantia incipit intrinsece per primum sui esse, unde in presenti illud dicitur primum instans intrinsecum mortis Xpti, in quo verificatur, nunc est, seu nunc incipit esse cadaver, seu nunc est mors, & antea immediate non erat cadaver, nec erat mors Xpti. unde corpus Xpti desinit esse vivum extrinsece, quia tunc desinit esse vivum quando verificatur nunc non est vivum, & immediate antea erat vivum, & cum illud quod immediate antecedit ad instans reale, sit pars temporis, in alias, & alias partes divisibilis, non potest assignari tempus in quo sit verum dicere nunc est vivum & immediate post non erit. qua doctrina Supposita, Statuitur conclusio.

Sit nostra Conclusio:

Xptus Dominus non meruit nec potuit mereri in primo instanti intrinseco mortis, quod est ultimum vitę, terminans extrinsece vitam.

Est hęc nostra conclusio communior inter Theologos, licet videatur Emī. Caietanus in hac. 3. p. q. 50. ar. 6. § ad primum dicitur, oppositum docere. cęterum nostra conclusio est expressa in Angelico Preceptore. in 3. p. q. 50. ar. 6. in corpore, ubi ait: * Mors Xpti non potest esse causa nostrę Salutis per modum meriti, sed solum per modum efficientię.* quę eadem quasi, repetit ad 2. ibidem. imo in toto articulo, ea suadet. unde Angelicum Magistrum Sequuntur Thomistę omnes.

Potest probari hęc conclusio authoritate. nam ut testantur Evangelistę. Xptus in Cruce. dixit: Consumatum est, & ~~[illegible]~~ & inclinato capite emisit Spiritum* ut notat Ioannes cap. 19. consumatum est & conclusum meritum, & opus redemptionis nostrę, ergo meritum non fuit in morte in facto esse.

Ratione autem Suadetur quia Status vię est una ex conditionibus essentialiter exactis ad meritum, sed illud instans, non pertinet ad Statum vię pro Xpto. ergo. non meruit in primo instanti intrinseco mortis. maior Supponitur ex 1. 2. q. 114. ar. 1.

§. II.

Fundamentum contrarium solvitur.

Obicies ex doctrina Caietani loco citato, & 2.2. q. 124. ar. 4. Mors Xpti in facto esse, secundum quod est terminus mortis in fieri est voluntaria, & libera libertate viae. ergo est meritoria, antecedens probatur, actus exterior habet eamdem voluntarietatem, ac libertatem, ac habet actus interior illi correspondens, sed actui interior quo Xptus Dominus voluit occidi, & cui ut terminus, & exercitium externus correspondet mors infacto esse, est liber, & voluntarius, voluntarietate, & libertate viae, ergo mors Xpti infacto esse, secundum quod est terminus mortis in fieri est voluntaria, & libera, libertate viae.

Confirmatur quia Scriptura, & Patres communiter attribuunt opus nostrae redemptionis ad Passionem, & mortem Domini. Sed haec locutio, salvari non potest, nisi Xptus Dnus mereret in instanti intrinseco mortis, seu in ipsa morte in facto esse, ergo mors in facto esse fuit meritoria. probatur minor, primo quia mors, proprie non verificatur nisi de morte in facto esse, mors enim in fieri, non est mors, sed vita, ergo tunc non est mors quando est in fieri nisi improprie, sed nulla est ratio ob quam non verificari debeat quod Xptus proprie per mortem, nos redemit, sicut verificatur proprie nos redemisse per passionem, ergo vera est minor.

Secundo probatur eadem minor, quia Scriptura & Patres distinguunt inter passionem, & mortem, sed mors in fieri, prout contra distincta a morte in facto esse, non distinguitur a Passione cum ipsum pati sit occidi, & mori in fieri, ergo est quia mors infacto esse est meritoria.

Confirmatur secundo: Mori in facto esse est actus exterior Martirii, ergo meritoria tam in Xpto, quam in eius martiribus. ans probatur, primo, quia dicitur in Ecclesia Dei: Pretiosa in conspectu Domini. Mors Sanctorum eius, secundo quia nisi aliquis in facto esse moriatur propter fidem, non est verus Martir, quamvis pro fide multa sustineat, ergo est quia mors in facto esse est actus exterior martirii.

Licet predicta probabilem constituant hanc Caietani sententiam, tamen fundamenta pro nostra conclusione illam reddunt probabiliorem. unde informa ad argumentum respondeo negando antecedens, & ut ad eius probationem respondeamus. sciendum est, quod plures Theologi docent quod actus exterior martirii est ipsa passio, seu sustinentia mortis in fieri, ex qua infallibiliter, & secundum naturam sequatur mors, etiam si alias per miraculum de facto impediatur, & iuxta hanc sententiam concessa maiori, absolute, & minori quo ad primam partem, negatur quo ad secundam.

Alij autem Theologi asserunt actum exteriorem martirij esse esse ipsam mortem infieri non ut in passione, & sufferentia tormentorum, sed prout ipsa mors infieri consideratur in tempore immediato, & antecedenti ad primum instans intrinsecum mortis in facto esse. & iuxta hanc sententiam etiam facile respondetur ad probationem antecedentis concessa maiori quo ad secundam partem. unde absolute negatur in utraque solutione ex duabus datis, quod mors infacto esse sit actus exterior, seu terminus intrinsecus actus interioris quo Xptus voluit occidi, unde mirum non est quod non habeat eamdem libertatem ac actus interior.

Tertio Respondeo ~~[illegible]~~ negando etiam antecedens, & ad probationem distinguo, & explico maiorem actus exterior habet eamdem libertatem &c. ac interior, quando exterior actus habet easdem conditiones, & proinde elicitur in via concedo quando non habet easdem conditiones, & non elicitur in via nego maiorem, & concessa minori nego consequentiam.

Ad primam confirmationem respondeo, mortem infieri proximo, absolute & simpliciter dici mortem, unde absolute verificatur communis locutio Ecclesiæ, Patrum, & Scripturæ Sacræ. & in præsenti adest fundamentum maximum, ut mors quatenus meritoria intelligatur more infieri proximo & non de morte infacto esse, cum isti deficiat una ex conditionibus, vel ex natura rei, vel ex ordinatione divina ex actis ad merendum, nempe status viæ.

Ad secundam probationem respondetur quod ut PP. distinguant inter passionem, & mortem, & asserant quod Xptus nos redemit per passionem, & mortem sufficit, quod mors infieri proximo, distinguatur a morte infieri remoto, mors enim infieri remote coincidit cum passione, & passio est mors infieri remote, non proxime.

Ad secundam confirmationem respondetur ex dictis ad argumentum. quorum examen pertinet ad 2.2. q. 124.

Replicabis contra dicta. de morte infacto esse verificatur id quod dicit Ecclesia in Præfatione. Qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit. ergo mors infacto esse est meritoria.

Confirmatur. ex illo quod canit Ecclesia Sabbato Sancto * O certe necessarium Adæ peccatum. quod Xpti morte deletum est * ergo idem.

Respondeo. illud verificari de morte infieri proxime, quæ absolute dicitur mors. vel secundo respondeo, quod si contenditur. verificari de morte infacto esse. verificatur de illa quod efficitur, pluries, ~~vel~~

moraliter, non tamen meritorie destruxit mortem nostram. Ut expresse docet Angelicus Mag.^r 3. p. q. 50. ar. 6. citato, in corpore. ubi haec habet verba: * In facto esse mors Xpti considerata, secundum quod iam facta est separatio corporis, & animae hoc modo mors Xpti non potest esse causa salutis nostrae, per modum meriti, sed solum per modum efficientiae inquantum scilicet, nec per mortem Divinitas separata fuit a Xpti carne & ideo quidquid contigit circa carnem Xpti, & eius animam fuit nobis salutiferum virtute Divinitatis unitae. * verba sunt D. Thomae quae clarissime suadent nostram doctrinam.

Et instatur in resurrectione Xpti, de qua eodem modo dicitur, quod vitam resurgendo reparavit, ac mortem nostram moriendo destruxit, sed resurrectio non fuit causa meritoria nostrae vitae, sed solum per modum efficientiae, ut tenet Caietanus alias post mortem meruisset, & nunc mereretur Xpstus. ergo. Resp. per hoc patet ad confirmationem.

Articulus. IV.

Vtrum Xptus Dnus meruisset post mortem, & nunc in Cœlo?

§. I.

Statuitur conclusio negativa.

Tempus, quod consideratur post mortem Xpti, & de quo potest dubitari an in illo meruerit, est vel tempus illud, quod fuit mortuum in cruce, quando videlicet vulnus lateris accepit, vel descensionis a cruce, vel sepulturæ eius, vel descensionis eius sanctissimæ animæ ad inferos, vel Resurrectionis tempus, vel illud quod fuit a Resurrectione usque ad Ascensionem, & denique ab Ascensione cum iam sedet ad dexteram Patris.

Conclusio ergo nostra absolute est negativa, & dicimus quod Xptus Dominus non meruit post mortem, nec modo meretur in cœlo. est Communis Theologorum. & eam quasi per partes expresse affirmat & probat Angelicus Mag. a q. 50. usque ad 57. huius 3. p. in quæstione videlicet 50. ar. 6. negat absolute meritum in morte Xpti in facto esse. in q. 51. per 4 articulos agit de sepultura eius. in q. 52. de descensu Xpti ad inferos. a q. 53. usque a 56. agit de resurrectione & in q. ista 56. ar. 1. ad 1. dicit quod Resurrectio Xpti non est per se loquendo causa meritoria nostræ Redemptionis. & q. 57. agit de Ascensione in Cœlum. & ar. 6 ad 2. dicit: * quod Passio Xpti est causa nostræ ascensionis in Cœlum proprie loquendo per remotionem peccati prohibentis, & per modum meriti: Ascensio autem Xpti est directe causa Ascensionis nostræ, quasi inchoando ipsam in capite nostro, cui oportet membra coniungi. * & ultimam partem nostræ conclusionis docet 2. 2. q. 83. ar. 11.

Probatur ratione quæ totam conclusionem amplectitur: Primo. quia una ex conditionibus ad meritum necessario exactis est status viatoris, sed post mortem, nec modo in cœlo non est Xptus viator, ergo nec post mortem meruit, nec modo meretur in cœlo. maior est communis sententia Theologorum. 1. 2. q. 114. & minor etiam est certa.

Dices quod & si in aliis hominibus sit ad meritum necessario requisitus status viatoris, in Xpo non est necessarius.

Sed Contra, quia hoc est voluntarie dictum, cum potius in Xpto sit necessarius talis status, & quia cum eius meritum sit infinitum in quacumque actione est sufficiens quæcumque actio ad omnia promerenda unde non adest fundamentum ad excipiendum Xptum a regula generali, quæ vel est talis ex natura rei, vel ex ordinat. divina, decernente quod solum existat meritum in via.

Unde sicut in alijs hominibus requiritur ad merendum status viatoris in hac vita mortali, iuxta illud Pauli ad Galatas 6: * Dum tempus habemus operemur bonum * que verba exponens D. Hieronimus in commentarijs maioribus, inquit: * tempus seminandi est tempus presens & vita quam currimus, in hac licet nobis, quod volumus seminare, cum ista vita transierit, operandi tempus aufertur. unde Salvator ait operamini dum dies est, veniet nox quando iam nullus poterit operari.* Cui interpretationi acquiescunt Augustinus. Ambrosius. Chrisostomus, & D. Thomas. super eumdem textum.

Sicut inquam in alijs hominibus, requiritur ad merendum status viatoris, ita & in Xpto, ut ipse Xptus de se ipso testatur per hec verba. que habentur. in Evangelio Ioannis. cap. 9. * Me oportet operari opera eius qui misit me donec dies est: venit nox quando nemo potest operari.* idest mereri. & per diem in hoc textu intelligitur tempus vite mortalis, & per noctem intelligitur mors, seu tempus quod erit post hoc seculum. ita D. Aug. tract. 44 in Ioann. Chrisost. hom. 55. Origenes. hom. 3. in Psal. 36. & communiter expositores.

Secundo potest suaderi conclusio ex authoritate citata. ex cap. 19 Ioanis. Consumatum est, & inclinato capite tradidit spiritum. * idest opus nostre Redemptionis, & meritum Xpti. unde Apostolus ad Hebreos 10. ait * una enim oblatione consumavit in eternum sanctificatos *

§. II

Solvuntur argumenta

Obiicies primo contra primam partem conclusionis. Xptus Dominus meruit vulnere lateris, ergo meruit post mortem. antecedens probatur, quia iuxta Patres, Sacramenta, aut eorum virtus emanarunt seu exierunt ex illo vulnere lateris Xpti, sed hoc intelligi nequit nisi vulnus illud sit meritorium, ergo Xptus meruit in illo vulnere, & per consequens post mortem. maior docetur. a D. Cyrillo, a D. Ioanne Chrisostomo, & a Theophilato in capit 19 Ioannis. a D. Ambrosio Homl. 10. in Lucam. a D. Aug. tract. 15. in Ioann. & tract. 120. a D. Leone Papa. epist. 4. cap. 6 per hec verba: * tunc generationis potentiam sanxit quando de latere ipsius profluxerunt sacramenta, sanguis redemptionis, & aqua baptismatis * minor probatur quia sacramenta non potuerunt emanare physice, ergo moraliter, ergo intelligi nequit emanatio nisi vulnus illud sit meritorium.

Respondeo negando antecedens, & ad probationem admissa maiori, nego minorem. & ad probationem admisso antecedenti, distinguo consequens, ergo emanarunt moraliter, meritorie, active, & formaliter nego consequentiam, obiective, & terminative, quatenus illud vulnus fuit obiectum & terminus amatus a voluntate Xpti dum adhuc vivaret, qua voluntate illud acceptavit concedo consequentiam.

Secundo respondetur distinguendo alio modo prædictum consequens, ergo emanarunt moraliter, meritorie. nego consequentiam, exemplariter concedo consequentiam, ad modum quo D. Th. docet quod resurrectio xpti est causa non meritoria, sed exemplaris nostræ resurrectionis a peccato. iuxta illud Pauli * Resurrexit propter iustificationem nostram * ubi ly propter explicat non causam meritoriam sed exemplarem.

Tertio respondetur quod vulnus illud fuit causa non meritoria, sed efficiens Sacramentorum, ad modum quo D. Th. q. 50. ar. 6. docet quod mors Xpti causat nostram salutem, & ad modum quo in q. 51 ar. 1. ad 2 docet quod sepultura xpti causat nostram salutem, & ad modum quo Resurrectio xpti est causa efficiens nostræ resurrectionis corporalis, & spiritualis. ut docet D. Th. q. 56. ar. 1. & 2. Quælibet harum trium solutionum est communis thomistarum.

Quo circa, quando Sancti Patres affirmant de isto Sacratissimo vulnere, vel de omni eo quod accidit corpori Xpti mortuo, tum in cruce, tum in descensione e cruce, tum in sepultura, vel in quocumque alio. quando inquam affirmant quod fuit nobis salutiferum, & quod nostram vitam & salutem causavit. intelligendi sunt Patres, ita ut vulnus illud (& idem dico de quocumque alio,) fuisset nobis salutiferum, vel exemplariter, vel per modum efficientis, vel obiective, & nullo modo meritorie active, ut videre est apud D. T. in hac. 3. p. a. q. 50. usque ad 57.

Denique obiicies contra secundam partem nostræ conclusionis. Xphus in cœlis existens orat pro nobis Patrem. Sed oratio est meritoria ergo Xphus in cœlo meretur. maior negari non potest, & videtur expressa in sacris litteris: nam Ioann. 14. dicebat Xphus: * Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis. * & in Ep. 1. Ioann. cap. 2. dicitur: * Advocatum habemus ad Patrem. * & Ap. ad Rom. 8. ait: * Xphus est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. * & insuper eadem maior passim docetur a sanctis Patribus. eam docent D. Amb. super cap. 8. ad Romanos. Aug. Præfat.º in Psalm. 85. Cyprianus lib. 4. Epistolarum. Epist. 4. Bernardus Serm. de Nativit.º Mariæ. D. T. 22. q. 83 ar. 11. & in 4. dist. 15. q. 4. ar. 6. quæstiunc. 2. ad 1.

Probatur ergo minor. quia oratio est impetratoria, ergo meritoria. Secundo quia oratio habet efficaciam merendi ex charitate, sed Xpus in cœlo habet maximam charitatem, ergo eius oratio habet merit.

Respondetur negando minorem concessa maiori quam negat P. Vazquez in præsenti disp. 82. cap. 2. eo quia peracto redemptionis negotio amplius ~~non~~ superfluit oratio, & meritum. eamdem maiorem negat Medina ex dominicana familia. 3. p. q. 21. Relinquendi sunt isti Doctores, &

& admitti debet maior ut constat ex testimonijs in probationem eiusdem adductis, neganda est ergo minor. Seu distinguenda, & explicanda, & illam concedo de oratione facta in via cum alijs conditionibus ad meritum exactis, & nego illam de oratione facta extra statum viæ, sive a Beatis. qui etiam orant pro nobis, ut docet D. Th. citato loco. ex 2.2. q. 83. ar. 11. sive a Xpto. & ad eius probationem concesso antecedenti, nego consequentiam. non enim omnis impetratio, est meritoria. & licet omnis oratio, sit impetratio, non proinde convincitur quod sit meritoria. Peccatores enim proprie impetrant aliquid a Deo, & tamen eorum impetratio non est meritoria, ut docet D. Th. citata q. 83. in 2.2æ ar. 16. ad 2. per hæc verba. * & quamvis eius oratio, (videlicet peccatoris) non sit meritoria, potest tamen esse impetrativa. quia meritum innititur iustitiæ. & impetratio innititur gratiæ.* Ex qua authoritate sumitur disparitas inter impetrationem, & meritum. impetratio enim respicit pro termino obiectum ponendum in re ex virtute omnipotentiæ. & liberalitatis, & cum peccatores per fidem fateantur Deum omnipotentem, & liberalem, & Beati ista attributa videant per lumen gloriæ, possunt vere, & proprie impetrare. meritum autem respicit obiectum, ponendum ex iustitia.

Replicabis Oratio Xpti in cœlo existentis est infiniti valoris, ergo non potest non esse condigna doni postulati, ergo non solum est impetratoria sed meritoria.

Respondeo explicando antecedens, est infiniti valoris sumpto valore pro dignitate, & excellentia intrinseca, concedo antecedens, sumpto valore pro pretio obligante ex iustitia nego antecedens. & distinguo consequens, ergo non potest non esse condigna, quoad sufficientiam concedo consequentiam, quoad efficaciam nego consequentiam, vel subdistinguo ex defectu conditionis exactæ ad merendum nempe status viæ concedo. ex alio defectu intrinseco nego consequentiam, & similiter nego secundam consequentiam. quæ solutio patet ex dictis.

DISPVTATIO VIGESSIMA QVARTA

DE PRAEMIO MERITORVM XPTI.

Articulus. I.

Vtrum Unio hypostatica potuerit esse aliquomodo præmium meritorum ipsius Xpti?

§. I.

Praenotantur nonnulla.

Communiter movetur hoc dubium sub aliis terminis videlicet: Utrum Xptus aliquomodo meruerit, vel potuerit mereri vnionem hypostaticam? & sub isto titulo movetur ab expositoribus Angelici Magistri supra ad. q. 2. ar. 11. Sed nobis in præsenti, ubi de præmio correspondenti meritis Xpti agendum sumpsimus, placuit disputare dubium præsens.

Prodicendis ergo in tota hac disputatione habenda est præ oculis distinctio, quam communiter traddunt Theologi. 1. 2. q. 114. ad tract. de merito in communi, videlicet: meritum aliud esse tale de condigno, aliud esse tale de congruo. Meritum ergo de condigno illud est quod attento suo valore intrinseco ita habet ius ad præmium, ut cum præmio proportionetur, & dicat æqualitatem cum illo, & insuper inducat obligationem ex iustitia in conferente præmium, ad illud conferendum. Meritum autem de congruo licet aliquem valorem intrinsecum habeat, non tantum ut dicat æqualitatem cum præmio, & proinde non fundat ius ut ex iustitia præmium conferatur, solum ergo affert secum quamdam condecentiam, & congruentiam, ut præmium a præmiante conferatur.

Secundo notandum est

Incarnationem sumi posse, vel quoad substantiam vel quoad circunstantias, generis, videlicet, loci, & temporis, & hoc adhuc dupliciter, primo, prout incarnatio, secundum suam substantiam, vel quoad praedictas circunstantias, terminat decretum efficax intentivum Dei? vel prout terminat decretum executivum, an aliquomodo fuerit, vel potuerit esse promerita, & proinde praemium operationum meritoriarum Xpti Dni?

Tertio supponendum est ut certum secundum fidem Xptum Dominum numquam, per aliquod tempus, nec per unum indivisibile instans extitisse hominem purum, unde eius humanitas semper fuit Caro Dei, & semper fuit Verbo unita. quocirca. S. Leo Papa: epist: 11. ad Iulianum ait: * Natura nostra non sic assumpta est, ut prius creata, post assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur. * Et S. Fulgentius lib. de Incarnat. & Gratia. cap. 3. ait: * ipsa quippe acceptio carnis, fuit conceptio virginalis. * Asserere enim Xptum aliquando extitisse hominem purum in propria subsistentia, & substantia creata subsistentem fuit haeresis Nestorij & Photini, quo pacto D. Gregorius lib 9 registri, epist. 61. tradens Episcopis Hibernis professionem Fidei quam facere deberent, qui e nestorianismo ad Ecclesiam regrediebantur, inter alia praecipit ut doceantur Xptum a primo momento conditionis suae fuisse Deum.

Quarto supponendum est quod quando in praesenti inquiritur an Xptus aliquomodo meruerit, vel mereri potuerit Unionem hypostaticam, sensus est tam de eo quod de facto accidit, quam de eo quod accidere potuit, attenta divina Omnipotentia. & Lege extraordinaria Dei? & cum meritum quodlibet fit mediante aliqua operatione videndum est: An Xptus iste, qui modo est, habuisset vel habere potuisset aliquam operationem meritoriam unionis hypostaticae, cui ut praemium correspondeat ipsa unio hypostatica? Operatio ergo Xpti quae fuisset, vel potuerit fuisse meritoria potest considerari, vel pro aliquo priori temporis, vel naturae, ad Unionem hypostaticam, vel potest considerari in eodem instanti unionis hypostaticae, pro signo videlicet posteriori ad ipsam unionem, vel simpliciter pro tempore subsequenti ad unionem hypostaticam. Vel aliter potest confingi hypothesis, an videlicet iste Xptus, qui modo est, potuerit esse saltim de potentia absoluta, ita ut elicere potuisset aliquam operationem meritoriam unionis hypostaticae, cui operationi Unio hypostatica corresponderet ut praemium?

Et ad auferendam omnium aequivocationem, supponendum est quod si fingatur hypothesis, ita ut iste Xptus, qui modo est, taliter fuerit, quod saltim in alia providentia, & de potentia absoluta, eius humanitas fuerit pro aliqua prioritate temporis, vel naturae, prioritate tamen vera, & reali subsistens in propria creata subsistentia, tunc elicere

posset operationem meritoriam de congruo unionis hypostaticę, non aliter de condigno, etiam sub tali hypotesi.

Suppositio hęc ex se patet, quia in prędicta hypotesi, cum iam supponatur humanitas antea in aliqua vera, & reali prioritate, subsistens, & existens in propria, & create subsistentia, elicere posset utique operationem meritoriam, dummodo etiam supponatur, quod humanitas erat ornata gratia sanctificante pro illo priori, sine gratia enim meritum existere nequit. Sed talis operatio non esset meritoria de condigno, sed tantum de congruo, ut pote talis operatio non esset valoris simpliciter infiniti, qualis est unio hypostatica, sed solum haberet proportionem quamdam, fundatam tempore in impetratione unionis, ergo ad summum solum esset meritoria de congruo; non vero de condigno.

Si autem alio modo fingatur hypotesis, videlicet ita ut hęc humanitas Xpti prius prioritate vera, & reali temporis, quam uniretur personalitati Verbi, esset unita saltim per aliquod unum instans verum, & reale, cum personalitate Patris ęterni, vel Spiritus Sancti, vel cum subsistentia divina absoluta, communis tribus personis divinis, tunc utique elicere posset operationem meritoriam de condigno unionis ipsius humanitatis, cum personalitate Verbi quandoquidem operatio illa elicita in illo vero instanti reali, esset etiam valoris simpliciter infiniti.

Cęterum licet hęc omnia vera sint, tamen revera non conducunt ad solutionem pręsentis dubij, quia in pręsenti difficultas, & dubium procedit de isto Xpto, qui modo est, & de hac humanitate, quę de facto unita est Personalitati Verbi, & iuxta pręsentem providentiam, & cum supponamus, ut fide catholica certum hanc humanitatem semper fuisse unitam Personalitati Verbi, ideo, superfluum, & vanum videtur discurrere de merito quod esset si aliquando extitisset cum sua create subsistentia, vel cum subsistentia Patris ęterni, vel Spiritus Sancti.

Procedit ergo difficultas de isto Xpto, qui modo est, & fuit, & de hac humanitate, quę semper & pro omni signo operationis, fuit subsistens per subsistentiam Verbi divini, an videlicet, per aliquam operationem saltim prioritate naturę pręcedentem unionem, quę revera esset operatio concomitans unionem, vel per operationem prioritate reali pręcedentem unionem, vel per opera subsequentia unionem meruerit, vel mereri potuerit de potentia absoluta unionem hypostaticam?

Denique ut indubitatum supponunt communiter Theologi, quod de facto unio hypostatica non fuit pręmium meritorum Xpti, nec suis operibus meruit Xptus incarnationem seu unionem hypostaticam, quę suppositio, merito ab omnibus

admittitur, cum principium meriti saltim de lege ordinaria non posit cadere sub merito operum procedentium ab ipso, sed omnis operatio meritoria, de facto elicita ab humanitate, ut unita Verbo divino procedit a divino supposito, ut a principio tum efficiente, tum formaliter dignificante operationes omnes, ergo non meruerunt unionem hypostaticam Verbi ad humanitatem in qua consistit incarnatio. difficultas ergo devolvitur ad potentiam absolutam, an nimirum ipsa incarnatio, posit de potentia absoluta esse premium meritorum procedentium a Verbo incarnato, seu an Xptus de potentia absoluta potuerit mereri unionem ipsius humanitatis ad Verbum?

§. II

Referuntur sententiae

Circa presentem difficultatem duę versantur sententię: prima est affirmativa, ita P. Suarez l. 1. lib. 2 de Predestinatione cap. 20. & 3. p. disp. 10. sect. 4. Ægidius Coninch. 2. 2. lib. 1. de virtutibus. disp. 8. dub. 7. Granados 1. p. tract. 7. disp. 6. & 1. 2. tract. 12. controv. 8. disp. 4. & 3. p. tract. 14. disp. 2. sect. 1. & alij; extra scholam D. Th.

Secunda sententia est negativa ita Angelicus Doctor in 2. dist. 27. q. 1. ar. 4. ad 2. & 1. 2. q. 114. ar. 5. & 3. p. q. 2 ar. 11. Angelicum Magistrum sequuntur communiter omnes Thomistę, & tenent etiam hanc sententiam ex PP. Societatis P. Vazquez, 3. p. disp. 21. cap. 3. Cardinalis Lugo disp. 8. sect. 1. Ragusa disp. 41. Arrubal 1. p. disp. 16 cap. 2. & est communior inter Doctores eiusdem Societatis, & alios.

§. III

Praefertur sententia negativa.

Sit prima conclusio Xptus Dominus per opera antecedentia prioritate temporis, vel naturę unionem hypostaticam non potuit de potentia absoluta mereri de congruo, nec de condigno unionem hypostaticam. Probatur conclusio: quia omne meritum in aliqua operatione fundatur, sed nulla operatio potuit esse in humanitate Xpti pro aliquo priori, temporis, vel naturę ad unionem hypostaticam, ergo neque aliquod meritum. maior supponitur ex tract. de merito, & minor probatur: quia nulla operatio potuit intelligi in humanitate Xpti; pro signo pro quo non intelligitur subsistens & existens, sed humanitas Xpti constituitur subsistens & existens per unionem hypostaticam, hoc est per subsistentiam Verbi sibi unitam, ergo nulla operatio potuit esse in humanitate Xpti, pro aliquo priori, temporis, vel naturę ad unionem hypostaticam, minor est de fide quo ad subsistentiam, & quoad ~~existentiam~~ existentiam docetur communiter, praesertim a Thomistis. maior autem patet ex illo communi, operari sequitur ad esse, & insuper docetur a Philosopho 1. Meth. cap. 1. & ibi D. Th. & in hac. 3. p. q. 19. ar. 1. ad 3. & eam docet Damascenus lib. de fide. cap. 15.

Confirmatur, quia omne meritum, sive de congruo sive de condigno supponit sanctitatem. Sed pro priori ad unionem hypostaticam nulla sanctitas intelligitur in humanit.e Xpti, ergo nec meritum. probatur minor, & inprimis de sanct.e substantiali patet quia non intellecta forma, seu quasi forma prestans sanctitatem substantialem, non potest intelligi sanctitas substantialis, sed pro priori ad unionem hypostaticam, scilicet pro priori ad subsistentiam Verbi unitam humanitati non potest intelligi forma, seu quasi forma prestans sanctitatem substantialem, ergo pro illo priori non intelligitur sanctitas substantialis. de sanctitate accidentali etiam probatur, quia sanctitas substantialis est quasi corollarium, & proprietas subsequuta ad sanctitatem substantialem, & licet concedamus quod sanctitas accidentalis poterat dari humanitati pro priori ad sanctitatem substantialem, tamen non poterat erat esse operativa, ex defectu subsistentiæ requisitæ essentialiter ad operandum.

Sit Secunda Conclusio....

Xptus Dominus per actiones subsequentes unionem hypostaticam, & procedentes a Verbo ut unito humanitati non potuit etiam de potentia absoluta mereri de condigno, vel de congruo Incarnationem: & proinde Incarnatio non potuit esse premium meritorium Xpti.

Potest probari primo hæc nostra conclusio destruendo fundamentum sententiæ contrariæ, hoc modo: Merita Xpti Domini, ut futura & ut previsa in mente divina non possunt de condigno, vel de congruo movere Deum ad formandum decretum executivum Incarnationis nec ad exequendam in se ipsam Incarnationem, ergo Xptus per operationes subsequentes Incarnationem nec de congruo, nec de condigno potuit illam mereri. antecedens, in quo est difficultas probatur quia merita Xpti non possunt previderi in mente divina pro priori ad decretum executivum Incarnationis, ergo previsa non potuerunt movere Deum ad formandum decretum executivum. antecedens in quo est difficultas probatur, quia ut prevideantur merita Xpti, deberent previderi, ut elicita a Xpto, sed implicat quod prevideantur ut elicita a Xpto, quin presupponatur decretum executivum Incarnationis, ergo merita Xpti non possunt previderi in mente divina pro priori ad decretum executivum Incarnationis. maior est nota, & probatur minor, pro signo pro quo non est futuritio Xpti, non possunt previderi opera Xpti, ut elicita a Xpto, sed decretum executivum incarnationis est quod constituit Xptum futurum, ergo implicat quod opera Xpti previdearitur ut elicita a Xpto, quin supponatur decretum executivum Incarnationis. minor est est nota, cum ex vi decreti executivi decretum intentivum reddatur efficax, & non prescindas a futuritione. quod postea magis constabit.

Ratione fundamentali, & apriori probatur nostra conclusio. Quia principium meriti non potest cadere sub merito operis procedentis ab ipso, Sed Incarnatio, seu unio hypostatica, idest Persona Verbi ut subsistens in humanitate, & illam terminans, est principium a quo procedit, a quo valoratur omnis operatio meritoria in Xpto Domino; ergo Incarnatio non potest esse premium meritorum Xpti, seu quod idem est ergo Xpus per operationes subsequentes & elicitas a Verbo ut unito humanitati nullo modo potest mereri suam Incarnationem. minor est evidens, omnis enim operatio meritoria Xpti Domini ideo est Theandrica, Deivirilis, & infiniti valoris, quia procedit a Verbo, ut unito humanitati, & quia valoratur formaliter a Divinitate sibi unita, & inclusa in personalitate constituente humanitatem hominem Deum, operantem ut quod. maior autem docetur ab Angelico Doctore in hac. 3. p. q. 2. ar. 11. & ex professo, 1. 2. q. 114. & q. 29 de verit.º ar. 9. & alibi. & est ita certa apud Theologos, ut iam veniat in commune proloquium, & universale principium, & in axioma. & fundatur in eo quod meritum est causa premij, & nulla res potest se ipsam causare. & insuper quia meritum est & comparatur ut vis attractiva premij, & nulla res se ipsam potest attrahere.

§. IV.

Proponuntur replicae.

Huic efficacissime rationi, in qua utique unice fundatur ut in ratione apriori nostra sententia diversimode occurrunt oppositi Authores. Primo occurrunt distinguendo maiorem, & illam concedunt de lege ordinaria, & attentis naturis rerum, & illam negant de potentia absoluta, unde asserit iste modus dicendi, quod de potentia absoluta principium meriti potest cadere sub merito, & pro inde licet de facto Incarnatio non sit premium meritorum Xpti, tamen de potentia absoluta potuit esse premium meritorum Xpti, & illam Xpus mereri eo quia principium meriti, seu meritum ipsum solum est causa moralis premij.

Sed haec solutio non enervat vim argumenti facti pro nostra conclusione. quia adminus principium formale meriti, quod ut quo, & ut forma, seu quasi forma valorat, & dignificat meritum, non potest etiam de potentia absoluta cadere sub merito, & esse premium, meritorum ab eodem principio dignificatorum formaliter; Sed Verbum, ut unitum humanitati, in qua unione consistit essentialiter Incarnatio est principium formale meritorum, seu est forma seu quasi forma dignificans, & valorans ut quo ipsum meritum ergo unio hypostatica, seu ipsa Incarnatio, seu ipsum Verbum ut unitum humanitati non potest cadere sub merito operum procedentium ab ipso, nec esse premium me-

ritorum ipsius. minor supponitur & conceditur etiam ab Authoribus presentis replice, & maior suadetur, quia si principium formale meriti, seu forma seu quasi forma dignificans, & valorans ut quo meritum ipsum posset cadere sub ipso merito, & esse premium sui ipsius, sequeretur tale meritum, seipsum ut meritum mereri, & ipsum meritum esse premium eiusdem meriti, sed hoc est impossibile, & inintelligibile, ergo principium formale meriti, quod ut quo, & ut forma seu quasi forma valorat, & dignificat meritum non potest etiam de potentia absoluta cadere sub merito, & esse premium meriti procedentis ab ipso. probatur sequella maioris, quia meritum formę, seu quasi formę, seu meritum, cui ut premium correspondet forma, est meritum effectus formalis talis formę, seu meritum cui ut premium correspondet forma correspondet ut premium effectus formalis eiusdem forma, cum effectus formalis formę, nil aliud sit quam ipsa forma. ergo si meritum, seu operatio meritoria potest mereri formam valorantem, & dignigni ficantem ipsam operationem meritoriam seu ipsum meritum, poterit mereri ipsum meritum in ratione meriti, & meritum ipsum qua meritum est esse premium sui ipsius.

Replicabis, & dices, quod Verbum divinum potest considerari dupliciter, primo, ut unitum immediate humanitati, secundo ut unitum mediate operationibus meritoriis, & sub prima consideratione, in qua essentialiter consistit incarnatio, posse esse premium sui ipsius sub secunda consideratione quia sub prima consideratione non est forma valorans, ut quo, operationes meritorias, sed causa efficiens illarum, & perconsequens non sequitur quod meritum se ipsum mereatur, nec sit premium sui ipsius.

Sed contra, primo, quia unio mediata Verbi ad operationes meritorias essentialiter includit unionem immediatam Verbi, ad humanitatem, ideo enim unitur mediate operibus, quia est unitum immediate humanitati, sed meritum non potest habere pro premio, id quod essentialiter includitur in se ipso, ergo si operationes meritorię non possunt se ipsas respicere ut premium, non possunt etiam respicere ut premium incarnationem.

Secundo quia valor meritorius, qui est in operationibus, est effectus secundarius Verbi uniti humanitati, quam primario valorat, & sanctificat, sed non minus impossibile, & inintelligibile est quod effectus secundarius alicuius formę, mereatur effectum primarium, & illum ut premium respiciat, quam quod mereatur se ipsum, imo inintelligibile est quod mereatur effectum primarium, & non mereatur effectum secundarium essentialiter connexum cum primario, ergo si non possunt operationes Xpti se ipsas mereri ut valoratas, nec poterunt mereri unionem Verbi ad humanitatem, in qua consistit Incarnatio.

Secundus dicendi modus

§. V. No

Secundo occurrit P. Suarez & alij communiter, ad rationem fundamentalem nostrę conclusionis, distinguendo etiam maiorem, licet alia doctrina, & illam concedit de principio meriti. Sub ea ratione, conditione, & statu quo est principium meriti, & illam negant sub alia ratione, conditione, & statu sub quo non est principium meriti. Asserit ergo iste modus dicendi quod Incarnatio considerari potest dupliciter, primo, prout subest decreto intentivo Dei; secundo prout subest decreto executivo. Sub prima ergo consideratione asserit iste modus dicendi, quod est principium meriti, & proinde sub ista consideratione non potest cadere sub merito, operationum ab ipsa procedentium, sub secunda autem consideratione non est principium meriti, unde potest cadere sub merito, & esse pręmium operationum procedentium ab ipsa prout cadit sub decreto intentivo.

Sed contra, quia etiam hęc solutio non enervat vim nostrę rationis, quia meritum non movet voluntatem pręmiantis, nec potest proinde causare pręmium, nisi prævideatur ut existens, vel ut exstiturus infallibiliter, sed operationes meritorię Xpti Domini quatenus meritorię, & proinde ut existentes, vel ut exstiturę infallibiliter, essentialiter supponunt Incarnationem, ergo essentialiter supponunt non solum decretum intentivum, sed executivum Incarnationis, & proinde merita Xpti pro posteriori ad decretum intentivum, & priori ad decretum executivum non possunt movere divinam voluntatem ad formandum decretum executivum Incarnationis. Maior est evidens, in hoc enim distinguitur causa meritoria, a finali, quod ista ut in intentione pro priori ad sui existentiam movet, ut per media pręnatur existentia finis, illa autem, cum sit de linea efficientis exigit existentiam vel in re, vel ut cognita, unde finis movet ut sit, meritum, quia est.

Minor autem probatur quia operationes Xpti Domini ut meritorię, dependent essentialiter, & tamquam a principio efficiente, a Verbo ut unito humanitati, & tamquam a forma, seu quasi forma a Deitate ipsis mediate unita, & illas formaliter valorante, & dignificante, sed dependentia a Verbo ut unito humanitati, quo pacto est principium effectivum & elicitivum operationum meritoriarum, & unio mediate Deitatis cum ipsis, ut illas formaliter dignificet, & valoret, supponit essentialiter unionem immediatam Verbi ad humanitatem, in qua unione consistit Incarnatio, ergo operationes Xpti Dni. ut meritorię, quatenus tales supponunt essentialiter Incarnationem, & per consequens supponunt non solum decretum intentivum, sed etiam decretum executivum, eiusdem Incarnationis, & proinde Incarnatio non potest esse pręmium operationum meritoriarum Xpti Dni. ut supponunt decretum intentivum, & antecedunt decretum executivum.

Secundo impugnatur iste modus dicendi. quia decretum intentivum, quod praesupponitur ad merita Xphi, ut praevisa pro priori ad decretum executivum Incarnationis, est simpliciter, & absolute efficax, ut ex vi illius possint praevideri merita Xphi ut infallibiliter extitura, vel est inefficax, vel praescindit ab efficacia. Si dicatur hoc secundum vel tertium, sufficiens non est ut ex vi illius merita possint praevideri, ut moventia efficaciter meritorie voluntatem divinam ad formandum decretum executivum Incarnationis, quae sit praemium eorumdem meritorum. Si autem dicatur primum infert infallibiliter decretum executivum Incarnationis, ex quo adipiscantur merita infallibiliter existentiam ut futuram, quae movere possit divinam voluntatem, ad conferendum praemium, ergo prout sic merita non possunt respicere Incarnationem ut praemium, sed potius illam infallibiliter praesupponunt.

Tertio impugnatur. quia licet ex terminis non repugnet meritum cuius decretum executivum sit posterius ad decretum executivum praemij, & pro inde sit possibile praemium praecedens in executione, meritum in executione, ut patet in meritis Xphi; quae meritorie causarunt gratiam Antiquorum Sanctorum Patrum, quae gratia in executione fuit prior meritis Xphi in executione, tamen implicat meritum cui ab intrinseco repugnet in sui executione, & in sui decreto executivo praecedere executionem praemij. Sed operibus meritorijs Xphi Domini elicitis ab humanitate Verbo unita prout meritorijs repugnat praecedere Incarncarnationem, in executione consideratis meritis & ipsa incarnatione, ergo Xphi Dni operationes meritoriae, ut praevisa in decreto intentivo, & pro priori ad decretum executivum non potuerunt mereri incarnationem prout subest decreto executivo. minor est evidens. implicat enim quod in executione ponantur merita Xphi, pro priori ad Incarnationem in executione. Maior autem probatur quia implicat causa meritoria cui ab intrinseco repugnet modus causandi connaturalis, quem habet causa meritoria, sed modus causandi connaturalis in causa meritoria est praecedere in executione, praemium, ut negari non potest, ergo implicat meritum cui ab intrinseco repugnet praeexistentia ad praemium in linea executiva.

§. VI.

Alius dicendi modus reiicitur.

Aliter etiam occurrunt adversarij rationi fundamentali pro nostra conclusione efformatae distinguendo etiam maiorem de principio merit. quod datur absolute. illam concedunt; illam tamen negant de principio meriti quod datur sub conditione futuri meriti dependenter ab illo. & explicant exemplo Principis, qui tribuit militi arma. Solutione

anticipata in stipendium futuri laboris. & militiæ futurorum eodem equo, & armis. Unde cum Deus potuerit de potentia absoluta conferre humanitati unionem hypostaticam sub conditione meriti exercendi, in ea sustinendo passionem, Xptus proinde per opera subsequentia Incarnationem, potuit eamdem Incarnationem promereri.

Sed nec hæc solutio soliditatem habet. nec infringit vim rationis factæ. primo. quia Incarnatio non potuit fieri sub hac conditione: ergo suppositum est falsum. antecedens probatur. quia quod promittitur sub conditione futuri meriti, non transit in dominium promissarij, nisi purificata conditione, sed unio hypostatica in primo instanti sui esse, est Xpti, seu ut formalius loquar, constituit Xptum, ergo si per impossibile non poneret meritum, tamen non poterat non esse Xpti. & ipsum constituere.

Secundo. quia illa distinctio de principio meriti absolute dato, vel conditionate solum habet locum in principio merito, quod tale est pure effectivum. non vero quod tale est per modum formæ seu quasi formæ valorantis intrinsecæ, hoc enim implicat quod cadat sub merito, imo principium pure effectivum quod aliquando potest cadere sub merito non potest esse principium effectivum principale, sed mere instrumentaliter, ut patet in ipso exemplo, equus enim & arma non sunt principium effectivum principale meriti, nec minus forma valorans meritum, sed unice sunt causa instrumentalis meriti; & causa principalis: est ipse miles, & causa formalis, est industria, & bonitas artis valorans & dignificans usum equi & armorum.

E. D. pro maiori intelligentia sciendum est quod Angelicus Magister. 1. 2. q. 114. ar. 5 ubi docet quod homo non potest sibi mereri primam gratiam, tertio loco sibi opposuit hoc argumentum, sub hac forma: * Apud homines aliquis potest promeri donum iam acceptum, sicut qui accipit equum a domino, meretur ipsum bene utendo eo in servitio domini. ergo multo magis primam gratiam iam susceptam potest homo promereri a Deo per subsequentia opera * . . .

Cui obiectioni sic respondet:

* ad tertium dicendum quod omne bonum opus procedit a prima gratia sicut a principio, non autem procedit a quocumque humano dono, & ideo non est similis ratio de dono gratiæ, & de dono humano. *

§. VII

Alia argumenta solvuntur

Obiicies primo: principium meriti potest de potentia absoluta cadere sub

merito operis procedentis ab ipso; ergo Xphus potuit de potentia absoluta mereri suam Incarnationem, ita ut Incarnatio esset præmium meritorum Xphi. antecedens probatur ideo non posset quia principium meriti est causa meriti procedentis ab ipso, sed hæc ratio est nulla, ergo. probatur minor, principium effectivum actus potest ab ipso actu dispositive causari & de facto sic accidit in principio effectivo actus contritionis, ut docetur communiter a Thomistis ad tract. de iustificatione. 1. 2. q. 113. ar. 8. ergo licet principium meriti sit principium effectivum illius, poterit ab ipso merito causari.

Nec valet dicere quod illa præcedentia actus ad habitum seu principium in quo causatur est in diverso genere causæ, quia nimirum præcedit dispositive, quod genus est causæ materialis, & subsequitur habitum in genere causæ efficientis.

Non inquam valet hæc solutio, quia etiam actus præcedit impetrative, quod genus est causæ etiam efficientis moralis, ergo licet Incarnatio præcedat in genere causæ efficientis meritum, seu opera meritoria, tamen ista possunt præcedere meritorie ipsam incarnationem, et erit genus causæ efficientis moralis.

Confirmatur Sancti antiqui Patres meruerunt de congruo Incarnationem etiam quo ad substantiam, ut dicetur postea, & tamen gratia Sanctorum Patrum antiquorum, quæ est principium meriti ipsorum fuit effectus meritorum Xphi non solum in genere causæ finalis, sed efficientis moralis, ergo est quia principium meriti potest cadere sub merito.

Respondeo primo quod si hoc argumentum aliquid convinceret probaret quod de facto Xphus meruit suam Incarnationem, quia exempla adducta probant de facto, & alias Xpho concedendum est de facto omne meritum possibile, nisi aliqua inconsequentia, vel inconnaturalitas sequatur, ergo cum inconsequentia, nec inconnaturalitas aliqua appareat, si de facto non est, ideo est quia est simpliciter impossibile.

Secundo respondeo omissa solutione asignata, distinguendo antecedens, principium meriti effectivum pure potest de potentia absoluta cadere sub merito, omitto antecedens, principium meriti, quod non solum est effectivum, sed etiam est formale, seu quod ut forma, vel quasi forma valorat & dignificat formaliter meritum, nego antecedens, & consequentiam, & ad probationem similiter distinguo maiorem quia est causa, pure efficiens nego maiorem, quia est causa efficiens, & formalis

concedo maiorem. & Sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Incarnatio enim seu gratia Substantialis unionis, non solum est principium effectivum operationis meritoriæ in Xpto Domino, sed etiam est forma seu quasi forma valorans, & dignificans infinite. & principium formale non potest etiam de potentia absoluta cadere sub merito operis ab eodem principio valorati, alias meritum mereretur se ipsum, & sub formalitate sub qua est meritum, esset premium, quod exterminis repugnat.

Contra quam distinctionem non urgent exempla adducta, quia dispositio ad gratiam, nempe actus contritionis non constituitur in ratione dispositionis formaliter per ipsam gratiam ad quam disponit, nec similiter in ratione impetrationis, sed per propriam entitatem actus causatam a gratia, præsertim quia oritur a gratia sub munere auxiliantis. & disponit ad gratiam sub munere sanctificantis. & similiter actus ut a gratia sub conceptu auxiliantis, impetratur gratiam sub conceptu sanctificantis.

Similiter dicimus ad aliud exemplum de merito Sanctorum Patrum. Incarnatio enim quæ in mente divina præcedit, & merita Xpti ut prævisa, non sunt forma moralis, dignificans merita Sanctorum Patrum, sed solum sunt merita Xpti causa finalis. et efficiens moraliter causans gratiam in antiquis Patribus. seu movens voluntatem divinam ad conferendam gratiam ipsis, cum illa merita Xpti ut prævisa præcedant gratiam Sanctorum Patrum, & proinde merita Sanctorum Patrum possunt causare moraliter Incarnationem ipsam ut exequendam.

Tertio respondeo ad argumentum factum distinguendo etiam antecedens. principium essentiale meriti potest de potentia absoluta cadere sub merito, nego antecedens, principium non essentiale concedo antecedens, & nego consequentiam. ratio ergo distinctionis iam habetur ex dictis. quia etsi possit meritum supponere premium, per accidens, & iuxta modum non connaturalem causandi, non tamen potest hæc præsuppositio premij esse essentialis merito, ita ut merito repugnet præcedere premium, etenim nulli causæ potest repugnare modus proprius, & connaturalis causandi, & modus connaturalis causandi in causa meritoria, est causare ut præsupposita ad premium, & meritis Xpti repugnat præsupponi in exercitio ad Incarnationem unde repugnat quod Incarnatio sit premium meritorum Xpti.

Obiicies secundo quia finis causat non ut præexistens in re, sed tantum ut præexistens in apprehensione. non solum principium non essentiale, sed etiam principium essentiale

potest causari ab effectu cuius est essentiale principium, sed etiam meritum potest causare non ut preexistens in re, sed tantum in apprehensione ergo principium essentiale meriti poterit meritorie causari a merito cuius est essentiale principium. & proinde licet Incarnatio sit essentiale principium meriti in Xpto, poterit tamen Incarnatio causari meritorie a merito cuius est essentiale principium. & esse premium illius.

Respondeo distinguendo maiorem, quia precise nego maiorem, quia taliter finis causat in apprehensione, quod iste modus sit illi connaturalis, & proprius concedo maiorem. Sed etiam meritum potest causare tantum in apprehensione & hic modus causandi connaturalis & proprius non est in merito ~~causando~~. Sed est inconnaturalis, seu preternaturalis, concedo minorem, & est connaturalis & proprius. & non inconnaturalis, nego minorem. & consequentiam. Solutio patet ex dictis. modus enim inconnaturalis, qui tantum permittitur a causa, non potest essentialiter exigi a causa, potius enim meritum exigit precedere premium, unde si aliquando illud non precedit per accidens, non potest illi repugnare premium precedere.

Denique obiicies. Ut meritum Xpti possit se extendere ad merendam Incarnationem & illam ut premium habere sufficit quod aliquomodo ipsam precedere possit; sed potest, ergo meritum Xpti potest se extendere ad merendam Incarnationem. cetera patent, & probatur minor quia meritum Xpti potest previderi a Deo ut terminus est decreti intentivi Incarnationis, pro priori ad decretum executivum, ergo meritum Xpti potest aliquomodo precedere incarnationem antecedens videtur certum, quia decretum intentivum Incarnationis prius est decreto executivo ipsius. Sed meritum Xpti est terminus illius intentionis, ergo meritum Xpti

Respondeo omissa maiori, negando minorem, & ad probationem nego antecedens, imo. & suppositum antecedentis, meritum enim Xpti non est terminus decreti intentivi, prout distinguitur a decreto executivo, cum enim meritum consistat in operatione, operatio non potest previderi non presupposito principio essentiali illius, presertim principio formali illud valorante, & constituente, & cum hoc principium formale sit ipsa persona Verbi ut unita humanitati, in qua unione consistit Incarnatio, non potest previderi meritum non presupposita Incarnatione. ut prequisita in executione.

Articulus. II

Vtrum Sancti Patres meruissent de facto, vel saltim de potentia absoluta potuissent mereri Incarnationem, & eius circunstantias saltim de congruo?

§. I.

Praenotantur aliqua.

Notandum est, quod nomine Sanctorum Patrum communiter intelliguntur Viri illi iusti, & Sancti sive legis naturae, sive legis scriptae & Mosaicae, qui Xptum tempore praecesserunt, quibus futuri Messiae, facta fuit revelatio, vel promissio.

Notandum est secundo quod in Incarnatione Domini, vel possumus considerare ipsam substantiam, videlicet Unionem Verbi divini ad naturam humanam; vel possumus considerare eius circunstantias, nimirum, quod sit ex ista vel illa tribu, vel familia, & quod sit in isto, vel illo tempore, & quod sit in ista, vel illa civitate.

Rursus in ipsa autem Incarnationis substantia possumus etiam considerare eius effectus, qui praecipui duo sunt: scilicet iustificatio animarum, & appertio regni caelestis, scilicet ablatio illius impedimenti, quod afficiebat totam naturam humanam, seu ablatio illius indignitatis, afficientis genus humanum ex eo quod caput illius suo peccato capitali genus humanum foedavit, ex quo peccato erat, ut quamtumvis iustus esset aliquis particularis homo, & in gratia decederet in paradisum caelestem ingredi non posset, quoadusque facta fuisset ab aliquo satisfactio perfecta, & adaequata pro offensa.

Denique supponendum, & habendum est prae oculis quod diximus supra de merito congruo, & condigno.

§. II.

Referuntur sententiae.

Varie opinantur Theologi circa presentem difficultatem Sed precipue tres in hac parte versantur sententie. Prima asserit Sanctos Patres antiquos meruisse de condigno Substantiam Incarnationis, non tamen quoad primarium effectum, qui est iustificatio animarum, sed quantum ad secundarium, & minus principalem effectum, qui est apertio regni cælestis. pro hac sententia sic explicata citatur D. Bonaventura in 3. dist. 3. q. 2. ar. 2. a Magistro Gonet, 3. p. disp. 7. ar. 4. §. 1. hanc sententiam limitat Medina ad potentiam absolutam.

Secunda sententia extreme opposita docet Sanctos Patres, non meruisse de condigno, nec de congruo Incarnationem, quo ad substantiam. licet quo ad circunstantias concedat meritum de congruo. ita Vazquez hic. disp. 22. cap. 4. Theophilus Rainaudus lib. 3. de Xpto. sect. 2. cap. 1. & alij.

Tertia sententia media graditur via. & negat de facto Sanctos Patres meruisse substantiam, vel circunstantias Incarnationis, de condigno. concedit tamen meruisse de congruo. substantiam, & circunstantias Incarnationis ita D. Th. 3. p. q. 2. ar. 11. & alibi quem sequuntur communiter Thomiste, unde esset longum illos recensere. & eam defendunt quam plures extra scholam D. Th.

§. III.

Statuitur prima conclusio.

Sit prima conclusio: Sancti antiqui Patres, de facto non meruerunt de condigno, imo nec aliqua pura creatura quacumque gratia exornata, potuit de condigno mereri substantiam Incarnationis, nec eius circunstantias.

Prima pars, negans de facto meritum de condigno probatur. quia meritum de condigno, dicit equalitatem cum premio. & est iustitia ad premium, & fundat ius strictum in merente, cum stricto debito in retribuente, sed merita Sanctorum Patrum, hanc equalitatem non habuerunt, nec hoc ius fundarunt, ergo non meruere Incarnationem de condigno. minor patet in primis quantum ad equalitatem, cum merita illorum essent finita, & incarnatio sit infiniti valoris, & circunstantie illius licet secundum se sint finite, ut adiuncte Incarnationi infinitatem subinduunt, quantum ad ius etiam patet cum fuerit Incarnatio perfectissima gratia, & omnium maxima, ut patet ex illo Pauli ad Titum, 3. * Apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris nostri Dei. non ex operibus iustitie, que fecimus nos. sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit: * & ad Hebreos. 2. Xptus dicitur: gratia Dei: & ad Ephesios 2. dicitur: * Propter

nimiam charitatem suam, qua dilexit nos Deus, cum essemus mortui peccatis convivificavit nos in Xpto. * & Lucæ 1. * Per viscera misericordiæ Dei nostri visitavit nos oriens ex alto. & Ioannis 3. Incarnatio dicitur opus Amoris; dum ait: * Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret. * & passim in Sacris litteris incarnatio nominatur opus amoris, & non iustitiæ.

Ratione probatur conclusio, etiam quoad secundam partem de potentia absoluta, quia ut dicebamus supra meritum de condigno exigit æqualitatem cum præmio. Sed nullum opus puræ creaturæ fuit vel potuit esse æqualis valoris cum Incarnatione, nec cum eius circumstantiis, ut adiunctis ipsi incarnationi. ergo illam non meruere, nec potuerunt mereri de condigno. minor patet, cum omne opus meritorium puræ creaturæ sit finitum, & Incarnatio infinita.

§. IV.

Statuitur secunda conclusio.

Sit secunda conclusio: de potentia absoluta Sancti Patres potuerunt mereri de congruo substantiam Incarnationis, etiam prout terminat decretum intentivum; de facto tamen illam, prout sic, quatenus videlicet terminat decretum intentivum non meruerunt. Probatur conclusio quoad primam partem quia exterminis potuit Deus, absque aliqua repugnantia, non decernere Incarnationem, ante prævisa merita Sanctorum Patrum, facta utique illa merita ex gratia Dei liberaliter illis concessa. & Deus motus ex istiusmodi meritis moveri ad primo decernendam Incarnationem, ergo de potentia absoluta Sancti Patres potuerunt mereri Incarnationem etiam ut intentam a Deo, merito utique de congruo, cum talia opera condignitatem habere non possint quia finita ad illam promerendam de condigno

Secunda autem pars probatur. ex eo quia de facto decretum intentivum Xpti fuit pro signo prius ad merita Sanctorum Patrum. ergo de facto Sancti Patres non meruerunt de congruo Incarnationem ut a Deo intentam. antecedens est notum, primo quia in ordine intentivo Xpus fuit decretus a Deo pro priori ad omnem creaturam prioritate utique causæ finalis, licet in genere causæ materialis pro priori ad decretum intentivum efficaciter Xpti præcessisset decretum creaturarum, & decretum permissivum peccati, quo pacto supra dictum est. quod de facto Xpus non venisset Adamo non peccante. Secundo, quia merita Sanctorum Patrum de facto eo talia fuere quia elicita in gratia ipsis communicata per Xptum ergo prius fuit decretum intentivum Xpti quam merita SS. PP. ergo non meruerunt de facto Incarnationem adhuc merito congruo. incarnationem utique ut intentam

In his duabus praecedentibus conclusionibus fere omnes Theologi conveniunt, nec argumentum aliquod quod specialem difficultatem occurri potest. Sed hoc non obstante, obicies contra primam Sancti Patres de facto merito condigno meruere regnum caelorum, ergo & appertionem illius, Sed apertio est effectus Incarnationis ergo & meruerunt ipsam Incarnationem de condigno, probatur haec ultima consequentia, quia qui meretur de condigno effectum, meretur de condigno causam sine qua non potest esse talis effectus,

Simili argumento respondet Angelicus Magister in 3. dist. 18. q. 1. ar. 6. quaestiunc. 2. ad 2. per haec Verba. * Antiqui Patres meruerunt introitum Paradisi. quantum ad id quod personae est. Sicut & nos; tamen quod removeretur impedimentum quod erat ex parte naturae, mereri non potuerunt, & ideo semper remanebat eius ianua clausa * ex quibus verbis respondeo ad argumentum in forma distinguendo antecedens: SS. PP. de facto meruerunt de condigno regnum caelorum, quantum ad id quod est particularis personae concedo. quantum ad id quod est impedimentum naturae, nego antecedens, & primam consequentiam. & concessa minori subsumpta nego ultimam consequentiam.

Difficultas ergo circa praesens dubium devolvitur ad dignoscendum an hoc ordine rerum praesupposito. in quo omnis gratia est data a Deo per Xphum, ut pote universale principium totius gratiae, non solum in genere causae finalis sed & effective, moraliter utique respectu Sanctorum Patrum qui fuerant ante Incarnationem, & proinde omnis gratia antiquis Patribus a Deo data, fuit intuitu meritorum Xpti venturi. & per consequens opera meritoria Sanctorum antiquorum Patrum elicita ab ipsis, supposuerunt decretum intuitivum Xpti scilicet decretum de Incarnatione facienda. & de Verbo in carne mittendo. an nimirum huiuscemodi Sanctorum Patrum opera fuerint meritoria de congruo Incarnationis Verbi quoad substantiam? vel circunstantias.

Circa praesentem ergo difficultatem sub hac restrictione propositam, sunt duae sententiae. quarum prima est negativa eam tenet Scotus in 4. dist. 2. q. 1. Gabriel in 3. dist. 4. q. unica. dub. 3. ar. 3. Almainus q. 1. dub. 3. Magister Soto. lib. 2 de iust. & iure q. 1. ar. 3. post. 3. conclusionem. Vazquez. ubi supra. Lorca. disp. 21. Cardinalis de Lugo disp. 8. Puente-Hurtado disp. 28. sect. 1. & est communior inter Doctores Societatis. Sed notandum quod licet praecitati Auctores conveniant in negando meritum de congruo circa substantiam Incarnationis, non tamen omnes illud negant quoad circunstantias. Lorca, & Lugo asserunt non meruisse circunstantiam temporis, & affirmant circa circunstantias generis, & Loci.

Secunda sententia est affirmativa, & docet Sanctos antiquos Patres meruisse de congruo, non solum circunstantias omnes Incarnationis, sed etiam ipsam substantiam Incarnationis, non quidem ut primo intentam, sed prout terminat decretum executivum, & ut executioni mandatam. eam tenet expresse D. Th. 3. p. q. 2. ar. 11. & ibidem Caietanus, & Medina. & Mag. Vincentius. relectione de Gratia Xpti q. 5. conclus. 9. M. Alvarez in praesenti disp. 17. qui refert pro hac sententia Magistrum Soto. ubi supra. eam tenet Nazarius ~~in quaestione~~ 3. p. q. 2. ar. 11. controv. 2. M. Araujo. 3. p. q. 2. ar. 11. dub. unic. Magister Ioannes a Sancto Thoma 1. p. disp. 8. ar. 5. n. 30. in secundo tomo videlicet 1. partis. Mag. Gonet. 3. p. disp. 7. ar. 4. concl. 2. M. Godoi. 3. p. q. 2. disp. 13. § 1. & ex nris. R. M. Antonius de la Parra 3. p. tract. 1. disp. 2. q. 3. ar. 3. resolutione 2. et est communissima inter Thomistas.

§ V

Statuitur tertia conclusio directe responsiva

Sit hec secunda sententia nostra tertia conclusio, directe responsiva, ad praesens dubium.

Probatur primo ex D. Th. 3. p. q. 2. ar. 11. ubi eam expresse docet per hec verba: * Ex congruo meruerunt Sancti Patres Incarnationem desiderando, & petendo, congruum enim erat, ut Deus exaudiret eos, qui ei obediebant. * Ratione desumpta ex hac authoritate probatur conclusio: quia meritum de congruo nil aliud est quam quedam condecentia ut ille qui petit exaudiatur ab amico que condecentia nil aliud est quam quedam petitio, praeparatio, & dispositio, qua se disponit & praeparat petens ad habendum id quod petit, sed Sancti Patres pluries se praeparaverunt petendo & desiderando Incarnationem Verbi, & eius circunstantias, & hoc supposita notitia, & revelatione Incarnationis, ergo meruerunt illam de congruum, non quatenus terminabat decretum primum, idest intentivum, sed ut terminat decretum executivum, & ut executioni mandatam. maior constat ex natura & diffinitione meriti de congruo, & insuper expresse docetur ab Angelico Magistro 3. ad Anibaldum. dist. 4. quest. unic. ar. 3. questiuncula 3. ar. 1. ubi ait: * omnem praeparationem ad aliquid habendum meritum appellari, & sic congruum est ut facienti quod in se est, Deus non deneget gratiam: * & 2. ad Anibaldum. dist. 2. q. 1. ar. 4. ait: * Meritum improprie sumptum quale est congruum potest dici dispositio, seu praeparatio, ad aliquid accipiendum. & hoc modo explicat illud Augustini lib. de praedest. SS. cap. 5. * quod motus fidei meretur iustificationem: * quatenus videlicet motus fidei est praeparatio ad gratiam, & dispositio quedam ad illam consequendam ergo vera est maior.

Minor vero probatur. & in primis circa ipsam Substantiam Incarnationis, constat ex illo Isaiæ cap. 45.* Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* & cap. 64.* Utinam dirumperes cælos, & descenderes.* & Psal. 84:* Salutare tuum da nobis * & Psal. 105.* Visita nos in Salutari tuo.* & ex alijs similibus. Deinde de circumstantia temporis, patet ex illo Dan. 9. v. 24. Septuaginta hebdomades abreviatæ sunt, super populum tuum, & super urbem Sanctam tuam, ut consumetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & Ungatur Sanctus Sanctorum.* & Psal. 55.* Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam dicit Dominus * de circumstantia generis, constat, ex illo Genesis. 22. v. 16* Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti Filio tuo Unigenito propter me: benedicam tibi &c. quæ promissio facta fuit Abrahamo. & Gen. 26. v. 4. facta fuit eadem promissio Ysac. per hæc verba:* Benedicentur in semine tuo omnes gentes * & Gen. 49. v. 10. non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius donec veniat qui mittendus est.* & 2. Reg. cap. 7. v. 12. * Suscitabo semen tuum post te. quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum eius.* & infra. v. 14: * Ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in Filium.* & denique de circumstantia loci constat ex illo Michaeae. 5. v. 2.* & tu Bethlehem Ephrata parvulus est in millibus Iuda ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel.* ut notatur Math. cap. 2. v. 6.* & tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda ex te enim exeit dux, qui regat populum meum Israel.*

§ VI

Solvuntur argumenta

Obiicies primo cum P. Vazquez: & dices. Sancti Patres suis orationibus, & petitionibus solum manifestasse desiderium quod habebant videndi Xptum, non vero postulasse Incarnationem, vel eius executionem, eo quia eis erat iam certa, ut pote a Deo promissa.

Respondeo, primo instando, nam iuxta hunc authorem Sancti Patres circunstantias Incarnationis, & tamen, ipsæ circunstantiæ erant ipsis certæ, ut pote & promissæ, & manifestatæ ipsis a Deo revelante. ut constat, ex præcitatis textibus, ergo similiter. licet ipsa Incarnatio quoad substantiam fuisset ipsis certa, & promissa poterant illam mereri, merito utique de congruo.

Respondeo secundo, quod licet aliqua res sit iam certa. & a Deo promissa, unde & infallibiliter eventura, tamen non implicat licet Deus illam teneatur ponere in re, vellit tamen ipse Deus, ut exequatur mediis precibus. & impetrationibus. ut patet & instatur. ex illo Psal. 2.* Postula a me

& dabo tibi gentes hereditatem tuam: * Vnde hereditas quæ de iure debebatur Filio dicitur dari eidem Filio per postulationem, quasi nimirum expectet Deus postulationem ad hereditatem conferendam. Vlterius si iusto fieret revelatio cum evidentia utique inattestante, de sua æterna salute, licet crederet suam salutem esse infallibiliter futuram, tamen illam posset, imo deberet postulare & facere opera bona, quibus proinde debetur ex iustitia salus æterna, ergo, ex eo quod SS Patres certi essent de futuro adventu Xpti, illum poterant postulare, & proinde mereri de congruo.

Obiicies secundo ex D. Th. in 3 Sent. dist. 4. quæst. 3. ar. 1. ad 4. ubi cum sibi obiecisset argumentum sub hac forma: * Oratio quæ fit ab aliquo pure & perseveranter, meretur sui impletionem, sed SS. Patres hoc modo pro Incarnatione orabant, ergo * Cui argumento respondet per hæc verba: * Dicendum quod ipsi non petebant Incarnationem, quam indubitanter credebant futuram, sed petebant eius accelerationem. * ergo sentit Angelicus Magister quod Sancti Patres non meruerunt Incarnationem quoad substantiam, sed ad summum circunstantias, & præcipue circunstantiam temporis.

Confirmatur. Non est concedendum maius meritum Sanctis Patribus quam Beatissimæ Virgini, erga Incarnationem, sed ista non meruit etiam de congruo substantiam Incarnationis, sed ad summum eius circunstantias, & præcipue circunstantiam generis, ergo Sancti Patres nec de congruo meruerunt substantiam Incarnationis. maior est nota & probatur minor. meritum quod concedit D. Th. Beatissimæ Virgini erga circunstantias Incarnationis, negat eidem Beatissimæ Virgini erga ipsam Incarnationem, sed erga circunstantias non concedit ipsi meritum quod non sit solum de congruo, ergo illud negat D. Th. B. V. erga Incarnationem. minor est nota, & probatur maior. ex D. Th. 3. ad Anib. dist. 4. q. unica. ar. 3. ad 3. ubi ait: * Dicendum quod Beata Virgo non meruit Incarnationem, nisi supposita Incarnatione facienda, & sic meruit ut per eam fieret non merito condigni sed merito congrui. *

Respondeo quod de mente D. Th. non possumus in hac parte dubitare, ut constat ex præallegata authoritate ex 3. p. q. 2. ar. 11. quam supra adduximus in probationem nostræ conclusionis, unde ad authoritatem ex 3. Sent. dist. 4. q. 3. ar. 1. ad 4. Respondeo ibi Angelicum Magistrum solum docere SS. PP. non meruisse Incarnationem ut subest decreto intentivo, quod & nos diximus in nostra conclusione, Incarnatio enim prout sic, nimirum ut primo intentam, & decretatam intentive, infallibiliter credebant futuram, unde petebant eius accelerationem, idest quod exequeretur, unde meruerunt ipsam prout subest decreto executivo.

executivo. quod & suadetur nam etsi aliquod premium prout subest decreto intentivo mereri non possit. & aliunde sit certo, & infallibiliter futurum eo quia Deus illud decrevit. & cognoscatur ut futurum infallibiliter, eo quia Deus illud revelavit, hoc non tollit. quod mereri possit ut subest decreto executivo, & prout sic possit impetrari. ut constat evidenter in Apostolis qui post adventum Spiritus Sancti. & quando iam erant confirmati in gratia; & certo credebant eternam beatitudinem ipsis conferendam, non obstante hoc, dicebant in oratione dominica* adveniat regnum tuum* et pro inde merebantur ipsam beatitudinem ut exequendam, ergo licet SS. PP. certo scirent Incarnationem esse futuram, eo quia ipsis revelatum erat decretum intentivum efficax erga ipsam, hoc non tollit quod eamdem Incarnationem meruissent ut exequendam.

Ad confirmationem respondeo, similiter concessa maiori, negando minorem, ad cuius probationem, nego maiorem, vel illam distinguo, de Incarnatione prout subest decreto intentivo, & executivo, & dicimus illam non meruisse adhuc decongruo prout subest decreto intentivo, econtra autem illam meruisse prout subest decreto executivo, quod suadetur ex eisdem verbis Angelici Magistri quando enim Angelicus Magister docet quod Beata Virgo non meruit Incarnationem nisi supposita Incarnatione facienda, dicto denotat, quod Incarnationem ut primo intentam non meruit, & quod supposito hoc decreto intentivo, illam meruit, & proinde quod illam meruit prout subest decreto executivo.

§. VII

Proponitur difficile argumentum

Obiicies tertio. argumentum utique difficile, & si commune. Quia principium meriti, non potest cadere sub merito cuius est principium. quo pacto prima gratia non potest cadere sub merito actionis cuius est principium. eadem prima gratia. alias daretur mutua causalitas inter duas causas in eodem genere. cum principium meriti effective producat meritum. & si sub merito ab ipso causato caderet, ipsum meritum effective causaret suum principium. unde meritum ipsum esset premium sui ipsius; Sed Incarnatio Xpti fuit principium meriti Sanctorum Patrum, quia omnis gratia sive sufficiens, sive efficax Antiquis Patribus collata a Deo, & que utique in illis erat merendi principium, fuerit ipsis collata intuitu meritorum Xpti, ut supponitur, alias Xptus non fuisset universalis Redemptor illorum, ergo suis operationibus a gratia ista formatis, non potuerunt mereri Incarnationem.

§. VIII

Varii modi dicendi proponuntur, & reiiciuntur

Hoc argumentum valde torquet Theologorum ingenia, unde varie connantur respondere & omissis pluribus et insufficientibus solutionibus, ne plus iusto dilatemur, unam, vel alteram ex communioribus solutionibus referemus, & impugnabimus, ut veritas magis appareat in solutione legitima, & genuina.

Primo respondent aliqui mutuam causalitatem inter duo repugnare quando est in eodem genere causæ, meritum autem congruum, quod admittitur in Sanctis Patribus, ergo Incarnationem, non exercere proprie causalitatem efficientem etiam moraliter, sed solum causalitatem dispositivam, quæ reducitur ad genus causæ materialis, unde cum Incarnatio seu merita Xpti exerceant erga gratiam valorantem, & constituentem merita Sanctorum antiquorum Patrum causalitatem efficientem, inde est quod quam optime salvatur quod Sancti Patres de congruo mereantur Incarnationem quæ est causa & principium eorumdem meritorum Sanctorum Patrum. ita Magister Nazarius, ubi supra, in solutione ad argumenta contra 4. Concl. & Mag. Gonet licet aliam solutionem præferat huic congruo. etiam hunc modum dicendi approbat disp. 4. ar. 9. § 2. n. 113. & Alvarez disp. 17.

Sed hæc solutio non placet quia deserit communem sententiam admitentem in merito congruo, causalitatem etiam efficientem, & distingui a pura dispositione. Ulterius probatur ratione, quia meritum etiam de congruo tale exigit gratiam, & amicitiam cum Deo in subiecto merente, sed dispositio, quæ solum est dispositio ad gratiam talem amicitiam non exigit, etia si sit ultima dispositio ad gratiam sanctificantem, unde potest elici ab auxilio transeunte, & si oritur a gratia, ut probabiliter etiam asseritur, non oritur ab illa sub munere sanctificantis, sed sub munere auxiliantis. ergo est quia meritum de congruo præter causalitatem materialem, quam exercet sub formalitate sub qua disponit subiectum ad recipiendum præmium, exercet etiam causalitatem etiam efficientem, moraliter, movendo nimirum Deum ad conferendum præmium.

Secundo respondent alij asserendo principium effectivum meriti non posse cadere sub merito cuius est principium, eo quia repugnat mutua causalitas inter duo, in eodem genere causæ, ceterum principium meriti quod illud causat solum in genere causæ finalis potest cadere sub tali meriti, & deinde asserit iste modus dicendi, quod Incarnatio solum est causa meritorum Sanctorum Patrum in genere causæ finalis, non autem in genere causæ efficientis, etiam moraliter, unde potest esse, quod merita Sanctorum Patrum possit effective moraliter, causare Incarnationem illam de congruo merendo. maiorem probant ex eo quod non intercedit mutua causalitas in eodem genere, secundo quia licet in alijs generibus repugnet mutua

causalitas, tamen negari non potest mutua causalitas inter causam finalem, & efficientem. ut patet in gloria. quę est nostrorum meritorum finis. & tamen effective causatur a nostris meritis. ita Ill. Araujo. ubi supra. & Noster Parra. tract. 1. disp. 2. q. 3. ar. 3.

Minorem probant ex D. Th. in hac. 3. p q. 62 ar. 6. ubi docet Sacramenta veteris legis non habuisse virtutem causativam gratię ex passione Xpsti, bene tamen Sacramenta novę legis. eo quod ista presupponunt passionem Xpsti exercitam ex cuius virtute illam possunt causare, Sacramenta enim veteris legis respiciebant passionem Xpsti ut futuram & existentem solum in apprehensione, qui modus est proprius causę finalis ergo est quia sentit D. Th. quod merita Xpsti existentia solum in apprehensione solum finaliter posse causare seu exercere suam causalitatem, & non efficienter. quod & dixerat idem Angelicus Magister. q. 61. antecedenti. ar. 3. per hęc verba dicens: * Passionem Xpsti esse causam finalem veterum Sacramentorum. *

Ratione autem suadetur eadem minor. quia causare solum in apprehensione est proprium causę finalis, sed causa meritoria est efficiens. ergo non potest causare ut existens solum in apprehensione, sed Incarnatio tempore antiquorum Patrum solum existebat in mente divina, ergo non poterat causare merita eorum efficienter moraliter, sed solum finaliter.

Ulterius. quia causalitas meritoria de condigno, qualiter Xpstus poterat, & deberet causare merita Sanctorum Patrum, exigit pactum, quo Deus se obliget ad dandam gratiam Antiquis Patribus, ex vi meritorum Xpsti, sed tempore Antiquorum Patrum inter Deum & Xpstum tale pactum intercedere non potuit. ut patet, nam pactum est dabo tibi hoc, si feceris hoc, & quando non erat Xpstus tale pactum non poterat esse, ergo Xpstus non poterat mereri seu causare efficienter moraliter merita sanctorum Patrum.

Sed nec etiam hęc solutio & doctrina. sustineri potest. Primo quia hęc propositio est Catholica, & de fide: * Xpstus cum proprietate, redemit antiquos Sanctos Patres, & pro illis proprie satisfecit: * alias non esset Xpstus Universalis Redemptor, ergo proprie pro illis active meruit. consequentia probatur. quia Xpstus operatus est universalem redemptionem, per suum meritum. unde & satisfactionem posuit etiam per suum infinitum meritum. Sed ratione solius causalitatis finalis non stat vera & propria redemptio, satisfactio. & meritum, mereri enim, satisfacere, & redimere causalitatem importat effectivam saltim moraliter. si proprie, & rigorose accipiuntur

ergo non solum finaliter sed etiam efficienter moraliter influxum prebuit in gratiam Sanctorum Patrum

Confirmatur. Si Deus non esset causa efficiens nostre salutis consistentis in gratia, et non esset similiter causa efficiens nostre glorificationis, sed solum causa finalis salutis et glorie, licet posset dici finis nostre salutis et nostre glorie, non tamen posset cum proprietate dici Salvator et glorificator noster, ergo si Xptus solum est finis seu causa finalis gratie et meritorum Sanctorum Patrum, posset utique finis redemptionis illorum, non vero posset dici cum proprietate Redemptor eorum.

Unde non desunt Theologi censurantes modum illum dicendi, et alij erroneum, alij autem omnino improbabilem iudicant, sed ab illa censura abstinendum omnino est, tum propter eius probabilitatem intrinsecam et extrinsecam, que desumitur satis probabiliter ex D. Th. in cuius doctrina conantur eius defensores illum solidare.

Nec motiva ob que moventur urgent. respondetur enim, omissa maiori, cuius examen verum dicendi modum explicando constabit, negando minorem, ad cuius probationem desumptam ex authoritate D. Th. respondetur enim quod idem Angelicus Magister in hac 3. p. q. 49. ar. 1. 2. 3. 4. et 6. docet expresse Passionem Xpti operatam fuisse nostram salutem, et per modum meriti, et satisfactionis, et sacrificij, et redemptionis, et per modum efficientie, et pro inde infertur ex eodem Angelico Magistro istos modos inter se differentiam sortiri, ergo distinguens causalitatem meritoriam, a causalitate efficientie, in Passione Xpti in ordine ad nostram salutem, et similiter causalitatem redemptivam, satisfactivam, et per modum sacrificij, et omnes istas causalitates distinguendo a causalitate efficientie, docet, quod nostram salutem operatur per Sacramenta nove legis illam causando physice efficienter, et non solum moraliter per modum meriti, ad quam physicam causalitatem non sufficit existentia in apprehensione sed requiritur realis existentia extra causas, ut existit modo humanitas Xpti, que est causa principalis causativa gratie per sacramenta, seu est causa instrumentalis coniuncta cause principali que est Divinitas, et instrumenta separata sunt Sacramenta nove legis, quem modum physice causandi non habuerunt Sacramenta veteris legis, sed solum causalitatem effectivam meritorie, ad quod sufficit existentia in apprehensione — unde respectu gratie Sanctorum Patrum, non solum fuit causa finalis sed etiam causa moralis et effectiva moraliter.

Et per hoc patet ad probationem desumptam ex ratione, respondetur enim distinguendo maiorem, est proprius modus causandi cause finalis, et simul per modum convenit cause efficienti morali concedo, et sibi permittitur nego, et concessa minori, nego consequentiam, et concessa subsumpta nego consequentiam. Solutio patet.

§ IX

Alius dicendi modus reicitur

Illustrissimus Godoi postquam varios dicendi modos ad argumentum factum retulit, & confutavit, in tomo 1. de Incarnat. tract. 2. disp. 13. §. ultimo, respondet distinguendo maiorem: Principium meriti non potest cadere sub merito operis a se causati sub ea ratione, & statu in quo est principium meriti, concedit, sub alia ratione, & statu in quo non est principium meriti negat. & deinde distinguit minorem: Sed Incarnatio est principium meriti antiquorum Patrum, prout subest decreto intentivo, concedit; prout subest decreto executivo negat, minorem, & consequentiam. Quod explicat, & parificat in Gloria, quę prout cadit sub decreto intentivo Dei non cadit sub meritis iustorum, prout autem subest decreto executivo sub meritis iustorum cadit.

Cui suę solutioni opponit ipse ut merita Xpti causent meritorie merita Sanctorum Patrum requiritur quod decretum executivum Incarnationis precedat decretum executivum gratię antiquis Patribus collatę, ergo solutio & distinctio data non potest subsistere. probat antecedens, ex eo quia merita Xpti non possunt meritorie causare, nec Deum ad premiandum movere, nisi ut visa notitia intuitiva, sed non possunt merita Xpti previderi ut existentia, nisi prevideatur decretum executivum illorum, ergo verum est antecedens.

Respondet negando antecedens, & ad probationem concessa maiori, & minori negat consequentiam. dicit enim, quod aliud est previsionem Incarnationis, & meritorum Xpti precedere decretum executivum gratię Sanctorum Patrum; & aliud quod existentia ipsa Incarnationis, & meritorum Xpti prevideatur, ut precedens existentiam gratię Sanctorum Patrum: primum asserit quod requiritur ut Incarnatio sit premium meritorum Sanctorum Patrum. Secundum autem docet non esse necessarium.

Cui solutioni opponit: Visio intuitiva decreti executivi Incarnationis precedit decretum executivum gratię datę antiquis Sanctis. ergo & decretum ipsum executivum Incarnationis precedit decretum executivum gratię Sanctorum Patrum. eo quia obiectum notitię intuitivę, est res ut existens.

Respondet concesso antecedenti negando consequentiam. & deinde distinguit hanc propositionem obiectum notitię intuitivę est res ut existens. in eodem instanti in quo, concedit; in eodem instanti seu signo a quo negat. Ut patet & instatur in notitia ex qua Verbum divinum procedit, quę est intuitiva Spiritus Sancti, & tamen pro eodem signo a quo, non existit Spiritus Sanctus, nec eius processio, alias Verbum procederet ab Spiritu Sancto. quod est hereticum.

Sed hic modus dicendi mihi non placet, imo nec eidem Ill.mo Godoi, sui immemori, placet, etenim illam impugnat tomo 3. tract. de Merito Xpti. disp. 50. §. 4. ibi enim impugnat hanc eamdem Solutionem, quam tradiderat §. 3. precedenti, textio loco. unde eam sic impugno, quia vel ad rationem meriti, & premij requiritur, quod decretum executivum meriti precedat decretum executivum premij, vel sufficit, quod previsio meriti ut existentis post premium, & post decretum executivum eiusdem, precedat decretum executivum premij. Si primum ergo opera Xpti Dni ut previsa pro signo posteriori ad decretum executivum Incarnationis meruere, primam gratiam Sanctorum Patrum, illam causando non solum in genere causæ finalis, sed & efficientis moraliter, & per consequens manet argumentum in suo vigore, quando quidem Incarnatio, & eius decretum executivum, quæ absdubio precedunt decretum executivum meritorum Xpti, fuerunt principium meriti Sanctorum Patrum.

Si secundum ergo merita Sanctorum Patrum potuerunt promereri ipsam Incarnationem non solum prout subest decreto executivo, sed & prout subest decreto primo, & intentivo illius. consequentia patet; quia si ad promerendam Incarnationem ut subest decreto executivo Dei sufficit previsio meriti ut posterius existentis, etiam ad illam promerendam prout subest decreto intentivo sufficiet previsio meriti ut posterius existentis.

Secundo sic impugno hunc modum dicendi, quia si merita Xpti ut previsa pro signo priori ad decretum executivum Incarnationis potuerunt movere voluntatem divinam ad causandam primam gratiam Sanctorum Patrum, etiam potuissent movere voluntatem divinam ad formandum decretum ipsum executivum Incarnationis, & proinde Xptus Dominus potuisset mereri suam Incarnationem, cuius contrarium docet idem Ill.mus Godoy.

Tertio quia ideo docet Ill.mus Godoy quod Xptus non potuit mereri ipsam suam Incarnationem prout subest decreto executivo, quia pro priori ad decretum executivum Incarnationis non intelliguntur, nec intelligi possunt merita Xpti etenim merita Xpti cum consistant in operatione, & omnis operatio sequatur ad esse, prius est quod intelligatur Incarnatione ut executa, quam quod intelligantur merita ut executa, & ut merita, etenim merita non sunt, nisi ut executa, vel ut previsa ut executa. ergo similiter & eadem ratione non poterunt previderi merita Xpti, ut talia pro priori ad decretum executivum Incarnationis, ut movere possint voluntatem divinam ad primam gratiam Sanctorum Patrum causandam, ut Sancti Patres mereri possint decretum executivum Incarnationis.

Nec Solutio, quam præbet iste Sapientissimus primę replicę, ese factę infringit doctrinam datam, quia non probat illam Secundam propositionem quam negat, esse falsam, imo est vera, quia non solum prævisio Incarnationis & meritorum Xpti debet præcedere decretum executivum gratię Sanctorum Patrum, ut Xpti merita sitit causa moralis eiusdem gratię, sed etiam prævisio existentię Incarnationis, & prævisio existentię meritorum Xpti, debet præcedere existentiam gratię Sanctorum Patrum, licet existentia Incarnationis, & existentia meritorum Xpti non sit necessarium quod sit in se & præcedat in se existentiam Sanctorum Patrum, quia ut dicebamus, merita nisi præ videantur ut existentia movere non possunt voluntatem divinam, alias merita Xpti possent extendi ad merendam Suam Incarnationem.

Unde illud quod Subiungit de notitia intuitiva, non venit ad rem, stat enim quod notitia intuitiva terminari possit ad obiectum non existens pro priori a quo, dummodo existat in isto instanti, ut instat manifeste in processione Verbi ex notitia intuitiva Spiritus Sancti; Sed ideo in nostro casu requiritur existentia meritorum Xpti pro signo pro quo voluntas divina movetur ab ipsis ad causandam primam gratiam Sanctorum Patrum: quia alias si hęc existentia pro illo Signo non esset necessaria non esset ratio cur eadem merita Xpti prout sic, non extenderentur ad merendam Suam Incarnationem, & deinde ratio apriori huius, est iam sępe repetita, quia merita non possunt prævideri ut talia nisi ut existentia, & cum eorum existentia Supponat existentiam Incarnationis, eo quia operatio sequitur ad esse, inde est quod merita Xpti pro priori ad decretum executivum Incarnationis, non possunt esse principium effectivum meritorum Sanctorum Patrum.

§. X.

Vera solutio explicatur.

His, & alijs Solutionibus brevitatis causa omissis respondeo ad argumentum factum Supra §. 7. distinguendo maiorem. Principium meriti non potest cadere Sub merito, principium meriti intrinsecum, & formale, se habens per modum causę formalis dignificantis, & valorantis meritum, non potest cadere Sub merito, concedo maiorem; principium meriti pure extrinsecum, & se habens Solum per modum causę efficientis moralis, vel per modum causę finalis, nego maiorem; & distinguo minorem: Sed Incarnatio Xpti fuit principium meriti Sanctorum Patrum, pure extrinsecum, & per modum causę efficientis moralis, vel etiam per modum causę finalis, concedo minorem; fuit principium intrinsecum, & formale meriti Sanctorum Patrum, illud valorans, & dignificans per modum causę formalis intrinsecę, nego minorem, & consequentiam.

Gratia enim prima. ideo non potest cadere sub merito operum procedentium ab ipsa, quia non solum est principium effectivum, sed etiam est principium formale, dignificans per modum causę formalis merita ab eadem gratia procedentia. & Similiter, ideo Incarnatio non potest cadere sub merito operationum Xpti Domini, quia Incarnatio. seu Xptus. sive Verbum, ut in humanitate subsistens non solum est principium effectivum operationum meritoriarum Xpti Domini, sed etiam idem Verbum seu divinitas in Verbo inclusa, est principium intrinsecum & formale, dignificans, & valorans easdem operationes Xpti Domini per modum causę formalis; at vero Incarnatio, & merita Xpti ut prævisa a Deo, & moventia Voluntatem divinam ad hoc ut conferat gratiam Sanctis Patribus, non est principium formale dignificans, & valorans operationes meritorias Sanctorum Patrum per modum causę formalis intrinsecę, imo nec est principium fisice effectivum, & elicitivum, earumdem operationum, sed solum est causa efficiens moralis, & finalis, gratię Sanctorum Patrum, & meritorum ab ipsis elicitorum unde mirum non est quod possit cadere sub eodem merito Sanctorum Patrum. quę solutio nullas patitur instantias.

Licet contra illam possit instari. quod ex hac doctrina sequitur, quod inter meritum & premium datur mutua causalitas in eodem genere causę, nam Incarnatio quę est premium meritorum Sanctorum Patrum effective moraliter causat merita eorumdem Sanctorum Patrum, & alias merita Sanctorum Patrum causant etiam effective moraliter eamdem incarnationem, & licet dabilis sit mutua causalitas in diverso genere causę, mutua causalitas in eodem genere inter aliqua duo repugnat iuxta communissimam sententiam.

Respondeo distinguendo sequellam esset mutua causalitas in in eodem genere infimo, nego, in eodem genere subalterno transeat, & mutua causalitas inter aliqua duo in eodem genere subalterno non repugnat, quia equalet mutuę causalitati in diverso genere causę, ut patet, & instatur, in actu contritionis disponente ad gratiam, & a gratia habituali ad quam disponit causato, inter quę datur mutua causalitas in genere causę materialis, dispositivus enim influxus ad causam materialem expectat, & similiter receptivus. influxus. istum prestat gratia erga contritionem, cum adhuc [illegible] & immanens recipiatur in eodem subiecto a quo elicitur, & illum prestat contritio erga gratiam.

Ulterius quia mutua causalitas inter aliqua duo in eodem genere non repugnat, quando utrumque causat per existentiam physicam, non vero quando causant ut in apprehensione, unde merita Xpti ut prævisa possunt movere voluntatem divinam

ad conferendam gratiam antiquis Sanctis Patribus, & merita Sanctorum Patrum etiam et prævisa possunt movere eamdem divinam voluntatem, ad exequendam Incarnationem.

Denique replicabis si Sancti Patres meruissent saltim de congruo Incarnationem, meruissent sibi ipsis primam gratiam, sed primam gratiam sibi non meruerunt, cum prima gratia non possit cadere sub merito operis procedentis ab ipsa, ergo Sancti Patres non potuerunt mereri adhuc de congruo Incarnationem, probatur maior, quia quod est causa causæ, est causa causati. Sed Sancti patres merendo congruo Incarnationem, illam causarent moraliter, ergo moraliter causarent quid quid causatur ab Incarnatione, sed Incarnatio causavit moraliter gratiam Sanctorum Patrum, ergo merita Sanctorum Patrum causarent se ipsa.

Respondeo negando sequellam, & ad probationem distinguo & explico maiorem, quod est causa causæ naturaliter & necessario causantis effectum, est causa eiusdem effectus causati, concedo, quod est causa causæ libere causantis effectum, est causa eiusdem effectus causati nego maiorem, & concesa minori nego consequentiam, vel distinguatur consequens sub eisdem terminis, & deinde distinguo minorem subsumptam, sed Incarnatio causavit moraliter gratiam Sanctorum Patrum, libere, concedo minorem, necessario, & naturali sequella nego minorem, & consequentiam.

Articulus III

Quid dicendum sit de merito Beatissimæ Virginis Mariæ circa Incarnationem, & circa Maternitatem Dei?

§ I

Statuitur conclusio

In laudem, gloriam, & honorem Beatissimæ, & immaculatæ Virginis Mariæ Dei genitricis debemus hoc dubium seorsim a præcedenti examinare, & resolvere. Cum enim gratia eius excellentior sit præ gratia omnium Sanctorum, ita & meritum ipsius dignius, & præstantius esse debet, præ merito cuiuslibet, & pro præsentis dubij resolutione

Sit nostra conclusio: Beatissima Virgo Maria non meruit de condigno Incarnationem Verbi, nec Maternitatem; meruit tamen de congruo, & Incarnationem, & Maternitatem.

Prima pars huius conclusionis, patet ex supradictis articulo præcedenti. Quia meritum B.V. licet fuisset præstantius, & excellentius præ merito quocumque cuiusvis Sancti, fuit tamen meritum puræ creaturæ, unde & finitum, & limitatum; Sed meritum finitum improportionatum est ad Incarnationem promerendam, cum Incarnatio sit bonum infinitum, ergo B.V. non meruit nec potuit mereri Incarnationem de condigno.

Secunda autem pars probatur, Quia merens terminum essentialiter, & ex natura rei connexum cum alio, & mereri illud aliud necesse est; Sed Maternitas, qua B.V. constituitur Mater Dei, cum sit relatio quædam, essentialiter, & ex natura rei est connexa cum Verbo Incarnato, cuius est Mater, ergo si mereretur de condigno maternitatem, mereretur de condigno Incarnationem, Sed istam, ut probatum est, de condigno non meretur, ergo similiter non meruit de condigno Maternitatem.

Roboratur hæc ratio: qui meritum finitum non potest extendi ad præmium infinitum de condigno promerendum; Sed Maternitas qua mater est B.V. est bonum aliquomodo infinitum, & proinde Si esset præmium de condigno promeritum esset præmium infinitum; ergo B.V. non potuit promereri de condigno Maternitatem. maior est nota, cum sit meritum puræ creaturæ, & minor est nota similiter, cum Maternitas sit bonum quoddamodo pertinens ad ordinem hypostaticum; quo pacto Beatæ Mariæ Virgini, ratione

Maternitati debetur specialis cultus, qui soli ipsi, & nulli alteri Beato competere potest. ut docet D. Th. 2. 2. q. 113. ar. 4. qui cultus dicitur hyperdulia.

Dices quod B. V. M. meruit de condigno augmentum gratiæ, & Charitatis, sed illud augmentum est quid maius, & excellentius, quam Maternitas, ergo potuit mereri, & meruit de condigno esse Matrem Dei. minor videtur quod negari non potest, iuxta illud Lucæ 11. * Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti: * & deinde subiunxit Evangelista, in nomine Xpti: * Quinimo Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud: * Ubi notat Glosa quod Xphus præposuit Sanctitatem vitæ, dignitati Matris Dei.

Unde Augustinus libro de Sancta Virgine cap. 3. ait: * Beatior fuit Maria percipiendo fidem Xpti, quam concipiendo carnem Xpti: * quo circa alibi idem S. P. Aug. alibi dixit: * Fœlicior fuit (idest Maria) concipiendo Xptum mente, quam ventre. *

Respondeo negando minorem nam esse Matrem Dei est quid pertinens reductive ad ordinem hypostaticum, qui ordo infinite excedit ordinem gratiæ, unde esse Matrem Dei est aliquomodo cooperari ad unionem hypostaticam, ministrando nimirum materiam humanitati formandæ ut perroneretur a Verbo, quo circa esse Matrem Dei importat dignitatem quamdam infinitam. ut docet D. Th. 1. p. q. 25. ar. 6. ad 4. quam dignitatem non importat gratia adoptiva, & proinde licet gratia adoptiva iustos sanctificans propinquius conducat ad visionem beatificam, quam Maternitas, etenim gratia sanctificans est radix luminis gloriæ, gratia utique in statu, seu in termino, tamen Maternitas in ratione doni habet quamdam dignitatem quamdam infinitam, qua gratiam sanctificantem excedit.

Proinde ergo notanter, & consulto Evangelista, & Xphus per ipsum, non dixit Mariam fuisse digniorem, nobiliorem, & præstantiorem, percipiendo fidem Xpti, quam concipiendo carnem Xpti, nec Augustinus similiter, sed Evangelista, & Augustinus dixerunt: Beati quinimo, seu Beatior, quia aliud est Beatitudo, aliud dignitas, & perfectio. ad Beatitudinem, enim, ut diximus, propinquius & formalius conducit gratia quæ causa beatitudinis est, quam Maternitas, quæ causa beatitudinis non est, sed Maternitas, est dignitas & excellentia quædam, cui titulo condecentiæ debentur gratia, & cætera dona supernaturalia. Maternitas enim non radicat physice, & essentialiter gratiam sanctificantem, nec lumen gloriæ, vel visionem beatificam, cum de potentia absoluta potuisset nasci Filius Dei ex fœmina peccatrice, gratia autem sanctificans, præsertim consumata, & in termino

radicat ex natura rei lumen gloriæ, & visionem beatam. Et per hoc patet ad aliud testimonium Augustini, quandoquidem non dixit dignior est Maria, sed dixit: Fælicior, fuit concipiendo Xphum mente, quam ventre: * fælicior, idest beatior cum beatitudo, & fælicitas sint idem. dignitas autem, aliud est quam fælicitas, cum dignitas Maternitatis sit quodammodo infinita, non autem est infinita beatitudo, & fælicitas B.V.

Tertia autem conclusionis pars probatur eisdem rationibus, quibus articulo præcedenti stabilitum relinquimus Sanctos Patres meruisse de congruo Incarnationem; si enim orationes, & petitiones, & desideria Sanctorum Patrum meruere de congruo Incarnationem potiori titulo, orationes, petitiones, & desideria B.V. debuerunt mereri de congruo exaudiri a Deo ad exequendam Incarnationem. Contrarium huius partis tenet noster SS. P. Antonius della Parra. in præsenti disp. 2. q. 3. ar. 4. Sed miror quidem virum sapientissimum, piissimum, & in B.V. devotionem affectum satis, negasse hanc partem, cum alias docuisset ar. 3. antecedenti resolutione 2. Sanctos Patres meruisse de congruo Incarnationem prout videlicet terminatur a decreto executivo, seu meruisse Incarnationem ut exequendam. Cum negari non posset meritum B.V. excellentius, & præstantius fuisse merito cuiuslibet iusti.

Fundatur iste Sapientiss. ad suam resolutionem stabiliendam in D. Th. in hac 3. p. q. 2. ar. 11. ad 3. ubi hæc verba habentur: * Dicendum quod B.V. dicitur meruisse portare Dominum omnium, non quia meruit ipsum incarnari sed quia meruit ex gratia sibi data illum puritatis, & Sanctitatis gradum, ut congrue posset esse mater Dei *

Similiter adducit alia verba Angelici Magistri, in 3. dist. 4. q. 8. ar. 1. ad. 6. ubi hæc habentur: * Beata Virgo non meruit Incarnationem, sed supposita Incarnatione meruit quod per eam fieret, in quantum decebat quod Mater Dei esset purissima, & perfectissima Virgo. *

Sed quis non miratur deceptionem huius Magistri! Angelicus enim Doctor in præcitatis locis, unum disputat, ex professo, & aliud ut notum, & alibi manifestum supponit; disputat ex professo meritum condignum erga Incarnationem, An nimirum posset esse in eodem Xpto? vel an posset esse in aliqua pura creatura? ut videre est legendo attente textum Angelici Doctoris, Ubi cum in corpore articuli exclusisset meritum de condigno in Xpo, & in pura creatura respectu Incarnationis, concludit corpus articuli per hæc verba: * Ex congruo tamen meruerunt Sancti Patres Incarnationem. * Ergo meritum quod in argumentis intendebat stabilire erat meritum de condigno, alias argumenta non essent ad rem, & per consequens meritum quod

negat in Solutione argumentorum est etiam meritum de condigno, ergo quando in Solutione ad 4. negat Beatissimam Virginem meruisse Incarnationem, loquitur de merito condigno. Cum potius, ut obiter in fine corporis articuli, dixerat Angelicus Doctor, meritum de congruo concedat fuisse in Sanctis Patribus erga Incarnationem. Relinquendus ergo est quo ad hanc partem SS. Parra, et illi applicare dictum illud: Aliquando bonus dormitat Homerus.

Quarta denique pars nostrę conclusionis suadetur primo ex Angelico Magistro locis citatis, ubi expresse docet B.V. meruisse esse Matrem Dei, sed non merito de condigno, ergo de congruo. Deinde probatur ex communi consensu Ecclesię, ut patet ex invito ad lętitiam ipsi B.V, ab Ecclesia facto pro gloriosa resurrectione Xpti Dni, dicendo: * Regina Cœli lętare alleluya, Quia quem meruisti portare &c.* nota lry meruisti: quo pacto est apput omnes fideles certum Beatissimam Virginem Mariam meruisse esse Matrem Dei

Accedunt Patrum testimonia qui uno ore fatentur B.V. ob eximia eius merita, ob vitę Sanctitatem, excellentiam, & puritatem meruisse concipere Regem Cœlorum, & Dominum. Unde D. Ambrosius. lib. 2. de Virginibus ait: * Maria digna extitit ex qua Dei Filius nasceretur * D. Hier. ad Eustochiam de custodia Virginitatis, ait: * Tantę puritatis Maria extitit, ut mereretur effici Mater Filii Dei * quod & concinit sonoris carminibus Fortunatus lib. de Æternis gaudijs:

Virginitas fœlix quę partu est digna Tonantis,
Quę meruit Dominum progenerare suum.

Legite insuper Casianum lib. 2. Martirum, cap. 16. ubi plura Patrum testimonia coadunat, meritum B.V.M. circa suam Maternitatem proclamantias

Deinde ratione suadetur hęc eadem pars, quia meritum de congruo ut exclusum patet in legibus amicitię fundatur, secundum quas congruum, & decens est, ut amicus amicum exaudiat, sed Beatissima V. Maria erat inter omnes iustos magis amica Dei, ut negari non potest, quo circa in Canticis Canticorum dicitur per antonomasiam: Amica, Dilecta, & Sponsa, ergo dignum erat quod exaudiretur a Deo quando instanter precabatur, & orabat Deum ut Filium suum, Messiam promissum in lege, mitteret in mundum ad liberandum genus humanum, a captivitate Dæmonis.

Neque obstat si dicas quod B.V. numquam petijt, nec ~~dep~~ petere debuit se ipsam eligi in Matrem, aliunde videretur

sibi arrogare excellentiam præ omnibus singularem, uti est Maternitas, qua Dei Mater fuit constituta, quod non congruit cum eius humilitate, imo iam de facto Mater Dei anunciata, Ancillam se esse Domini confitetur.

Non obstat inquam hoc, qui licet verum sit quod non sit credibile quod B.V. petivit se esse electam in Matrem, ob eius eximiam humilitatem, tamen hæc eadem sua maxima inter omnes humilitas illam constituit dignam tanti doni, uti est esse Matrem Dei, & hæc eadem eius humilitas fuit eius meritum, petens implicite esse se electam in Matrem.

Quod explicari potest exemplo Patriarcharum Antiquorum, nimirum Abrahami, Isac, & Iacobi, & Davidis, qui licet non petijssent explicite se esse electos in Parentes Futuri Messiæ, ut ex eorum semine, & stirpe nasceretur Xphus Filius Dei, tamen eorum insignia merita implicite (ut sic dicamus) petiere, se ipsos in Parentes Xpti eligendos fore, unde promeruere circumstantiam sanguinis ut patet ex Genesi cap. 22. ubi Abrahamo dicitur: * Quia fecisti hanc rem (immolationem videlicet filij sui Isac) multiplicabo semen tuum super terram * &c. quæ promissio fuit quod ex eius semine esset nasciturus Xphus Filius Dei, ut nullus est qui dubitet. quæ eadem promissio facta fuit Isac, ut constat ex Genesi, cap. 26. & Iacobo. ex Genesi cap. 35. & Dabidi ex lib. 2. Reg. c. 7.

Ex quibus roboratur ratio pro hac ultima parte conclusionis suadenda: si enim istis prædictis Sanctis Patribus conceditur meritum de congruo erga Paternitatem mediatam & remotam Xpti, unde promeruere quod ex eorum semine nasceretur Xphus, potiori titulo asserendum est Beatam Virginem Mariam meruisse de congruo se esse electam in Matrem Dei, cum meritum B. V. sit excellentius præ omnium Sanctorum meritis, ergo asserendum est B.V.M meruisse de congruo Maternitatem

Articulus IV

Utrum Xptus Dominus meruerit, vel de potentia absoluta potuisset mereri Virginis Maternitatem, hoc est, nasci ex Beatissima Virgine?

§. I

Referuntur sententiæ

Prima sententia est affirmativa, etiam circa meritum de facto. ita Eminentissimus Cardinalis de Lugo 3. p. disp. 8. sect. 7. Ripalda tomo 2. de ente supernaturali lib. 4. disp. 86. sect. 7. Herice 1. p. disp. 29 sect. 4. & alij pauci.

Secunda sententia est negativa hanc tuentur Nazarius 3. p. q. 2. ar. 11. controv. 1. q. 6. concl. 8. Vincentius de Gratia Xpti. q. 5. & est Thomistarum communis, eam docet Ill. God. 3. p. q. 1. 9 tract. 12. disp. 55. §. 3. ex alijs tenent hanc sententiam P. Suarez 3. p. disp. 10. sect. 4. unde pro sententia affirmativa refertur. Lorca disp. 22. n. 28. Granados de Incarnatione controv. 1. tract. 14. disp. 2. sect. 1. infine. & alij quamplures.

§. II

Statuitur sententia negativa

Sit nostra conclusio: Xptus Dominus non meruit, nec potuit mereri Virginis Maternitatem, videlicet nasci ex B.V.M.

Probatur conclusio. quia non minus repugnantiæ est in eo quod principium immediatum meriti cadat sub merito, quam quod principium mediatum meriti sub merito cadat, sed Beatissima Virgo fuit principium mediatum meritorum Xpti, quatenus fuit causa productiva humanitatis, quæ fuit Verbo unita immediatum principium meritorum Xpti, ergo eadem ratione qua Incarnatio non potuit cadere sub merito Xpti, ita nec B. V. ut productiva eiusdem Xpti.

Confirmatur. ideo Incarnatio non potuit cadere sub merito operis procedentis ab ipsa, quia licet merita Xpti ut prævisa a Deo possent movere divinam voluntatem ad conferendum anticipate præmium intuitu illorum, tamen ut possent prævideri talia merita debebant prævideri post decretum executivum Incarnationis ut post solum poterant movere qua ratione sunt merita Theandrica, & proinde ut elicita ab homine Deo, & ut valorata intrinsece moraliter a Deitate, qua ratione subsequuntur essentialiter ad Incarnationem illam quæ supponunt, sed eadem ratione supponunt essentialiter Maternitatem. ut illorum principium mediatum ergo vera est conclusio.

Secundo probatur conclusio, quia implicat meritum cui repugnet essentialiter præcedere præmium cuius est meritum, Sed meritis Xpti repugnat essentialiter præcedere Maternitatem B. V. ergo implicat merita Xpti posse respicere Maternitatem ut præmium. maior est nota. quia licet dabile sit præmium præcedens meritum, & pro inde meritum possit subsequi ad præmium, ut patet in gratia collata Sanctis antiquis Patribus, quæ in executione præcessit merita Xpti quorum fuit præmium. non tamen est dabile meritum cui essentialiter repugnet præcedere præmium, sed meritis Xpti repugnat essentialiter præcedere Maternitatem, sicut & ipsis repugnat præcedere Incarnationem, ut patet. ergo.

§. III.

Solvuntur argumenta.

Obiicies primo gratia vi cuius Beatissima Virgo meruit de congruo Maternitatem, fuit effectus meritorum Xpti, in genere causæ finalis, & efficientis moraliter; Sed quod est causa causæ, est causa causati ergo Xptus merens gratiam Beatiss. V. causantem merita erga Maternitatem, & Xpti conceptionem, & nativitatem, meruit eamdem Maternitatem, & nasci ex Virgine.

Respondeo, ~~[illegible]~~ ~~[illegible]~~ concessa maiori distinguendo minorem, quod est causa causæ infalibiliter & necessario producendis effectum, est causa eiusdem effectus causati, concedo, si non infalibiliter, & necessario, sed tantum libere causat effectum, est causa illius quod est causa causæ, nego minorem, & consequentiam. & instatur in gratia Sanctorum Patrum, causata a Xpto in genere causæ finalis, & efficientis moraliter, & tamen Xptus causans illam gratiam, non proinde causavit Incarnationem, causatam moraliter de congruo a meritis Sanctorum Patrum, eo quia Sancti Patres, operibus suis elicitis a gratia, non necessario, sed libere causarunt per suum meritum congruum Incarnationem.

Obiicies Secundo.

Principium pure effectivum meriti, dummodo non sit principium formale, potest cadere sub merito, quo pacto supra dictum est quod Incarnatio quæ est principium pure effectivum meritorum Sanctorum Patrum, cadit sub merito Sanctorum Patrum, Sed Maternitas non est principium formale meritorum Xpti, sed tantum principium pure effectivum Incarnationis, ergo potuit maternitas cadere sub merito Xpti.

Respondeo distinguendo maiorem. principium non formale, sed pure effectivum potest cadere sub merito, si est pure effectivum moraliter concedo maiorem, si est principium effectivum physice, nego maiorem, & distinguo minorem, eisdem terminis, & nego consequentiam principium enim effectivum essentialiter præsupponitur ad effectum, cum effectus

essentialiter supponat suam causam, & idem numero effectus requirat produci a duplici causa etiam disiunctive, ut in physica probatum supponitur.

Obicies Tertio:

Ideo non posset Xptus Dnus mereri Maternitatem Virginis, hoc est nasci ex Virgine quia repugnat meritum cui essentialiter repugnet precedere premium, sed tale meritum non repugnat. ergo. ex hac ratione non probatur conclusio. probatur minor quia gratia Antiquis Sanctis Patribus data ad credendum, & sperandum adventum Xpti futuri, fuit premium meritorum Xpti. Sed huic gratiæ repugnat quod meritum Xpti ut executum precedat ergo non repugnat premium essentialiter antecedens premium. & proinde non repugnat meritum, cui repugnet precedere premium probatur minor, quia actibus credendi & sperandi Xptum venturum, repugnat non precedere Xptum, alias fides posset subesse falso, & spes compatiretur cum possessione, ergo & gratiæ radicanti tales actus convenit eadem repugnantia.

Respondeo negando minorem, & ad probationem distinguatur maior, gratia antiquis SS data fuit premium meritorum Xpti, sub formalitate sanctificantis & radicantis dona quibus non repugnat quod precedat Xptus, concedo. sub formalitate radicante actus credendi, & sperandi Xptum venturum, & dona quibus repugnat quod Xptus precedat nego maiorem, sub ista enim formalitate solum fuit illa gratia effectus Xpti in genere causæ finalis, non autem in genere causæ efficientis moralis.

Dices illa gratia sub formalitate radicante fidem, & spem de Xpto venturo fuit effectus predestinationis sanctorum Patrum, sed omnis effectus predestinationis in quocumque predestinato est effectus meritorum Xpti, ergo.

Respondeo similiter distinguendo minorem omnis effectus predestinationis in quocumque Beato est effectus meritorum Xpti in genere causæ finalis, concedo minorem, in genere causæ efficientis saltim moraliter, nego minorem & consequentiam, effectus predestinationis quibus repugnat quod illos precedat Xptus, illos causare efficienter moraliter, non potest, cum causa efficiens debeat precedere suos effectus. phisice, si est causa phisica, & moraliter si est causa moralis. & causa moralis ut talis esse possit, licet defacto possit non precedere phisice suum effectum non tamen illi debet repugnare precedentia phisica, cum modus connaturalis causandi in causa morali etiam, sit ut precedens suum effectum & nulli causæ potest repugnare modus connaturalis causandi.

Denique obicies Xptus Dnus

meruit Sanctis Patribus gratiam prout fuit principium merendi Incarnationem, ergo. & ic. meruit B. Virgini Maternitatem, consequentia patet ex eo quia esse principium Incarnationis non obstat gratiæ Sanctorum Patrum, ergo nec Maternitati antecedens autem probatur. quia Xphus Dominus omnibus meruit omnes effectus prædestinationis, sed gratia Sanctorum Patrum prout fuit principium merendi Incarnationem fuit effectus prædestinationis Sanctorum Patrum ergo meruit Sanctis Patribus gratiam prout fuit principium merendi Incarnationem.

Confirmatur. Xphus Dominus meruit B. Virgini, sicut, & omnibus prædestinatis omnes effectus prædestinationis, sed Maternitas in Beata Virgine fuit effectus prædestinationis eius, ergo meruit illi Xphus Maternitatem. Confirmatur secundo Xphus Dominus meruit Beatissimæ Virgini suam substantiam, & existentiam, ut pote substantia & existentia prædestinatorum est effectus prædestinationis, & hoc etiam si substantia, & existentia B. Virginis debeat præcedere Incarnationem, & proinde & meritum Xpti. ergo licet Maternitas debeat præcedere Incarnationem, & meritum Xpti potuit illam mereri Xphus Dnus.

Respondeo negando antecedens. & ad probationem concessa maiori, negatur minor, gratia enim Sanctis Patribus communicata, considerari potest, & debet, & ut est illos sanctificans, & prout illos disponebat ad augmentum ipsius gratiæ, & ut est semen gloriæ, & potest considerari, ut est principium seu causa moralis meritoria de congruo Incarnationis, sub hac ultima consideratione non est effectus prædestinationis Sanctorum Patrum antiquorum, sed potius est principium & causa moralis eorundem prædestinationis, sub alia autem prima consideratione est effectus eorum prædestinationis. quia sub prima consideratione illi non repugnat quod præcedat Incarnatio, sub secunda autem illi repugnat quod Incarnatio præcedat, unde Incarnatio non est causa gratiæ illorum sub secunda consideratione, sed solum sub prima, sub illa autem secunda consideratione Incarnatio est causa finalis illis, non causa efficiens moralis.

Similiter respondeo ad confirmationem concessa maiori negando minorem, Maternitas enim non est effectus prædestinationis B. M. V. sed potius principium, & causa, causans Incarnationem, ex qua in executione fuit collatus Beatæ Virgini terminus prædestinationis, videlicet gloria, etenim eatenus conducit ad gloriam excellentissimam B. V. se generare Filium Dei, & esse illius Matrem, quatenus mediante Xpto, extollenda esset ad talem gloriam, & excellentiam, sed Xphus non est effectus prædestinationis

Sed potius causa, & universale principium, ergo Maternitas non est effectus prędestinationis B. Virginis sed potius causa & principium mediatum. videatur M. Godo. 3. p. q. 19. tract. 12. disp. 51. §. 4. n. 57.

Ad secundam Confirmationem concessa maiori, negatur minor, cum probatione ibi subintellecta, nam Substantia, & existentia B. V. non dicunt essentialiter esse pręcedendo Incarnationem, sed solum permissive, quia absolute potuit Deus de potentia absoluta producere se solo istum numero Xphum, antecedenter ad B. V. Mariam; at vero respectu Maternitatis, implicatorium est quod Xphus pręcedat, si enim existit Maternitas est fundata in generatione Xpti, unde Maternitas B. V. essentialiter est ante Xphum. & proinde Substantia entitativa, & existentia Beatissimę Marię Virginis potuit sub merito Xpti cadere, secus autem generatio, qua Xphum generavit, & per consequens Maternitas cum ista in generatione fundetur.

Articulus. V

Vtrum Xptus Dominus meruisset, vel potuisset mereri merito condigno Vnionis hypostaticae continuationem?

§. I

Referuntur sententiae

Prima sententia docet Xptum de potentia absoluta non potuisse mereri Incarnationis continuationem. ita Vincentius Select. de Gratia Xpti. q. 5. concl. 5. Nazarius 3 p. q. 2. ar. 11. controv. 1. q. 5. Cippullus 3. p. q. 19. ar. 3. dub. ultimo.

Secunda sententia docet Xptum Dominum non solum potuisse de potentia absoluta mereri Incarnationis continuationem, sed ita de facto evenisse. Ita P. Suarez 3. p. disp. 10. sect. 4. & alij.

Tertia sententia media graditur via, & docet quod Xptus de facto non meruit continuationem Incarnationis; caeterum de potentia absoluta illam mereri potuit. ita M. Lorca 3. p. disp. 75. num. 9. Ill. Godoi 3. p. q. 19. tract. 12. disp. 51. §. 1. n. 2.

§. II

Tertia ista sententia statuitur pro conclusione

Sit nostra conclusio: Xptus Dominus potuit de potentia absoluta mereri de condigno Incarnationis continuationem; illam tamen de facto non meruit.

Prima pars conclusionis probatur. quia non repugnat quod Deus decerneret Incarnationem, seu Unionem humanitatis ad Verbum quo ad substantiam, pro aliquo brevi tempore exstituram, vel solum pro uno instanti, & simul pacisci cum Xpto. quod illam unionem continuaret si illam mereretur eliciendo actum amoris Dei super omnia, continuando nempe illam intuitu meriti, utique infiniti illius actus. sed hac hypotesi admissa Xptus eliciendo illum actum meritorium, mereretur de condigno Incarnationis continuationem, ergo de potentia absoluta illam mereri potuit. minor patet, cum illud meritum esset infinitum & ordinatum ex vi pacti, & intentionis Xpti ad Incarnationis continuationem promerendam, unde licet istud praemium esset infinitae stimabilitatis, non excedit meritum.

Maior autem etiam videtur nota, cum tale decretum non repugnet neque ex parte Dei, nec ex parte Incarnationis, cum ista essentialiter non sit exigens continuationem, cum posset existere Incarnatio pro unico instanti, & libere posset Verbum non terminare humanitatem quam terminat.

Secunda autem pars conclusionis probatur, quia ut de facto Xptus mereretur Incarnationis continuationem erat necessarium quod de facto Substantia Incarnationis, & illius continuatio, non uno, & eodem decreto, decernerentur. Sed de facto uno, & eodem decreto fuit volita Incarnatio, & eius continuatio, ergo de facto non meruit, nec potuit mereri continuationem Incarnationis. maior patet, cum unum, & idem decretum non possit esse gratiosum, & ex iustitia. ut patet & instatur in gloria Prędestinatorum quę quia, & quoad Substantiam, & quoad ęternam durationem decernitur uno, & indivisibili decreto intentivo, liberaliter sub utroque munere decernitur, & in ordine executivo cadit sub utroque munere sub merito, unde decretum executivum est remunerativum.

Minor autem probatur quia de divinis decretis sentiendum est conformiter ad naturas rerum, nisi aliter sit revelatum, & constet ex traditione, & communi consensu Ecclesię, & Patrum. Sed continuatio Incarnationis attenta natura Incarnationis, petit decerni eodem decreto, quo est decreta Substantia ipsius incarnationis, cum incarnationi sit connaturaliter debita continuatio. ergo uno & eodem decreto fuit volita Incarnatio, & eius continuatio.

Confirmatur, quia Angelus Anima rationalis, & visio beata exigunt ex natura sua durare in perpetuum, eodem decreto decernitur Angelus & eius duratio seu continuatio ęterna, & similiter anima rationalis, & visio beata, ergo idem dicendum est de Incarnatione & eius continuatione.

§. III

Solvuntur argumenta

Obiicies primo contra primam partem conclusionis principium meriti non potest cadere sub merito sed incarnatio ut continuata est principium cuiuscumque meriti existentis in Xpto, ergo Incarnatio ut continuata non potest etiam de potentia absoluta cadere sub merito operis Xpti. maior supponitur ex dictis eo quia Incarnatio est principium & effectivum, & formale meriti. probatur minor ex D. Th. 1. 2. q. 114. ar. 9. ubi probat hominem non posse mereri perseverantiam in gratia eo quia gratia est principium cuiuscumque meriti in homine. Sed eodem modo comparatur in homine perseverantia seu continuatio in gratia, ac in Xpto perseverantia, seu continuatio Incarnationis. ergo vera est minor.

Respondeo negando minorem. etenim licet Incarnatio quoad Substantiam sit principium omnis meriti in Xpto tamen prout continuata tale principium non est, cum meritum operis eliciti in primo instanti non dependeat essentialiter a continuatione Incarnationis, & de potentia absoluta poterat non continuari incarnatio, & tamen

opus meritorium elicitum a Verbo Incarnato, non propterea desineret esse infinite meritorium. ad probationem respondeo quod perseverantia in gratia dupliciter sumi potest: primo pro continuatione gratiæ semel infusæ usque ad mortem. secundo pro auxilijs requisitis ex parte Dei ut homo illam per peccatum non amittat, primo modo non est principium formale cuiuscumque meriti, sed tantum secundo modo unde illam non potest homo mereri. ut patet ex verbis Angelici Magistri loco citato: * Perseverantia autem viæ non cadit sub merito, quia dependet solum ex motione divina, quæ est principium omnis meriti. * ac proinde ex hoc non convincitur quod Incarnatio ut continuata sit principium omnis meriti in Xpto.

Obiicies secundo replicando principium meriti debet realiter distingui a præmio; sed Incarnatio ut continuata non distinguitur realiter a se ipsa ut primo producta, ergo Incarnatio ut continuata non potest cadere sub merito Incarnationis ut primo productæ. minor est nota quia continuatio est idem ac conservatio & ista est idem ac continuata productio. maior autem probatur, ex eo quia meritum & præmium comparantur ut causa, & effectus, inter quæ datur realis distinctio, eo quia idem a se ipso dependere non potest.

Respondeo ad argumentum dupliciter. primo omissa maiori, distinguendo minorem. sed Incarnatio ut continuata non distinguitur a se ipsa ut primo producta, nec potest distingui, nego, & potest distingui concedo. unde potest cadere ut continuata sub merito. Continuatio enim potest separari de potentia absoluta ab Incarnatione, unde mirum non est quod Incarnatio quæ ad substantiam possit respicere ut præmium Incarnationem, ut continuatam.

Secundo respondeo negando maiorem de reali distinctione. vel illam claritatis gratia distinguendo principium meriti debet realiter distingui a præmio, realiter physice, nego maiorem, realiter moraliter concedo. & instatur in gratia, & eius augmento, homo enim per operationes elicitas a gratia existente in ipso meretur augmentum gratiæ. & augmentum gratiæ non distinguitur realiter a gratia. cum in nostra & probabilissima Thomistarum sententia intensio qualitatis fit sine aditione reali. imo & sine modo reali superaddito. sed per maiorem radicationem in subiecto.

Obiicies tertio:

Meritum condignum non potest extendi ad præmium supra inclinationem principij dignificantis ipsum. sed continuatio Incarnationis est præmium supra exigentiam gratiæ unionis dignificantis meritum Xpti; ergo opera Xpti domini dignificata per gratiam unionis, nequeunt respicere ut præmium continuationem Unionis hypostaticæ. Maior est nota. cum meritum habeat totum suum valorem a principio dignificante ipsum.

probatur ergo minor. quia gratia Unionis, quæ est dignificans forma meritum Xpti petit ab intrinseco, sui continuationem, unde ab intrinseco petit quod idem decretum terminatur ad sui primam productionem, & ad sui continuationem. ut dixi mus supra probando secundam partem nostræ conclusionis, sed etiam petit quod illud decretum sit liberale, & omnino gratiosum; ergo gratia unionis quæ est forma dignificans meritum Xpti petit ab intrinseco quod illius continuatio sit gratiosa & per consequens petit ab intrinseco quod continuatio Incarnationis non sit præmium ipsius Incarnationis quo ad substantiam quia duæ inclinationes oppositæ non possunt eidem convenire.

Hoc argumentum est urgentius omni alio, verum non convin cit contra nostram conclusionem. Respondeo ergo concessa maiori, negando minorem. & ad probationem distinguo maiorem claritatis gratia. gratia Unio nis quæ est forma dignificans meritum Xpti petit ab intrinseco, sui continu ationem, & quod eodem decreto decernatur primum esse sui ipsius, & eius continuatio, attenta, exigentia absoluta fundata in natura intrinseca ipsi us gratiæ unionis concedo maiorem; attenta exigentia conditionata hoc est in hypotesi quod Deus nollet producere ipsam gratiam unionis iuxta sui connaturalem exigentiam, quæ est ad sui continuationem, sed potius vellet Deus producere ipsam gratiam Unionis, ut exstituram ab solute pro uno instanti, vel pro determinato tempore, & conditionate decer neret eius continuationem, videlicet sub conditione quod eliceret ope rationem meritoriam, cui esset promissa in præmium eius continuatio, nego maiorem, & distinguo minorem. sed etiam petit quod illud decretum quo decernitur substantia gratiæ unionis, & eius continuatio, sit liberale. & omnino gratiosum, de facto, & attenta inclinatione absoluta, concedo mino rem. conditionate, & in hypotesi quod sic illam non vellet Deus decernere sed potius vellet decernere primam existentiam absolute, & conditionate con tinuationem, hoc est in hypotesi quod continuatio esset promerita nego minorem. & distinguatur consequens eadem distinctione. Licet enim Incarnatio attenta sua natura petat absolute continuationem sui, tamen simul habet aliam inclinationem conditionatam ex parte obiecti. ad ut si Deus de suo absoluto posse decernat illam producere non attensua natura intrinseca, sed potius operando vel supra, vel contra suam naturam, illam decernendo, pro uno instanti, vel pro determinato tempore solum exstituram, possit inclinare ad sui continua tionem illam merendo per opera a se ipsa ut prius producta elicita

Et instatur in eadem Incarnatione quæ attenta sua absoluta natura, & absoluta inclinatione habet

exigentiam ad visionem beatificam, & ad alia dona Supernaturalia. & tamen cum de poten tia absoluta potuisset Xp̄us carere visione beata, & alijs donis, adest proinde in Eadem Incarnatione Sufficientia, ad illa promerenda. Si sine illis fuisset primo producta. unde habet conditionatam inclinationem ad habenda per modum premij; licet de facto illa habeat ut gratiose communicata. pariter ergo discurrendum est in eadem Incarnatione, & eius continuatione. Similiter instatur in eadem Incar natione respectu gloriam corporis, quam de facto habet Xp̄us per merita, & tamen si attendatur natura intrinseca Incarnationis deberet illam habere non per merita sed ut proprietatem secutam ad gloriam animę, & proinde illam deberet habere in primo instanti Sui esse, verum quia ad munus Redemptoris, & redemptionis exequendę per passionem & mortem, non compatiebatur gloria corporis cum predicto munere, ideo de facto fuit producta, & facta Incarnatio cum exclusione glorię cor poris. & ut habenda, & consequenda per merita.

Contra Secundam partem nię con clusionis. Obiicies primo, potuit Xp̄us de potentia absoluta mereri continuationem Incar nationis, ergo de facto illam meruit probatur consequentia, quia melius, & dignius est habere aliquam rem per meritum quam sine illo, gratiose communicatam, sed Xp̄o concedendum est quidquid est maioris dignitatis, & perfectionis, ergo.

Respondeo negando con sequentiam, & ad probationem, distinguo maiorem, dignius est aliquid habere per meritum, quam sine illo, si in eo quod est habere rem per meritum, non arguit inconnaturalitatem aliquam, vel imperfectionem concedo, si arguit, nego, & distinguo minorem salva alias omni connaturalitate concedo minorem: tali connaturalitate non servata nego minorem, & Consequentiam. Inconnaturalitas autem quę adesset esset quod esset necessarium quod Incarnatio ut primo existens, non esset volita decreto eodem quo esset volita ut continuata, & cum Incarnatio attenta sua intrin seca natura petat continuari exigit connaturaliter decreni ut primo existens, & ut continuata eodem decreto indivisibili virtualiter.

Obiicies secundo meritum de facto extitit ut in executione, pro priori ad continuationem Incarnationis, ergo fuit sufficiens ad merendum de facto continuationem. antecedens patet, quia Xp̄us in pri mo instanti sui esse habuit meritum, & utique infinitum, sed primum instans est an te continuationem ergo de facto & in executione fuit meritum Xp̄i pro priori ad conti nuationem Incarnationis, consequentia autem probatur, ideo Xp̄us non potuit me reri suam Incarnationem, quia opera meritoria non fuerunt ante Incarnationem

nec potuerunt præverti pro priori ad decretum executivum Incarnationis; ergo a contrario si meritum Xpti de facto fuit pro priori ad continuationem Incarnationis, potuit Xptus de facto mereri continuationem Incarnationis,

Respondetur concesso antecedenti, negando consequentiam, & ad probationem similiter concesso antecedenti nego consequentiam quia ut meritum Xpti posset de facto respicere Incarnationis continuationem ut premium, vel ut illam de facto mereretur, erat necessarium quod non solum meritum fuisset ante, vel pro priori ad continuationem, sed insuper exigebatur quod tale meritum esset pro priori ad decretum executivum continuationis Incarnationis, & hoc non supponit, sed potius meritum supponit decretum executivum continuationis, cum eodem decreto indivisibili fuisset executa in primo sui esse, & ut continuata. antecedens patet cum meritum causet movendo voluntatem premiantis ad decernendum saltim executive premium, unde si decretum executivum incarnationis ut continuandæ fuit pro priori ad meritum, infertur quod de facto Xptus non meruit Incarnationis continuationem.

Replicabis incarnatio ut continuata; est pro posteriori ad aliquod meritum Xpti, ergo et decretum executivum continuationis Incarnationis est pro posteriori ad meritum Xpti. antecedens patet, cum meritum Xpti fuisset in primo instanti. consequentia autem probatur quia ordo decretorum commensuratur cum ordine obiectorum in executione, sed obiecta in executione habent ordinem prioris, & posterioris, cum prius sit aliquod meritum, quam Incarnationis continuatio, ergo decretum executivum meriti illius est prius decreto executivo continuationis,

Respondeo negando antecedens eo quia Incarnatio ut primo existens habet exigentiam intrinsecam ad sui continuationem, unde continuatio non est obiectum per se terminans aliquod decretum, sed est quid connaturaliter connexum & inclusum in obiecto terminante decretum executivum Incarnationis in primo suo esse, & proinde incarnatio in primo sui esse, & Incarnatio ut continuata non sunt duo adequata obiecta, sed unum & idem indivisibiliter attenta connaturali natura Incarnationis. & ad probationem antecedentis respondeo concedendo quod in primo instanti fuit aliquod meritum Xpti. & ad minorem sub intellectam, videlicet, sed in primo instanti non erat continuatio, executa concedo, exacta nego, & consequentiam quæ potest sub inferri. – Ad probationem illius consequentiæ quatenus huic solutioni obstare potest respondeo ordo decretorum commensuratur ordini obiectorum, distinguo, quando obiecta, sunt diversa, & unumquodque terminat suum decretum, executivum, concedo quando non sunt diversa, sed est unum & idem & per se sequitur ad primum nego. & iuxta hanc doctrinam distinguatur minor, & nego consequentiam

Articulus. VI.

Vtrum Xptus Dominus de facto sibi meruisset gratiam habitualem, & dona supernaturalia ipsam consequentia?

§. I. Statuitur conclusio.

Sit nostra conclusio negativa. unde asserimus quod Xptus Dominus non meruit de facto sibi gratiam habitualem nec virtutes supernaturales. vel dona quecumque supernaturalia connaturaturaliter consequentia ipsam gratiam.

Est hec conclusio communis omnium Theologorum tum antiquorum. tum recentiorum cuiuscumque schole. & licet referantur pro contraria sententia Altisiodorensis. Maior. & Albertus. fallo tamen. cum solum loquantur de Beatitudine anime Xpti. non vero de gratia habituali. unde sine temeritatis nota non potest tueri contraria sententia.

Ceterum obiter supponendum est. quod de potentia absoluta gratia habitualis anime Xpti. & dona supernaturalia ipsam consequentia potuerunt cadere sub merito Xpti, esseque illius premium. quia humanitas Xpti Verbo unita potuit elicere operationem non productam a gratia habituali sed ab ~~[illegible]~~ auxilio. cum potuerit fieri unio hypostatica ita ut impediretur gratia habitualis, debita Xpto. debito utique morali. conclusio ergo procedit de facto.

Et probatur primo quia in re gravi non est discedendum a communi theologorum sententia, sed communis theologorum sententia affirmat quod gratia habitualis & dona supernaturalia fuerunt sequuta ad unionem hypostaticam, ergo est quia illam meruit Xptus Dnus.

Ratione autem probatur conclusio quia Xptus non meruit gratiam habitualem per actus procedentes ab ipsa, sed omnis operatio meritoria elicita ut quod a Xpto Domino fuit elicita a gratia habituali ut quo, ergo de facto Xptus Dnus non meruit gratiam habitualem. Maior supponitur ex eo quod principium meriti non potest cadere sub merito, ad minus de facto. & de lege ordinaria. imo nec de potentia absoluta. quando est princi

pium essentiale, vel formale. Minor autem probatur, quia ad dignitatem Xpti opportebat quod actus meritorij essent connaturali modo elicita ab eius humanitate, sed ad connaturalem elicientiam actus supernaturalis, requiritur gratia. ut principium radicale quo, & alij habitus seu virtutes supernaturales ut principia quo ~~proxima~~ vel quibus proxima, maior constat quia de operationibus meritoriis Xpti Dni loquendum est conformiter ad illorum naturas, & connaturales exigentias nisi aliter sit revelatum, vel aliquod inconveniens sequatur. ergo est quia omnis operatio meritoria Xpti Dni debuit elici connaturali modo & iuxta exigentiam connaturalem meriti, & operationis meritoriæ. tum quia opperari inconnaturaliter est imperfecte operari, sed imperfecte operari non congruit dignitati Xpti. ergo est quia omnis eius operatio meritoria fuit elicita modo connaturali

Minor autem probatur, ex tract. de Gratia Xpti ubi ex eo persuasum est fuisse in Xpto Gratiam habitualem ut esset connaturale principium operationum supernaturalium & insuper expresse docetur a D. Th. q. 29 de verit. ar. 1. & in 3. dist. 13 q. 1. ar. 1. & in hac. 3. p. q. 7. ar. 1. quibus in locis docet S. Doctor quod fuit in Xpto necessaria gratia habitualis ut coniungeretur cum Deo non solum secundum esse quæ coniunctio fit per gratiam substantialem unionis, sed ut coniungeretur per operationem, ergo sentit quod ad connaturalem elicientiam operationis supernaturalis requiritur gratia.

Ratione autem probatur eadem minor. quia ut actus supernaturalis, & meritorius connaturaliter eliciatur requiritur quod principium sit constitutum in actu per formam permanentem intrinsecam sed ista forma permanens & intrinseca constituens naturam est gratia, & constituens potentias proxime operativas sunt virtutes supernaturales. ergo vera est prædicta minor.

§. II

Proponitur argumentum difficile

Licet ista conclusio sit ita vera, obicies tamen contra illam sub hac forma. Xptus Dominus in primo suæ conceptionis instanti fuit sanctificatus more adultorum, per proprium & liberum actum, & per propriam dispositionem; ergo motus liber Charitatis præcessit gratiam habitualem, consequentia videtur nota quia actus disponens ad formam, illam præcedit saltim pro priori naturæ sed prædicto actui nihil deficit ut sit meritorius, & ut de facto mereatur gratiam habitualem ergo de facto illam meruit Xptus Dominus. minor videtur nota, cum ille actus sit bonus, elicitus a Xpto ut viatore, & elicitus a persona Deo grata, per gratiam unionis ergo habuit omnes conditiones necessarias ad meritum. primum

antecedens docetur expresse ab Angelico Magistro in hac 3. p. q. 34. ar. 3. in corpore, & patet ex eo quia sanctificare more adultorum est modus perfectior, quam sanctificari more parvulorum. Sed Xpto concedendus est modus perfectior sanctificationis. ergo.

§. III.

Defenditur prima solutio.

Propter hoc argumentum ut notat in praesenti Ill. Godoi, asserit Recentior quidam D. Th. fuisse in sententia contraria. & insuper notat idem Ill. quod haec impostura contra S. Doctorem volendo illum segregare a communi Theologorum, & SS. PP. sententia, nascitur ex male animato pectore in Angelicum Doctorem. cum facile componatur doctrina illa ex q. 34. citata ar. 3. cum hac conclusione.

Respondent ergo Thomistae duplici solutione ad hoc argumentum, Primo distinguendo antecedens. fuit Xpus Dnus sanctificatus in primo instanti suae conceptionis more adultorum. per proprium scilicet actum, & per per propriam dispositionem, si sermo sit de dispositione concomitanti concedo, si de dispositione praevia. & praecedente gratiam saltim prioritate naturae, nego antecedens, & consequentiam. quae distinctio fundatur in eodem Angelico M. in hac 3. p. q. 2. ar. 10. ita Vincentius de Gratia Xpti q. 4. Nazarius. 3. p. q. 19. ar. 3. controv. unica. 8. p. controv. Ill. Araujo 3. p. q. 19. dub. 4. conc. 1. Ill. Godoi 3. p. q. 19. tract. 12 disp. 51. §. 4. n. 75.

Sed replicabis iustificatio adultorum per proprium actum & propriam dispositionem, est per dispositionem antecedentem, & non solum concomitantem, quod verum est non solum in iustificatione peccatoris adulti, sed in iustificatione non existentis in peccato ut fuit iustificatio Adami. & Angelorum in primo instanti sui ipsorum. ut docet Angelicus Doctor. 1. p. q. 62. ar. 6. & q. 95. ar. 1. ad. 5. ergo etiam iustificatio Xpti, si fuit more adultorum, fuit per propriam dispositionem antecedentem.

Secundo replicabis: quia in communi Thomistarum sententia fundata in D. T. 1. 2. q. 112. ar. 2. Gratia ex natura rei petit in Adultis dispositiones praevias, eo quia nulla forma potest recipi in subiecto indisposito; Tunc sic. Sed oportuit ut gratia habitualis reciperetur in Anima Xpti connaturali modo, ergo oportuit quod Xpus se disponeret per dispositionem praeviam, ergo solutio supra assignata concedens solum in Xpto dispositionem concomitantem non cohaeret

Sed contra has replicas sic insurgo Respondendo ad illas & ad primam concesso antecedenti negando consequentiam. & ad probationem ibidem intellectam. in probatione consequentiae, quae

continetur in illa conditionali, videlicet, Si iustificatio Xpti fuit more adultorum, respondeo distinguendo propositionem, iustificatio Xpti iuxta D. Th. fuit more adultorum, quo ad aliquid, nimirum quoad hoc quod est intervenire actum proprium, concedo illam, fuit more adultorum quoad omnia & eodem modo nego illam. Explicatur Solutio, in iustificatione adultorum, etiam non presupponentium peccatum, ut in Adamo, & Angelis in sui ipsorum primo esse, duo concurrunt, & actus, & precedentia, primum videlicet quod interveniat proprius actus, dicit perfectionem, unde & in Xpto intervenit. Secundum autem, videlicet precedentia actus ad gratiam, dicit imperfectionem actus, unde non oportuit quod interveniret in Xpto. Imperfectio ergo istat in eo quod cum actus previe disponens ad gratiam debeat esse supernaturalis, non eliceretur pro illo priori connaturali modo, eo quia actus supernaturalis exigit connaturaliter oriri a gratia, ergo actus supernaturalis quo anima Xpti se disposuit ad gratiam, non fuit dispositio previa sed concomitans, & per consequens non potuit mereri gratiam ipsam, alias principium meriti caderet sub merito.

Ad secundam replicam respondeo distinguendo maiorem, gratia petit in adultis dispositiones previas, ut connaturaliter recipiatur in illis, quando gratia datur per modum naturę, concedo, quando licet identice sit natura, tamen non datur ut natura, sed ad modum proprietatis, nego maiorem, & eodem modo distinguitur minor, & nego consequentiam. gratia enim habitualis in Xpto, et si revera sit natura radicans operationes lineę supernaturalis, tamen fuit concessa Xpto ut corrollarium Unionis hypostaticę, unde non sit proprietas eiusdem unionis fuit data ad modum proprietatis, unde non exigebat in Xpto, etiam ut connaturaliter reciperetur actum qui esset dispositio previa, cum iam ratione unionis hypostaticę esset sufficienter anima Xpti previe disposita ad receptionem gratię, & proinde actus illo quo se ad gratiam Xptus disposuit solum fuit dispositio concomitans, & non previa.

§. IV.

Defenditur secunda solutio.

Secundo Respondeo ad principale argumentum admittendo Xptum dominum se disposuisse non solum concomitanter, sed etiam previe per suum actum ad gratię receptionem, unde eius iustificatio fuit more adultorum quoad omnia, unde concesso antecedenti, cum prima consequentia, nego minorem subsumptam, videlicet nego actum illum previum quo Xptus se disposuit ad gratiam, esse vel

fuisse meritorium eiusdem gratię ad quam disposuit. vel ex eo quod Deus non promisit ut premium primam gratiam habitualem, vel ex eo quia Xphus non ordinavit suum actum ad illam promerendam.

Sed replicabis cum Magistro Vincentio: Actui libero, supernaturali, elicito in statu vię, prevenienti gratiam, & procedenti a persona sancta, & Deo grata & amica, conveniunt omnes conditiones ad meritum exactę, talis est actus quo elicitus ab humanitate Xphi supposito quod previe se disposuerit ad gratiam, ergo hoc supposito fuit meritorius saltim quoad sufficientiam; sed concessa vi meritoria quoad sufficientiam nullum est fundamentum ad negandum de facto fuisse meritorium, seu nullum est fundamentum ad negandum pactum ex parte Dei, & ordinationem ex parte Xphi, ergo asserendum est de facto meruisse.

Huic replicę utique difficili respondes concesso primo syllogismo, negando minorem subsumptam, & fundamentum est consensus communis Theologorum negantium Xphum meruisse gratiam habitualem, & proinde licet actus ille quo se previe disposuit ad gratiam, licet quoad sufficientiam habeat quidquid videtur sufficere ad meritum, negandum tamen est de facto fuisse meritorium. unde asserendum est ideo meritorium non fuisse quia non fuit pactum. & quia non fuit ordinatus ad promerendam gratiam.

Quę solutio pacifica tur, ex eo quod Xphus Dominus non meruit omne id ad quod suum meritum habuit sufficientiam, meritum enim Xphi fuit sufficiens ad merendam Incarnationem Patris, & Spiritus Sancti, & tamen de facto hoc premium non meruit, cuius nulla alia ratio assignari potest nisi quia defuit pactum ex parte Dei, & ordinatio ex parte Xphi.

Fundamentum autem, quare negatur ordinatio ex parte Xphi ad promerendam gratiam habitualem, assignari potest ex quia Xphus non direxit suas operationes ad aliquid promerendum nisi ordine connaturali servato, connaturalis autem ordo in quacumque operatione meritoria, est quod formalicetur a gratia habituali, immediate, unde valor personalis communicatur de facto operationi quę presupposi tive est dignificata moraliter a gratia habituali, ergo cum dispositio previa formalizata esse non possit a gratia habituali ad quam disponit infertur proinde actum supernaturalem quo Xphus Dominus previe se disposuit ad gratiam non fuisse meritorium eiusdem gratię habitualis.

Sed dices, ex data solutione sequitur quod necessario est admittenda aliqua inconnaturalitas in actu quo Xphus se dis-

posuit ad gratiam, ergo poterit etiam admitti aliqua inconnaturalitas in eodem actu ut meritorio, consequentia patet a paritate, antecedens autem seu sequela probatur quia actus supernaturales ad sui connaturalem elicientiam exigunt procedere a gratia habituali, ut a forma permanenti, quo pacto habet suum connaturalem statum, sed actus quo Xptus se disposuit ad gratiam, vel procedit ab auxilio transeunti, vel si procedit ab ~~auxilio~~ gratia procedit ab illa, quatenus habet modum auxilii transeuntis, & ut non est in suo esse connaturali, ergo admittenda est aliqua inconnaturalitas in illo actu.

Respondeo negando antecedens, seu sequellam, & ad probationem distinguatur maior, exigunt procedere a gratia habituali, ut a forma permanenti, pro priori seu pro signo causalitatis dispositivae nego maiorem pro toto instanti reali concedo maiorem, & concessa minori nego consequentiam. Dicimus enim quod actus Charitatis, in sententia, quam modo supponimus, ad istam solutionem sustinendam, docente esse ex natura rei dispositionem ad gratiam duo munia habet, seu dupliciter potest considerari, & ut dispositio, & ut effectus gratiae, in genere causae efficientis, conceptus dispositionis, ipsi actui competit, pro signo pro quo gratiam praecedit, & praecedit utique gratiam prout est forma permanens, recepta connaturaliter, unde licet eidem actui prout est effectus gratiae in genere causae efficientis, debeat convenire connaturaliter supponere gratiam connaturaliter ut formam permanentem, sub conceptu dispositionis hoc non exigit, sed potius praecedere gratiam unde licet actus Charitatis pro toto instanti reali debeat procedere a gratia connaturaliter ut a forma permanenti, hoc illi non convenit pro signo causalitatis dispositivae.

Articulus VII

Vtrum Xptus Dominus meruisset de facto, vel potuisset mereri de potentia absoluta Beatitudinem essentialem?

§. I

Praenotantur aliqua, et referuntur sententiae

Procedit dubium supponendo quod anima Xpti in primo instanti in quo unita fuit corpori fuit beata, nam si supponeretur quod caruit in primo instanti tali beatitudine dubium non est quod illam meruisset. quo pacto communiter theologi supponunt Xptum Dnum potuisse de potentia absoluta suam beatitudinem essentialem mereri, eo quia potuit de potentia absoluta humanitas coniungi Verbo divino, sine aliquo habitu vel dono supernaturali. cum inter unionem humanitatis ad Verbum, et dona supernaturalia habitualia ad ordinem gratiæ expectantia nulla sit essentialis connexio, imo nec connaturalis emanatio, unde potuit etiam exornari in primo instanti gratia habituali, et non habere lumen gloriæ, nec visionem beatam

Circa præsens dubium tres circumferuntur sententiæ: Prima est negativa eam tenent aliqui Thomistæ, nempe Nazarius in præsenti controv. unic. concl. 2. Medina in præsenti ar. 2. q. 5. concl. 4. Cabrera disp. 2. §. 4. concl. 2. extra Scholam D. Th. illam videtur docere P. Vazquez. disp. 78. cap. 3.

Secunda docet non solum de possibili Xptum potuisse mereri suam beatitudinem essentialem, sed ita de facto evenisse. ita Altisiodorensis, lib. 3. tract. 1. cap. 2. Maior in 3. dist. 18. q. 2. Fasolis q. 2. ar. 3. Mairon in 3. dist. 17. q. 1. et hanc esse probabilem docet Albertus in 3. dist. 18. ar. 4. licet oppositam esse probabiliorem affirmet.

Tertia, et vera sententia docet id potuisse fieri de potentia absoluta, negat tamen contigisse de facto. ita. Vincentius de Gratia Xpti q. 5. ar. 3. et fere omnes Thomistæ. et expresse Ill. Godoi disp. 51. § 6. et est communis in Subtili Schola. et eam docent quam plures ex Societate.

§. II

Statuitur prima conclusio

Sit prima conclusio: Xptus non meruit de facto essentialem animæ beatitudinem.

Probatur. quia Xptus de facto non meruit lumen gloriæ, sed ad lumen sequitur

connaturaliter Visio beata, in qua utique consistit essentialiter formalis beatitudo, ut modo supponimus ex tract. de Beatitudine, ergo, non meruit de facto essentialem animæ beatitudinem. probatur maior. quia lumen gloriæ sequitur connaturaliter gratiam consumatam cuius est passio. Sed gratiam habitualem non meruit Xphus, ergo nec lumen.

Secundo probatur conclusio: quia ut docet D. Th. 3 p. q. 19. ar. 3. in corp. ut Xphus mereretur essentialem animæ beatitudinem erat necessarium quod illa aliquando caruisset; sed ut ibidem docet D. Th. talis carentia in Xpho non fuit pro aliquo instanti, ex eo quia carentia ista pro aliquo instanti magis derogat, quam acrescat perfectionis, ergo illam non meruit. Verba D. Thomæ sunt sequentia: * Quia autem omnis perfectio, & nobilitas Xpho est attribuenda consequens est quod ipse per meritum habuerit illud, quod alij per meritum habent, nisi sit tale quid, cuius carentia magis dignitati Xphi, & perfectioni præiudicet quam per meritum accrescat, unde nec gratiam, nec scientiam, nec beatitudinem animæ, nec divinitatem meruit, quia cum meritum non sit nisi quod nondum habetur, oporteret quod istis aliquando Xphus caruisset, quibus carere magis diminuit dignitatem Xphi quam augeat meritum. *

§. III

Solvuntur replicae

Replicabis & dices maiorem esse falsam. eo quia non est de ratione meriti quod præmium præcedat tempore. ut patet, & instatur in merito augmenti habitus Charitatis, in vi actus intensioris, quod augmentum existit & datur in eodem instanti in quo datur, & existit actus intensior meritorius.

Respondeo quod est duplex genus meriti, aliud quod secum importat conditionem oppositam, & incompossibilem cum præmio, aliud quod talem oppositionem non habet. meritum autem augmenti Charitatis non habet conditiones oppositas, & incompatibiles cum præmio, unde solum cum prioritate naturæ, potest utrumque in eodem instanti coexistere, meritum autem beatitudinis essentialis importat conditiones oppositas & incompatibiles cum eadem beatitudine, eo quia meritum hoc, exigit regulariter per fidem, quæ simul cum lumine gloriæ, & clara Dei visione existere nequit.

Replicabis primo quod propositio assumpta in maiori sumitur ab Angelico Magistro universaliter quando quidem illam assumit ad probandum non meruisse gratiam habitualem scientiam, & alia dona, atqui meritum gratiæ habitualis licet potat procedere a fide, non tamen habet conditiones oppositas cum præmio, in eodem instanti, quandoquidem augmentum quod utique est præmium simul datur cum merito, ergo si universaliter sumpta non convincit, absolute non convincit. & nequit habere locum distinctio data.

Replicabis secundo, & dices quod D. Th. quodlib. 9 ar. 8. docet, Angelum in primo instanti fuisse beatum, & simul suam beatitudinem essentialem meruisse, eo* quia (verba sunt D. Th.) licet in his, quę successive fiunt, prius sit fieri, quam factum esse; in his tamen, quę fiunt subito, simul tempore est fieri, & factum esse, cum sola prioritate naturę* ergo sentit Angelicus Magister quod meritum essentialis beatitudinis non habet conditiones oppositas & incompatibiles cum eadem essentiali beatitudine, ut pręmio, ergo est quia distinctio data, est inanis & vacua, cum non debeat limitari illa universalis propositio.

Respondeo ad primam replicam, quod D. Th. 2. 2. q. 29. ar. 6. docet expresse meritum posse aliquando simul tempore existere cum pręmio, solummodo stante prioritate naturę, ~~[illegible]~~ ut patet in merito augmenti Charitatis, unde si in q. 19. 3 partis ar. 3. citato docet quod Xphus non meruit beatitudinem essentialem, eo quia esset necessarium quod illa aliquando caruisset, ubi videtur loqui universaliter, ne dicamus D. Thomam sibi ipsi esse contrarium, dicendum est quod in q. 19. tertię partis explicari debet de merito non habente conditiones oppositas & incompatibiles cum pręmio. quia in hac quęstione explicandus est D. Thomas iuxta subiectam materiam, & cum meritum Xpti in primo instanti habeat conditiones oppositas & incompatibiles, cum pręmio, videlicet cum beatitudine essentiali animę, eo quia beatitudo ista ut pręmium, debebat respicere meritum regulatum fide, ideo D. Th. docet quod ut Xphus illam meruisset debebat carere illa, quod cum accidat inde est quod beatitudinem essentialem animę non meretur.

Nec valet dicere quod in hac q. 19. ubi habet istam propositionem, videlicet meritum non est, nisi illius quod nondum habetur, docet ex eadem propositione, quod Xphus non meruit gratiam, & gratia ut pręmium potest respicere meritum existens in eodem instanti cum merito ut patet in augmento gratię, & Charitatis in iustis viatoribus.

Non inquam id obstat, quia etiam respectu gratię, quam habuit Xphus, non potuit suum meritum extendi, ex eo quia gratia consumata, qualis est illa, quam habuit Xphus in primo instanti, etiam debet respicere meritum regulatum per fidem, eo quia gratia consumata, habet connexionem cum lumine glorię, & et cum eius passione unde ut illam posset mereri Xphus debebat illa carere, vel dicere quod principium meriti potest cadere sub merito. & cum istud supponatur a D. Th. ut impossibile, ideo docet in tali quest. 19. quod ut mereretur gratiam, debebat illa carere.

Ad secundam replicam respondeo cum Ferrariensi 3. contra g. cap. 150. & cum M. Bañez 1. p. q. 62. ar. 9. & q. 63. ar. 6. D. Thomam in citato quodlib. 9. ar. 8.

loquutum fuisse non in sententia propria, sed ex sententia aliorum quę tunc temporis erat frequentior. pro cuius intelligentia notandum est quod D. Th. in hoc quodlibeto citato, inquirit: utrum Angeli suam beatitudinem meruissent? Circa quod refert tres sententias.

Prima asserebat Angelos in primo instanti suę creationis fuisse beatos. Secunda asserebat Angelos fuisse in gratia creatos, & perseverantes in illa beatitudinem meruisse. quę secunda sententia est Angelici Magistri. tertia sententia asserebat Angelos fuisse conditos in puris naturalibus & conversis ad Verbum, simul collatam fuisse beatitudinem, & gratiam. pro cuius sententię defensione refert tres modos dicendi, & solum approbat tertium quem in obiectione adduximus. & hoc ex suppositione tertię sententię. quam non sequitur D. Thomas. cum doceat secundam.

Nec valet dicere quod D. Thomas adminus admittit ut probabile meritum in Angelis respectu beatitudinis essentialis simul extitisse cum eadem beatitudine, ergo saltem ut probabile admitti debet in Xpto tale meritum.

Non inquam id valet, quia D. Thomas non admittit ut probabile absolute meritum beatitudinis essentialis posse esse simul cum ęterna beatitudine, sed solum ut probabile ex suppositione veritatis tertię sententię. unde in hac hypotesi non probaretur nostra supra stabilita conclusio ex illa ratione, sed ex eo quia principium meriti non potest cadere sub meritum vel ex alio capite.

§. IV.

Statuitur secunda conclusio.

Sit secunda conclusio: Potuit Xp̃tus D̃nus. etiam supposito quod in primo instanti fuerit beatus, ut revera de facto fuit, mereri de condigno attenta potentia absoluta Dei, essentialem animę beatitudinem.

Est hęc conclusio inter Theologos frequentior, et probatur quia ut ex notabilibus constat Xp̃tus Dominus absolute attenta potentia absoluta potuit mereri essentialem animę beatitudinem non habitam in primo instanti; Sed coexistentia eiusdem essentialis animę beatitudinis in primo instanti cum merito eiusdem non repugnat essentialiter, ergo etiam existente essentiali animę beatitudine in primo instanti potuit Xp̃tus de potentia absoluta illam mereri de condigno. Minor probatur primo ex eo quod de facto accidit in augmento gratię et Charitatis, dato in pręmium meriti actus intensioris Charitatis, quod augmentum existit in eodem instanti, in quo existit pręmium.

Secundo probatur eadem minor ratione quia potuit Deus in alia serie decretorum, et in alia providentia uno decreto decernere gratiam habitualem Xp̃ti ita ut mediante illa eliceret actum Dilectionis Dei, regulatum utique scientia infusa, et altero decreto decernere visionem beatam existentem in eodem primo instanti, quę esset pręmium illius dilectionis elicitę pro signo priori, Sed hoc duplici decreto admisso posset Xp̃tus suam beatitudinem essentialem mereri ergo coexistentia beatitudinis essentialis cum merito non repugnat essentialiter. maior videtur nota cum non sit repugnantia in illis duobus decretis. minor autem etiam est nota, quia in illa hypothesi actus Charitatis non dependeret a visione beata et alias talis esset esset meritorius beatitudinis essentialis, haberet utique proportionem cum illa et illam precederet prioritate naturę

Denique suadetur conclusio, ex eo quia non implicat contradictionem Xp̃tum mereri de condigno beatitudinem essentialem animę habitam in primo instanti, S. solum quod repugnat non potest fieri de potentia absoluta, ergo potuit Xp̃tus mereri beatitudinem essentialem animę habitam a principio. maior constabit ex solutione argumentorum.

§. V.

Solvuntur argumenta.

Obiicies Status beatitudinis est ineptus ad meritum, ergo Xp̃tus mereri non potuit beatitudinem essentialem habitam in primo instanti. probatur antecedens, operationes Beatorum potius sunt beatitudinis fructus, quam beatitudinis merita. Sed operationes quę fiunt in instanti in quo existit beatitudo sunt operationes factę in statu beatitudinis ergo sunt ineptę ad meritum.

Respondeo distinguendo antecedens status beatitudis est ineptus ad meritum, pro signo pro quo intelligitur beatitudo concedo antecedens, pro signo priori in quo non intelligitur nego antecedens & consequentiam. & iuxta hanc solutionem distinguo maiorem operationes beatorum potius sunt beatitudinis fructus quam merita, operationes quae fiunt supponendo visionem beatam pro regula concedo maiorem, quae fiunt pro priori ad visionem & regulantur alia cognitione a beatifica nego maiorem, & distinguo minorem sed operationes, quae fiunt in instanti in quo existit beatitudo sunt operationes factae in statu beatitudinis, quae fiunt pro signo beatitudinis, vel consequenter ad beatitudinem concedo minorem, quae fiunt pro priori nego minorem, & consequentiam.

Obiicies secundo implicat quod Christus mereatur beatitudinem per opera supponentia beatitudinem ut principium, alias principium meriti caderet sub merito, sed omnes operationes animae Christi beatae oriuntur a visione ut a principio. ergo non possunt visionem seu beatitudinem essentialem mereri.

Respondeo concessa maiori, distinguendo minorem, de facto, concedo minorem, de possibili nego minorem quia potuit Christus elicere dilectionem non supponentem pro regula visionem beatam, sed cognitionem scientiae infusae.

Obiicies tertio implicat dilectio in Christo coexistens in eodem instanti cum visione beata non regulata per ipsam, sed actus regulatus visione beata, cum illam ut principium supponat mereri visionem non potest, ergo implicat Christum in primo instanti esse beatum, & beatitudinem mereri. probatur maior dilectio coexistens cum visione non potest non regulari per ipsam. ergo. probatur antecedens, non potest talis dilectio regulari per fidem, cum fides & visio beata in suis principiis sint essentialiter incomponibiles simul. non potest regulari a scientia infusa, cum scientia infusa subsequatur ad scientiam beatam ut passio, ergo dilectio coexistens cum visione non potest non regulari per ipsam.

Respondeo negando maiorem, & ad probationem nego antecedens. & ad probationem respondeo quod regulatur a cognitione scientiae infusae, quia etsi connaturaliter scientia infusa supponat scientiam beatam, tamen essentialiter non dependet ab ipsa, unde de potentia absoluta illam potest Deus infundere pro priori ad scientiam beatam.

Denique obiicies implicat subiectum esse in termino, & moveri ad ipsum, sed visio beata est terminus, & meritum illius est motus. ergo implicat Christum esse beatum, & beatitudinem mereri.

Respondeo instando in augmento gratiae & caritatis dato in eodem instanti in quo existit meritum actus intensioris.... Secundo respondeo distinguendo maiorem & illam concedo de motu successivo. nego autem illam de motu instantaneo, in quo est simul fieri, & factum esse,

Articulus VIII

Vtrum Xptus Dominus meruisset de condigno gloriam corporis, suique nominis exaltationem?

§ I

Statuitur conclusio affirmativa

Sit conclusio: Xptus Dominus meruit de condigno gloriam sui corporis, & sui nominis exaltationem. ita expresse D. Th. 3. p. q. 19. ar. 3. in corpore. & cum eo omnes Theologi. & in eo gradu certitudinis, ut oppositum censeatur hæreticum.

Probatur conclusio quo ad primam partem ex Sacra pagina. primo ex illo Lucæ cap. 24 * Non ne hæc oportuit Xptum pati, & ita intrare in gloriam suam? * Corporis scilicet, quia beatitudinem essentialem animæ habuit a primo conceptionis instanti. Secundo probatur. ex illo ad Heb. 2 * Videmus Jesum: propter passionem mortis, gloria, & honore coronatum: * Tertio probatur ex illo ad Ephesios. 4. * Quod autem ascendit, quid est, nisi quia descendit primum in inferiores partes terræ * in quibus verbis ascensio in cælum tribuitur descensui per humilitatem. & in secundo testimonio ly propter, causalitatem utique moralem designat.

Secunda autem pars, probatur ex illo ad Philipenses 2. * Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen * ubi similiter ly propter designat causam meritoriam... quo circa D. Aug. tract. 109. in Joann. exponens hunc locum Apostoli ait: * Humilitas claritatis, est meritum: Claritas, humilitatis, est præmium: * Secundo probatur ex illo Joann. 17. ubi loquendo Xptus cum Æterno Patre, ait: * Ego te clarificavi super terram, opus consumavi, quod dedisti mihi ut faciam, & nunc clarifica me tu Pater. * quæ oratio non potuit non esse meritoria, cum habeat omnes conditiones ad meritum exactas. unde ut dicit Joann. 12. Xpto sic oranti responsum fuit * Ego te clarificavi, & iterum clarificabo. * ergo claritas, & nominis exaltatio fuit præmium meritorum Xpti.

Ratione probatur prima conclusionis pars. quæ desumitur ex D. Th. loco citato. primo quia gloriam corporis ab initio non habuit, ut daretur locus redemptioni exequendæ per passionem, & mortem. ergo illam meruit. Secundo. quia dignius est aliquid habere ex merito, quam sine illo, si alias carentia illius non magis præjudicat, quam accrescat dignitatis meritum, ergo idem.

Vtraque pars ratione probatur; quia operationibus Xpti Domino nulla ex conditionibus ad meritum exactis deficit in ordine ad gloriam sui corporis. & sui nominis exaltationem, ergo utrumque meruit utique de condigno, cum eius meritum sit infiniti valoris.

§. III.

Solvuntur argumenta.

Contrariam sententiam huic nostrę conclusioni docuit Catherinus lib. 2 Institutionum cap. 17. §. 6. a cuius sententia parum distat Guillelmus de Rubion in 3. dist. 18. ubi licet non neget absolute Xphum sibi meruisse sui nominis exaltationem docet tamen esse rem incertam, & dubiam. unde docet non esse simpliciter affirmandum.

Fundamentum Chatherini sumitur ex eo quod in Scriptura assignatur pro causa unica, & adęquata adventus Xpti Salus nostra, & redemptio generis humani ut patet ex illo Ioann. 3. * Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Vnigenitum daret: * & Ioann. 17. & pro illis sanctifico me ipsum: * & ad Romanos 8. * Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: * & Isaię 9. Puer natus est nobis. & Filius datus est nobis, * & Zacharię 9. * Ecce Rex tuus venit tibi. * & alia quam plura, ut late dictum est supra disp. 3. de Incarnationis motivo. §. II. ubi ex Scriptura & PP. est late manifestum.

Ex hoc ergo fundamento sic obiicies cum Catherino. Adęquatus finis meritorum Xpti fuit Salus, & redemptio nostra, ergo Salus & redemptio nostra fuit adęquatum pręmium meritorum Xpti, & per consequens nihil sibi meruit. antecedens probatur, idem est finis meritorum Xpti, atque illius adventus in carne passibili, & mortali; sed finis adventus Xpti in carne mortali fuit Salus, & redemptio nostra. ergo, & nostra Salus & redemptio est adęquatus finis meritorum Xpti. minor constat ex dictis supra disp. 3. citata. §. 2.

Confirmatur primo

Si Xpthus aliquid sibi per passionem, & mortem meruisset, magis pro se, quam pro nobis, & propter nostram salutem esset factus homo, consequens non debet admitti cum sit contra Sacras litteras. ergo nihil sibi meruit. Sequella probatur ex Cyrillo lib. 3 Thesauri cap. 2. ubi contra Arrianos asserentes Xphum fuisse exaltatum, oleo exultationis unctum, & donatum illi nomem quod est super omne nomen, quia per mortem fuit humiliatus, & ex hoc inferentes non esse per naturam Deum, sed fuisse mutatum & factum. Sic arguit Cyrillus, per hęc verba: * Quando igitur fuit factus homo, tunc fuisse nomen sibi donatum scribitur, Nunc igitur ante Incarnationem huius modi non fuit? nam si fuit huius modi superfluum est dicere postea ipsum accepisse.

Si vero non fuit talis nec acceperat hæc mutatus, profecto cum acceperat est. Quid igitur erat secundum vos antequam hæc acciperet? Sed si hæc factus homo accepit et homo sapientia certe, & virtus Patris, & Veritas, & lumen de lumine, & ita imago Patris semper fuit, & semper est. nam si hæc quoque ante humiliationem non habebit, videant quæso quomodo rerum omnium ordo per summam impietatem convertatur? Scriptura namque divina Incarnationem Filij hominis factam prædicant ad restitutionem totius generis humani; Sin vere (ut ipsi dicunt) exaltatus post Incarnationem est Filius Dei, & factus sublimis, quod antea non habebat, pro se magis Incarnatus esset, quam pro hominibus, sibi enim magis secundum vos profecit, quam hominibus: ita non pro nostra salute magis quam pro se exaltatur, nomenque maximum assequeretur, homo factus esset; quomodo igitur Prophetæ, & Apostoli Salvatorem nostrum appellant, si sibi magis, quam nobis profuerit? vel quomodo pro nobis mortuus est, si ea pro morte Deus ipse, ac Filius Dei est appellatus.*

Hucusque modo Cyrillus. ex quibus habetur quod iste sanctus Pater docet quod si ~~[illegible]~~ non esse, sed ex meritis, videlicet propter passionem & mortem suam Xptus accepisset nomen Filij Dei, non tam propter nos quam propter se ipsum venisset in mundum, & propter suam utilitatem, quod ut notat iste sanctus Pater contradicit Scripturis.

Similia docet Anselmus lib. 1. Cur Deus homo cap. 9. ad illud Pauli Humiliavit se met ipsum etc.[a]

Confirmatur secundo quia si Xptus aliquid sibi meruisset Charitas Xpti erga homines non esset maxima eo quia quæreret ex merito suam utilitatem.

Respondeo ad fundamentum Catharini distinguendo antecedens: adæquatus finis meritorum Xpti fuit salus, & redemptio nostra, primarius & per se intentus concedo, secundarius, & occasionatus nego. & consequentiam. & ad probationem distinguatur antecedens eadem distinctione, etenim Christus ut nobis mereretur redemptionem, quæ utique fit finis primario intentus prædestinatus fuit passibilis, & proinde sine gloria corporis, unde, primario fine adepto, debebat glorificari in corpore & per consequens occasionaliter meruit gloriam sui corporis

Quod parificatur in Angelis quibus meruit illuminationes & gaudia accidentalia ut fatentur omnes theologi unde & quod ipsis meruit ~~[illegible]~~ gratiam, & gloriam, multi probabiliter docent, cum hac tamen differentia. quod hominibus ista meruit per se, Angelis quasi occasionaliter

Ad primam Confirmationem negatur maior, & ad probationem admissa authoritate S. Cyrilli negatur Consequentia quia in casu quod Xphus non esset naturaliter, sed ex meritis Deus, nulla esset ratio cur primo, & per se non esset factus homo cosfine, ut divinitatem acciperet, unde bene argumentatur Cyrillus, at in casu nostro, opposita de causa oppositum accidit, etenim Caruit gloria Corporis ut nos redimeret, unde redemptio nostra fuit finis primo intentus, & hoc fine adepto, occasionaliter debuit gloriam sui Corporis ex meritis habere. & idem dicatur ad authoritatem Anselmi

Denique obicies Xphus non meruit gloriam essentialem animae, ergo neque gloriam corporis. Consequentia probatur quia ista sequitur ad illam ut passio ad essentiam.

Respondeo concesso antecedenti nego consequentiam, et ad probationem distinguo propositionem, quando utraque simul ponitur transeat, seu concedo, quando una sine altera existit nego, tunc enim dicitur quod quae non habetur merito consequatur.

Dices gloria corporis sequeretur in Xpho in primo instanti suae conceptionis, nisi impediretur a Deo ne sequeretur ut daretur locus passioni, ergo Xphus solum meruit ablationem illius impedimenti & non gloriam corporis, cum ista illo impedimento ablato connaturaliter sequatur.

Respondetur quod haec replica quae convincitur Scotus ad asserendum Xphum non directe, sed indirecte gloriam sui Corporis meruisse, ut docet in 3. dist. 18. q. unica, non convincit, cum illud impedimentum nihil aliud possit esse nisi denegatio concursus divini, ne sequatur gloria, & idem est mereri directe quod Deus ponat concursum quo sequatur gloria Corporis, ac mereri gloriam corporis

Articulus. IX

Vtrum Xptus nobis meruisset omnes effectus praedestinationis?

§. 1

Statuitur conclusio affirmativa

Sit nostra conclusio affirmativa. unde affirmamus Xptum nobis meruisse gloriam, gratiam, auxilia supernaturalia, dispositiones proximas, & remotas ad gratiam, imo, & bona temporalia, quatenus ordinantur ad finem supernaturalem, & quidquid conducit aliquomodo ad nostram praedestinationem exequendam.

Est communis Theologorum, & probatur primo ex illo Pauli ad Ephes. 1. * Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu-Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Xpto: * ubi ut notat, & explicat D. Thomas cum D Ambrosio, & cum alijs SS. Patribus, tum Latinis, tum Grecis particula in equivalet particulae per, unde manifeste denotat causalitem moralem. Sicut similiter quando in eodem capite dicit Apostolus * Gratificavit nos in dilecto filio suo * idem sonat ac si diceret gratificavit nos per dilectum filium suum., & quando dicit * in quo habemus redemptionem * idem est, ac dicere * per quem habemus redemptionem *

Ex quibus verbis Apostoli sic formatur ratio pro nostra conclusione: iuxta Apostolum Deus donavit nobis per meritum Xpti omnem spiritualem benedictionem, Sed omnis, & quilibet effectus nostrae praedestinationis, omneque donum supernaturale quod nobis confertur est spiritualis benedictio; ergo Xptus nobis meruit omnia bona & dona supernaturalia, & omnes effectus nostrae praedestinationis.

Confirmatur ex illo Joann 1. * De plenitudine eius omnes accepimus, & gratiam pro gratia * ubi ut ibidem observat D. Chrisost. hom. 16, & D. Aug. tract. 3. in Joann. significatur quod bona omnia supernaturalia donantur nobis per Xptum, quod manifeste convincitur, ex illa phrasi * gratiam pro gratia: * quia iuxta phrasim hebraicam illa verba significant omnem gratiam a prima, usque ad ultimam esse per Xptum. ut patet ex illo Job: * Pellem pro pelle dabit pro anima sua: * idest omnem pellem. ac si diceret quod a primo bono quantumvis pretioso permitteret se expoliari ut animam servet.

Confirmatur secundo ex Tridentino, qui sessione 6. de iustificatione cap. 5. ubi docet Xptum esse causam meritoriam nostræ prædestinationis. & deinde. cap. 16 Xptus comparatur, quo ad influxum quem in nos habet, capiti relate ad membra, & viti ad palmites. per hæc verba: * Xptus Jesus tamquam caput in membra, & tamquam vitis in palmes in ipsos iustificatos iugiter virtutem influit: * sed palmes omne quod habet, habet dependenter a vite, sicut & membra ab influxu, & directione capitis, ergo pariter omne bonum supernaturale quod est nobis, est per meritum Xpti

Secundo probatur conclusio: Xptus nobis meruit, quidquid Adamus demeruit, sed Adamus nobis demeruit carentiam omnium effectuum prædestinationis, ergo Xptus nobis meruit omnes effectus prædestinationis. maior patet, alias non superabundaret gratia Xpti Salvatoris, ubi abundavit delictum.

Denique suadetur conclusio ratione quia Xpto attribuendum est, quidquid excellentiæ, & dignitatis est, nisi vel in re repugnet, vel non compatiatur cum munere Redemptoris, vel oppositum sit revelatum, sed Xptum efficienter moraliter causare, & nobis mereri omnes effectus prædestinationis non repugnat, & alias tantum abest quod oppositum sit revelatum quod potius tale meritum colligitur manifeste ex testimonijs sacræ paginæ, & simul est hoc valde proprium muneris Redemptoris, ergo dicendum est Xptum nobis meruisse omnes effectus prædestinationis.

Confirmatur meritum Xpti fuit infiniti valoris, ergo potuit se extendere ad ad omnia dona, & bona supernaturalia nobis conferenda, & ad omnes effectus prædestinationis, & aliunde cum muneri Redemptoris sit valde congruum suum meritum ordinare ad omnia quæ expectant ad nostram redemptionem, ergo nulla ratione potest negari quod Xptus nobis meruisset omnes effectus prædestinationis.

§. II

Solvuntur argumenta

Obiicies primo: Si Xptus nobis meruisset gratiam, fidem, & omnia dona supernaturalia, seu omnes effectus prædestinationis, illa non darentur nobis a Deo gratis, sed ex iustitia, unde, & gratia non esset gratia, sed hoc non potest dici, ergo nec illud ex quo sequitur. Sequella maioris videtur nota, quia quod datur titulo meriti, datur ut præmium, & merces, sed quod confertur ut merces, non datur gratis, sed titulo iustitiæ, ut patet ex illo Pauli ad Romanos 4. * ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum: * minor est etiam nota, iuxta illud Pauli ad Rom. 3.

iustificati gratis per gratiam ipsius: unde D. Aug. lib. de Prędest. SS. cap 15 loquendo de fide qua Christiani sumus, ait: * ea gratia ab initio fidei suę fit homo quicumque Christianus, qua homo ille ab initio factus est Xphus:* sed Xphus ut ex supradictis constat non meruit suam Incarnationem unde ex sola Dei voluntate fuit Verbum factum homo, ergo etiam nos unice ex sola eâdem voluntate Dei facti sumus Christiani, idest credentes in Xphum, unde fides quę ad iustificationem operatur, & omnia dona ad prędestinationem conducentia nobis donantur non ex meritis Xphi sed ex sola voluntate Dei.

Respondeo distinguendo maiorem seu primam sequellam gratia, & alia dona, non darentur nobis gratis, per respectum ad Xphum concedo. relate ad nos, nego, dantur enim nobis sine nostris meritis, unde gratis dantur, & proinde gratia, vere, & rigorose est gratia. & per hoc patet solutio ad textus sacrę paginę quibus minor probatur, iustificamur enim gratis per gratiam ipsius, cum merita ex parte nostra non presupponantur.

Iuxta quam solutionem intelligendus venit Augustinus loco citato. nimirum. quod sicut ex parte nostra non supponitur aliquod nostrum meritum ut a principio facti simus Xphiani, sed hanc gratiam nobis liberaliter confert Deus, ita ex parte Xphi nullum meritum presupponitur ut a principio sit Filius Dei homo ille Xphus. agebat enim D. Augustinus, contra Pelagianos, qui docebant nos posse credere, & iustificari ex viribus liberi arbitrij. unde dicit quod sicut Xphus factus fuit gratis homo Deus, ita nos facti sumus Xphiani gratis, hoc est sine nostris meritis.

Obiices secundo si Xphus nobis meruisset omnes effectus prędestinationis. nobis meruisset auxilia sufficientia reprobis, & prędestinatis communia, sed ista nobis non meruit, nec ista auxilia sunt premium meritorum Xphi. ergo nobis non meruit omnes effectus prędestinationis. sequella maioris est nota cum auxilia sufficientia reprobis, & prędestinatis communia sint effectus prędestinationis, ut comuniter docetur a Thomistis. 1. p. ad tractatum de Prędestinatione, probatur minor. Auxilia illa sufficientia reprobis. & prędestinatis communia sunt effectus voluntatis antecedentis, & generalis Dei, quia Deus vult omnes homines salvos facere, sed hęc voluntas premium meritorum Xphi non fuit, nec illa voluntas cadit sub merito Xphi, ergo nec auxilia sufficientia reprobis, & prędestinatis, communia sunt premium meritorum Xphi. maior est certa quia ex vi illius voluntatis Deus ordinavit homines sufficienter ad gloriam. ergo ex vi illius voluntatis preparavit auxilia sufficientia ad glorię consecutionem.

Minor vero probatur. quia Voluntas illa est voluntas prior decreto intentivo mittendi Xptum et est principium meriti Xpti Domini, Sed principium meriti non cadit sub merito ergo illa voluntas generalis & communis premium meritorum Xpti non fuit. probatur maior, quia Xptus fuit intentus ut Redemptor. & proinde ex intentione perducendi homines ad vitam æternam, unde & decretum intentivum Xpti supponit decretum peccati Adami alias veniret Xptus Adamo non peccante.

Respondeo dupliciter ad hoc argumentum. primo concessa maiori, negando minorem, & similiter ad eius probationem concedo maiorem, & nego minorem, & ad probationem nego maiorem, decretum enim intentivum Xpti fuit prius ingenua causa findis omni alio decreto, unde mediante decreto intentivo Xpti, Deus habuit voluntatem generalem salvandi homines, & voluntatem specialem erga aliquos, unde fuit mota voluntas divina ex meritis Xpti.

Secundo respondeo ut supra, concessa maiori, negando minorem, & ad eius probationem distinguo maiorem auxilia sufficientia reprobis, & prædestinatis, communia sunt effectus voluntatis antecedentis, intentivæ immediate nego maiorem; mediate, concedo maiorem, & prætermissa minori nego consequentiam. Cæterum sicut gloria præparata efficaciter electis supponit duo decreta, quorum unum est intentivum, & executivum aliud, & auxilia efficaciter conducentia ad gloriam sunt effectus decreti intivi mediate, & decreti executivi immediate, ita similiter circa gloriam ut sufficienter omnibus præparatam distinguenda sunt duo decretum, nempe intentivum inefficax, & executivum, etiam inefficax; auxilia ergo illa sufficientia reprobis, & prædestinatis communia sunt effecti decreti intentivi inefficaciter, mediate, & sunt effectus immediate decreti executivi, & inter hæc duo decreta mediat decretum intentivum efficaciter Xpti ut Redemptoris. ita ut decretum intentivum Xpti oriatur ex decreto intentivo salvandi omnes, & ex decreto intentivo Xpti, & executivo eiusdem oriatur decretum executivum gloriæ, quod decretum erga omnes est inefficax, & erga electos, efficax.

Obiicies tertio. applicatio Baptismi, est effectus prædestinationis, Sed applicatio Baptismi non est premium meritorum Xpti, ergo Xptus non meruit omnes effectus prædestinationis, maior supponitur ex tract. de Prædest. & quia est bonum spirituale & supernaturale efficaciter conducens ad prædestinationis effectus, nimirum ad gratiam, & gloriam. probatur minor ex D. Th. in hac. 3. p. q. 19 ar. 4. ad 3. quod erat tale: * Merces, quam quis meretur, debetur secundum iustitiam, & non secundum gratiam, si ergo Xptus meruit salutem nostram, sequitur quod salus nostra non sit ex gratia Dei, sed ex iustitia, & quod iniuste agat cum eis, quos non salvat cum meritum Xpti ad omnes se extendat: * Cui argumento sic respondet D. Th.

Ad tertium dicendum, quod sicut peccatum Adę non derivatur in alios, nisi per carnalem generationem: ita meritum Xpti non derivatur in alios, nisi per generationem spiritualem quę fit in Baptismo, per quam homines in Xpto incorporantur, secundum illud ad Galatas 4. Omnes quotquot in Xpto baptizati estis, Xptum induistis, & hoc ipsum est gratię, quod homini conceditur regenerari in Xpto, & sic salus hominis est ex gratia. * hęc D. Th. ex quibus sic formatur argumentum: ergo iuxta D Thomam applicatio Baptismi, & regenerari in Xpto, non est pręmium meritorum Xpti. patet consequentia cum docet esse meram gratiam unde sequitur quod sit gratia & relate ad nos, & relate ad Christum.

Respondeo quod merita Xpti dupliciter fuerunt ab ipso applicata, primo quo ad sufficientiam pro omnibus, secundo quo ad efficaciam, & efficientiam, & hoc modo adhuc dupliciter uno modo quoad efficaciam & efficientiam inquantum est liberare aliquando a culpa, alio modo quo ad efficaciam inquantum non solum liberat a culpa, sed etiam gratiam quam conferunt coniungenda est cum gloria. Quando ergo D. Thomas docet quod applicatio Baptismi est gratię Dei per exclusionem iustitię respectu Xpti, intelligitur comparatione facta cum Xpto ut applicante sua merita quo ad sufficientiam pro omnibus, etenim ex vi huius applicationis, non est debita omnibus applicatio Baptismi, & sic quibus negatur iustissime negatur ut beneficium indebitum, quod suo occultissimo iudicio non concedit aliquibus, non autem negat D Thomas quod applicatio baptismi, quę in effectu & efficaciter exercetur in Ecclesia Dei non sit pręmium meritorum Xpti. & proinde Xptus meruit etiam istum effectum prędestinationis.

Quod autem hęc sit mens D. Thomę constat tum quia intendebat ostendere quod sine ulla iniustitia aliquibus negatur salus quę in Baptismo confertur ad quod sufficit quod in Ecclesia sit pro omnibus a Christo preparatus Baptismus, quę preparatio ponitur ex vi generalis intentionis. Unde actualis applicatio non debetur ex iustitia, licet ex vi intentionis specialis Xpti erga electos, ipsis debeatur applicatio baptismi.

Tum etiam suadetur quod hęc sit mens D. Thomę, quia in q. 29 de Verit. ar. 7. ad 8. ait: * ad octavum dicendum quod meritum Xpti sufficienter operatur, ut quędam causa universalis salutis humanę, sed oportet hanc causam applicari singulis per sacramenta, & per fidem formatam, quę per dilectionem operatur, & ideo requiritur aliquid aliud ad salutem nostram preter meritum Xpti, cuius tamen meritum Xpti est causa.* unde omne bonum quod per meritum Xpti hominibus applicatur est effectus meritorum Xpti.

Denique obiicies iustificatio non est effectus prędestinationis, sed iustificatio non est premium meritorum Xpti, ergo omnes effectus prędestinationis non sunt premium meritorum Xpti. maior supponitur, & minor probatur ex illo Pauli ad Rom. 4. * Traditus est propter delicta nostra, resurrexit propter iustificationem nostram. * ergo iustificatio nostra provenit ex resurrectione Xpti. tunc sic sed in resurrectione non meruit, ergo iustificatio nostra non est effectus, seu premium meritorum Xpti.

Respondetur negando minorem, & ad probationem dicimus quod resurrectio Xpti est causa effectiva & exemplaris iustificationis, & resurrectionis mortuorum, sed non causa meritoria. passio Xpti autem est causa meritoria iustificationis iustorum. ut docet D. Th. in hac 3. q. 56. ar. 2. ad 4.

Disputant in presenti aliqui an Xptus meruisset gratiam & gloriam Angelis. sed de hoc iam dictum est supra in tract. de Gratia Xpti. disp. 10. ar. 3. § 4.

Dicta sufficiant pro presenti tractatu, & omnia in laudem Verbi Incarnati Beatissimę Virginis Marię, & D. Thomę Aquinatis cedant, a cuius doctrina non discedere concupivi. & siquid contra eam dictum fuerit ex corde retracto. Similiter si aliquid dictum fuerit (quod omnino absit) contra fidem catholicam, corde & animo libentissime retracto, & pro non dicto haberi cupio, & desidero.

Et omnia Correctioni Sanctę Romanae Ecclesię subiicio.

TRACTATVS

SEPTIMVS.

DE

TRACTATUS

SEPTIMUS

DE SERVITUTE, ORATIONE, SACERDOTIO, ET REGIA POTESTATE XPTI

a Q. 20. usque ad. 22.

DISPUTAIO VIGESSIMA QUINTA

(quinta)

DE CONVENIENTIBUS CHRISTO RELATE AD PATREM

Articulus. 1.

Utrum Xptus ut homo sit vere, et proprie Servus Dei?

§. 1.

Praenotantur aliqua

Notandum est primo Servitutem aliam esse naturalem; Legalem aliam; naturalis in natura fundatur, et est illa, qua aliquis ratione productionis est alteri inferior, et subiectus, et tenetur illi obedire, et obsequium praestare; quo genere servitutis filius est subiectus Patri, et quelibet creatura Deo ut creatori, unde Deus ratione Creationis est cuiuslibet creaturę Dominus, et potest facere de illa, et per illam, quidquid voluerit, et si creatura est intellectualis Deo tenetur subiici, et suis praeceptis obedire;

Servitus autem legalis, ut notat D. Aug. lib. 16, de Civitate Dei cap. 9 est illa quę non a natura, sed a lege introducta est. & est quędam pœnalis conditio eorum qui bello capti sunt, aut venditi subiciuntur coacte dominio alterius, iuxta illud D. Petri in Ep. 2 cap. 2 * A quo enim quis superatus est, huius & servus est.* & hac servitute qui peccat servus est peccati.

Notandum est secundo quod inter hęc duo genera servitutis, hoc maximum adest discrimen, quod servus servitute legali, ita est sub dominio alterius, ut cum eo neque in bonis, neque in sede, neque in honore communicet, unde Arist. 1 Politicorum cap. 3 dicit servum esse illum * qui non est gratia sui, sed alterius.* Servitus vero naturalis non excludit ius communicandi in bonis, sede, & honoribus, ut patet in Filio, qui licet sit servus sui Patris, habet ius in bonis Patris, & communicat cum illo in sede, & honoribus.

§. II.

Statuitur conclusio.

Sit conclusio: Xptus, ut homo, vere, & proprie est Servus Dei, servitute naturali; non autem est, nec potest dici Servus Dei servitute legali. Ita expresse Angelicus præceptor in hac q. 20. ar. 1 per totum. & prima pars conclusionis probatur ex illo Isaię. cap. 42. * Ecce servus meus suscipiam eum:* & cap. 53 ait * In scientia sua iustificabit ipse iustus servus meus multos * & Zacharię cap. 3 dicitur: * Adducam servum meum orientem:* Sed ista testimonia intelligi nequeunt de servitute legali, cum Xptus ut homo communicet cum Deo in sede, & honoribus, ergo intelliguntur de servitute naturali.

Secundo probatur ex Sanctis PP. Sanctus enim Athanasius serm. 3. contra Arrianos enumerans, & revocans, quasdam voces, seu prędicata quędam, videlicet, facti conditi, servi, & filij, ait:* omnes istiusmodi voces ratione humanitatis, bene, & proprie, competunt: * D. Chrisost. ad Philip. 2. homil. 7. sic ait: * Sicut in forma Dei perfectus est Deus, ita in forma servi perfectus est servus.* D. Aug. Epist. 178. prope finem, hęc habet:* in qua infirmitate humanitatis, non solum subditum, sed etiam servum, evidentissime confitemur:* Similia habet Amb. Ep. 98. Hilarius. lib. 11 de Trinit. Hieronimus super cap. 42. Isaię. ad verba citata. Cyrillus. lib. 2 thesauri. cap. 15. & communiter alij Sancti Patres.

Probatur eadem prima pars ratione desumpta ex D. Thoma. ar. 1. citato. in corp. Habenti aliquam naturam, vere, & proprie conveniunt ea quę sunt propria illius naturę

Sed Xphus vere & proprie habet naturam humanam, & est homo, ergo Xpto vere, & proprie conveniunt, quę sunt propria naturę humanę; Sed natura humana ex sui conditione, vere & proprie habet triplicem Subiectionem ad Deum, nimirum unam secundum gradum bonitatis, quę Deo convenit per essentiam, & naturę humanę per participationem; aliam quantum ad Dei potestatem, quatus est subiecta operationi divinę dispositionis, & denique tertiam quo ad operationem prout illius mandatis obtemperat, & obedit, ergo Xpto, ut homini, hęc triplex Subiectio, vere, & proprie convenit

Ulterius Servitus naturalis fundatur in dependentia quam habet Servus ad Dominum, & deinde admittit consortium & communicationem in bonis, sede, & honore, Sed Xphus homo vere & proprie habet dependentia a Deo ratione naturę humanę, quę dependet a Deo in esse fieri, & conservari, & de inde habet ratione unionis ad Verbum communicationem in bonis, sede, & honore, ergo Xphus ut homo, vere & proprie est Servus Dei.

Secunda autem pars conclusionis ex prima infertur, cum Servitus legalis non admittat convenientiam, & communicationem in bonis, sede, & honore. unde humanitas Xpti propter unionem cum Verbo eodem cultu adoratur, ac Deus. Sicut Mulier, alias Subdita Regi, Regi matrimonio coniuncta, Regina appellatur, & est. unde humanitati convenit illud Psal. 44: * Astitit Regina a dextris tuis, in vestitu deaurato, circundata varietate.

Sed notandum est quod Xphus non debet dici absolute Servus Dei, sed cum addito, videlicet inquantum homo, Sicut non simpliciter, & absolute dicitur: Creatura, Sed cum addito, idest secundum humanitatem. seu inquantum homo. quia istę denominationes convenire nequeunt Supposito Xpti nisi ratione humanitatis, unde ad evitandum errorem Arrii apponenda est particula ratione cuius dicuntur de Supposito denominationes illę. videatur D. Thomas tum in hac q. 20. ar. 1. tum supra in hac edem 3. p. q. 16. ar. 8.

§ IIII

Solvuntur argumenta

Contra primam partem conclusionis arguit Vazquez in praesenti cap. 1. quem postea alij ex sua familia sequuntur, & sumit suum fundamentum ex Concilio Francofordiensi, & Adriani Papę, qui reprehendunt Felicem Episcopum Urgelitanum, & Elipandum Archiepiscopum Toletanum, eo quod dicebant: Xptum esse Servum, & Filium adoptivum. Unde Pontifex i Epist. eidem concilio premissa editionis Coloniensis. pag. 492. colum. 2. hęc habet: * Tanta vos temeritatis dementia deludit .... Adoptivum eum Filium, quasi purum hominem calamitati humanę Subiectum (& (quod pudet dicere)

Servum eum, impij, & ingrati, tantis beneficiis, Liberatorem nostrum non pertimescitis venenosa fauce susurrare. Cur non veremini, queruli obtrectatores, Deo odibiles, illum Servum nuncupare, qui vos de servitute Diaboli liberavit? * Et deinde Concilium in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, non longe a fine, alloquens eosdem Felicem, & Elipandum hæc habet: * Intelligite in hac professione vestra duplices diabolicæ fraudis latuisse dolos.... dum & Dominum nostrum Iesum Xptum, quem Deum colimus, & adoramus, Servum prædicatis, & Adoptivum,... Considerate quale hoc Schandalum inter paganas gentes, ut dicatur Deum Xpianorum, Servum esse, vel adoptivum. Nos per illum adoptivi sumus: non ille nobiscum adoptivus, Nos per illum a servitute liberati, non ille nobiscum Sevus.

Adeo clara visa sunt Vazquezio ista testimonia, ut ipse Vazquez dixerit: damnatum esse: Xptum esse Servum. & P. Hurtado sequutus Vazquezium ausus fuit dicere sententiam negantem Christo, ut homini veram & propriam Servitutem esse definitam ab Ecclesia.

Cæterum utraque censura est temaria, trifaciter enim explicantur prædicta Pontificis, & Concilij testimonia. primo dicendo, ut revera facit, Adrianum Pontificem, & Concilium Francofordiense, cum a Xpto, ut homine relegant servitutem, loqui de servitute conveniente Xpto ratione personæ, & multiplicante in Xpto supposita, qualem Felix, & Elipandus Xpto attribuebant, ut constat ex eo quod isti hæretici eodem modo, & in eodem sensu asserebant Xptum esse Servum, ac esse Adoptivum, sed adoptionem ponebant in Christo, ratione suppositi creati, multiplicando proinde in Xpto supposita ut faciebant Nestoriani; ergo, & servitutem.

Secundo respondetur quod excluditur a Xpto servitus quæ est per culpam. non autem excluditur servitus naturalis, ut constat ex eodem Concilio etenim in columna 17 ex Epistola eiusdem Concilij sic habetur: * Si ergo Deus verus, quomodo tunc potest adoptivus esse, vel Servus? Deum enim nequaquam audetis confiteri Servum, vel adoptivum, & si cum Propheta Servum nominasset, non tamen ex conditione Servitutis, sed ex humilitatis obedientia, quia factus est Patri obediens, usque ad mortem, Papa Leone dicente, assumpta est de Matre Domini natura, non culpa, creata ex forma Servi, sine conditione servili.* ergo Concilium admittit in Xpto servitutem ex humilitatis obedientia, quæ est propria creaturæ, & proinde humanitati Xpti, et negat in Xpto servitutem per culpam.

Tertio respondetur Pontificem, & concilium excludere a Xpto servitutem Legalem. ait enim Concilium in Epistola ad Episcopos Hispaniæ: loquendo cum Felice, & Elipando: * Sed forte Servum hominis eum fuisse dicitis? An ne Angelorum eum servum vultis dicere? *

Obiicies secundo a ratione: Servus debet esse persona diversa a Domino. Sed Xptus ratione unionis hypostaticæ est eadem persona cum Deo, ergo nulla servitute est servus Dei.

Respondeo distinguendo maiorem in humanis, concedo illam, in Xpto nego, & concessa minori, nego consequentiam. ratio distinctionis est quia in humanis non potest reperiri diversitas naturarum cum unitate personæ, sicut in Xpto reperitur, & proinde ratione naturæ humanæ potest ei convenire servitus naturalis. Sicut ei convenit ratione illius orare, obedire, satisfacere ex iustitia &c.

Articulus. II.

Vtrum Xptus, ut homo, vere, & proprie oraverit in hac vita mortali, & etiam nunc oret in Cælo?

§. I.

Respondetur affirmative.

Pauca se offerunt dicenda, præter dicta supra disp. 22. ar. 4. §. 2. unde sit prima conclusio: Xptus, ut homo, vere, & proprie oravit in hac vita mortali, non solum pro nobis, sed etiam pro se ipso.

Probatur ex illo Lucæ. 6. *. Exit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei:* Math. 14. * Dimissa turba ascendit in montem solus orare:* Marci. 14. * Procidit super terram, & orabat, ut si fieri posset, transiret ab eo hora.* Joann. 17. Pater, venit hora, clarifica Filium tuum:* Apostoli ad Hebræos 5: * Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque, ad eum qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* & denique, ut alia quamplura omittam, Joann. 11 ante resurrectionem Lazari dicebat:* Pater gratias ago tibi, quoniam exaudisti me, ego autem sciebam quoniam semper me audis:*

Et potest suaderi ex eo quia, ut homo est minor, & subiectus Patri, & cum aliaque ex æterna Dei ordinatione constitutum fuerit, quod multa per Xptum non aliter fierent quam interventu orationis, congruum fuit ut oraret. unde sicut propter nos redimendos necessarium fuit illum mori, & pro nobis orare, ita propter aliqua sibi impetranda necessarium fuit illum orare. videatur D. Thomas in hac 3 p. q. 21. ar. 1. & 2.

Sit secunda conclusio: Xptus nunc in Cœlo existens, vere, & proprie orat, nobis divina beneficia postulando. non vero meretr.

Constat ex supra dictis disp. 22. ar. 9. citato § 2. 2 argumento. ubi probata manet ex Scriptura, & Patribus. ratione autem suaderi potest ex eo quia oratio non dedecet Xptum. nec quia Deum. cum in terra orasset. nec quia Beatum. cum etiam in terris esset Beatus. & insuper Beati orant. nec quia eius oratio non est meritoria in Cœlo, quia etiam orationes Beatorum non sunt meritoriæ. Unde nulla videtur ratio quæ suadere possit Xptum in Cœlis non orare. cum potius oratio sit valde decens. & actus religionis. valens ad Deum honorandum.

Ulterius, quia Xptus in Cœlo est Sacerdos est enim Sacerdos in æternum. & inter munia Sacerdotis unum, & valde proprium est orare. ergo.

Dices si Xptus in Cœlis nunc pro nobis oraret, liceret dicere: Xpte ora pro nobis: Sed hoc non est dicendum, ut constat ex praxi Ecclesiæ, ergo.

Respondeo quod licet in orationibus privatis. & particularibus. Xptum possimus orare, ut pro nobis oret, seu orationes nostras orationi suæ coniungat. tamen in orationibus publicis. hoc fieri non potest. ut constat ex praxi Ecclesiæ. quæ hoc non facit. ad vitandum errorem Arrij. & Nestorij., quia hoc nomen Xptus supponit pro recto, pro supposito divino cuius non est orare. sed adiuvare. & facere iuxta suum divinum beneplacitum, persona autem particularis, illam orationem potest facere. supposita recta fide Romanæ Ecclesiæ. quia tunc non adest periculum. cum fiat credendo. quod orat ut homo. videatur D. Thomas in 4. dist. 15. q. 4. ar. 6. quæstiuncula 2. ad. 1.

Secunda autem pars conclusionis constat ex dictis disp. 20. ar. 4.

Articulus III

Vtrum Xptus, vt homo, sit vere & proprie Sacerdos?

§ I

Respondetur affirmative

Sit conclusio: Xptus, vt homo fuit vere, & proprie Sacerdos. Probatur ex illo Apost. ad Hebræos 7.*: Alij plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere; hic autem (nempe Xptus) eo quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium, unde salvare in perpetuum potest accedentes per se metipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis.* & probatur etiam ex illo Psalmi 109.* Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.*

Vlterius ex Patribus probatur conclusio. etenim D. Augustinus in Psal. 132. ait:* Quis est Sacerdos nisi unus Sacerdos, qui intravit in Sancta Sanctorum? Quis est Sacerdos nisi, qui fuit victima, & Sacerdos? nisi ille, qui cum in mundo non inveniret mundum, quod offerret se ipsum obtulit. D. Fulgentius l. ad Trasim, cap. 11. ait:* Vnus, idemque mediator Dei, & hominum homo Xptus Jesus. ipse Pastor, & Ovis, ipse Sponsus, & Sponsa, ipse Sacerdos. & Victima. Vnus, idemque, & oblator muneris, & munus factus est oblatoris, vt nec oblator a muneris qualitate descisceret, nec munus ab oblatoris merito discreparet. D. Epiphanius hæresi 55. loquendo de Xpto ait:* Ipse victima, ipse Sacrificium, ipse Sacerdos, ipse altare, ipse Deus, ipse homo, ipse Rex, ipse Pontifex, ipse ovis, ipse agnus, omnia in omnibus pro nobis factus.* & Denique, vt alios Sanctos Patres omittam. D. Th. in hac 3 p. q. 22. ar. 1. expresse docet hanc nostram conclusionem.

Probatur denique nostra conclusio ratione desumpta ex eodem Angelico Præceptore ibidem sub hac forma. Sacerdos dicitur, & est ille, qui publica authoritate est consecratus, & constitutus, vt Sacra, & divina populo tradat, preces populi Deo offerat, & sit mediator inter Deum, & homines, & denique vt offerat Deo dona, & sacrificia pro peccatis, Sed hæc omnia perfectissime conveniunt Xpto, vt homini. ergo Xptus, vt homo est vere, & proprie Sacerdos. maior constat ex testimonio Pauli citato, & ex eodem Apostolo ad hebræos 5. minor autem per partes probatur. quia a primo instanti suæ Incarnationis fuit non ab hominibus, sed a Deo consecratus, & unctus oleo Divinitatis, & omnium charismatum supernaturalium. unde per

ipsum omnia divina dona hominibus collata sunt, iuxta illud 2. Petri. 1. * Per quem maxima. & pretiosa nobis promissa donavit: * deinde Xptus preces pro populo. Deo obtulit, & humanum genus Deo per peccatum exosum. ipsi Deo reconciliavit. & denique se ipsum Deo obtulit in Sacrificium. primo incruente in Eucharistia per misticam immolationem sui ipsius. quatenus mortuo quodam modo ponitur sub speciebus panis & vini. nam ex vi verborum ponitur sub speciebus panis corpus quasi a sanguine separatum. & sub speciebus vini sanguis eius st a corpore separatus, licet alias identice. & per concomitantiam sit caro ~~[illegible]~~ sub speciebus vini, & sanguis sub speciebus panis, quę immolatio victimę st occisę. est de sacrificij essentia. cum sacrificium definatur. & sit oblatio externa rei sensibilis per immutationem ipsius Deo facta. in signum & recognitionem supremi dominij & excellentię. Secundo cruente in Cruce quando animam suam Deo obtulit ad protestandam supremam Dei excellentiam. & obtinendam ab ipso remissionem peccatorum nostrorum.

Dices de essentia Sacerdotis sacrificantis est quod ipse mactet victimam, seu hostiam, sed Xptus non se ipsum interfecit, ergo, proprie non sacrificavit in cruce.

Respondeo, concessa maiori, explicando minorem, non se interfecit sibi vulnus lethale proprijs manibus infigendo. concedo, non se interfecit, voluntarie se morti offerendo, & voluntarie, & virtute propria suum spiritum Deo tradendo, & a corpore separando nego, etenim non poterant tormenta spiritum a corpore separare si Xptus illum retinere voluisset, unde proprie sacrificavit, victimam mactavit, per sui ipsius immutationem in quo consistit essentia sacrificij, & hoc significavit Xptus ipse cum dixit, cap. 10 Ioannis: * Ego pono animam meam, nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso *

Sed notandum est obiter quod licet Christus se mactaverit st victimam in Cruce, non debet dici se interfecit. & occidit. cum istę voces significent mortem illatam per violentiam sed debet dici. quod obtulit se. & suam animam; & quod quia voluit fuit eius anima a suo corpore separata, & proinde mortuus. & in hac immutatione sacrificij essentia consistit, quando facta est in protestationem supremę excellentię

Ast notandum, & maxime prę oculis est habendum, quod in Xpti Sacerdotio plura mirabilia. excellentia, & singularia sunt. ipsi enim convenit sacerdotium per essentiam, cum divinitas, quę est oleum fragrantissimum quo est uncta eius humanitas essentialiter conveniat Xpto ratione personę. unde a primo Incarnationis instanti fuit sacerdos. : deinde. Potestas

sacerdotalis Xpti est Pontificia, & omnium maxima, unde & suprema, & soli Deo subordinata. per quod etiam distinguitur a potestate Supremi & Summi Pontificis, qui hodie est & feliciter Noster Sanctissimus Dominus Innocentius XII. etenim potestas Pontificia quæ Successoribus Petri convenit, est Xpto etiam et homini subordinata, & proinde Summus Pontifex dicitur & est Viccarius Xpti. & Succesor Petri.

Vlterius Xptus Dominus est simul sacerdos, & hostia, quod nulli alteri competit unde et ait Concilium Ephesinum part. 2. pag. 107. loquendo de sacerdotio Xpti* Non ita pontificio munere fungitur, ut aliorum sacerdotum more, externum, hoc est, a se alienum sacrificium offerat, sed ipse est agnus, ipse fragrantissima illa hostia, & spirituale holocaustum.* Sicut et D. Ambrosius loquendo de sacerdotio Xpti lib. 3. de fide. cap. 5. ait: * Idem sacerdos, idem hostia, & sacrificium.* quod & notavit Epiphanius eleganter, verbis ubi supra relatis. videatur D. Th. in hac q. 22. ar. 1.

Articulus. IV.

Utrum Xptus Dominus habuisset potestatem Regiam, non solum spiritualem sed etiam temporalem.

§. I.

Respondetur affirmative.

Affirmative respondet Angelicus Magister Opusculo. 20. de Regimine Principum, lib. 3. cap. 13. & sequentibus. Et cum eo quamplures Theologi. Licet aliqui negative respondeant, qui utique relinquendi sunt, unde & nos affirmative respondemus. Et quantum ad potestatem spiritualem cum negari nequeat, solum restat suadenda nostra affirmativa responsio de potestate temporali in universum mundum visibilem.

Suadetur primo ex Sacra pagina: quia in Apocalipsi vocatur Xptus: * Princeps Regum terræ * & cap. 19. vocatur Xptus: * Rex Regum, & Dominus Dominantium. * & cap. Math. 28 dicit Xptus Dominus: * Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra * ubi illa omnis non debet coarctari & restringi. cum nullum sit inconveniens, quin intelligatur de omni potestate, tam spirituali quam temporali. & in Psal. 2. dicitur prophetice de Xpto: * Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius. * quæ verba absque inconvenienti intelligi possunt quod sit constitutus Rex, & quoad spiritualem, & temporalem potestatem.

Probatur secundo. quia in Lege naturæ, Melchisedec, qui utique fuit figura Xpti, fuit Rex Salem, & Dei Summus Sacerdos. ut dicit Apost. ad Hebræos. 7. & in Lege scripta Moyses vocatur a Philone Iudæo, lib. 3. de eius vita: * Rex, Legislator, Pontifex, & Propheta. ergo, & Xptus fuit Rex utraque potestate gaudens spirituali, & temporali. consequentia infertur, alias veritas figuras non adimpleret.

Tertio probatur ex D. Augustino, qui super Psal. 149. ait: Xptus a Chrismate dictus est, idest ab unctione, Reges autem ungebantur, & Sacerdotes, ille vero unctus est Rex, & Sacerdos, Rex pugnavit pro nobis, Sacerdos obtulit se pro nobis. * quod & passim docetur a Sanctis Patribus.

Quarto suadetur ratione. quia ius regium, & excellens dominium in totum universum, est ius non repugnans, sed possibile, ergo Xpto concedendum. consequentia probatur, quia omnis perfectio possibilis

compatibilis cum munere Redemptoris concedenda est Xpto, ut sepe est repetitum
sed tale universale dominium in universum mundum non pugnat cum munere
Redemptoris, ergo.

Denique suadetur conclusio ab inconvenienti, quia si Xpstus
ut homo non haberet tale ius supremum, regium, & temporale respectu totius
mundi visibilis, non potuisset ut homo precipere omnibus hominibus & Angelis
nisi ea que expectarent ad spirituale regimen, unde in rebus politicis pure
non teneremur obedire Xpto, quandoquidem excederet limites sue potestatis, &
Iurisdictionis. Sed hoc est plusquam falsum ergo.

Sed notandum quod licet Xpstus
hoc ius regium temporale, illud non exercuit, cum ius pure politicum, civile, &
temporale, respectu spiritualis potestatis sit valde inferius, unde dixit *Regnum
meum non est de hoc mundo,* idest ego potestatem regiam temporalem non
exerceo, sed illam relinquo hominibus, quandoquidem, ut dicitur
per me Principes imperant, & legum conditores iusta decernunt.

Quantum ad excellen
tiam huius potestatis temporalis & huius dominij regis, valde preeminet in
Xpto, relate ad Reges terre, isti enim habent suum dominium, aut successione
aut electione, aut donatione, aut aliquo pure humano titulo, Xpstus autem habet
hoc ius regium temporale, titulo unionis hypostatice. Rursus excedit in am
plitudine, cum nullus purus homo fuerit rex totius universi, sicut Xpstus.
Ulterius excedit in perpetuitate, quam non habent Reges terre, sicut nec stabi
litatem, & durationem, & in hominibus transit de uno in alium, Xpstus a
utem habet eternam potestatem, & regni eius non erit finis.

& dicta sufficiant pro brevi notitia eorum que relate ad Patrem conveniunt Xpto
ut homini, in cuius laudem omnia cedant, & omnia
correctioni Sancte Romane Ecclesie, ex corde subiicio.

TRACTATVS OCTAVUS DE ADOPTIONE CHRISTI [illegible] PRAEDESTINATIONE

[illegible]

TRACTATUS OCTAVUS.

DE ADOPTIONE CHRISTI, EIUSQUE PRAEDESTINATIONE.

* * * * *

à q. 23. usque 24.

Procemium.

In præcedentibus quæstionibus egerat Angelicus Magister D. Thomas de ad
admirabile Incarnationis mysterium expectantibus, in quo ima summis copula-
ta sunt, & Angelica methodo exquisierat de omnibus ipsi Filio Dei homini,
Verbo Incarnato convenientibus, tum absolute, & in se, tum relative per
ordinem ad Patrem æternum, unde modo in his quæstionibus 23. scilicet, &
24. agit Angelicus Doctor de his, quæ eidem Filio Dei homini, Verbo Incar-
nato conveniunt per comparationem æterni Patris ad ipsum, quæ utique
præcipue sunt duo: nimirum Filiatio, & Praedestinatio, de quibus & nos cum eodem
Angelico Magistro, eius doctrinam insequentes, agemus, in hac, & sequenti disputatione.

Est enim Xphus Dominus Æterni
Patris Filius, qua Deus, coæternus Patri, ab ipso æternaliter genitus, & procedens; qua
homo, nobis in tempore natus, Prædestinatus utique, ut dicit Apostolus (ad Rom. 1)
Filius Dei in virtute, nobis ergo in præsenti agendum restat de Xpti Filiatione, &
Prædestinatione.

Cæterum cum ab aliquibus, præsertim antiquioribus, qui ante Concilium

Francofordiense. vel eius inventionem, scripsere, dictus, & iudicatus sit Xptus Dominus Æterni Patris Adoptivus Filius, ideo sub titulo de Adoptione Xpti communiter instituitur presentis tractatus titulus, sub quo illum & nos methodum communem insequentes, instituimus. licet alias, ut ex dicendis constabit, omnino relegandasit a Xpto Domino Adoptio, cum sit Naturalis Dei Filius.

Huic ergo tractatui, brebitati consulendo, tractatum de Predestinatione Xpti coniungimus, cum precipuus & primarius terminus Predestinationis Xpti, sit Filiatio ipsa, qua Xptus Filius naturalis Dei constituitur, & est. Ast presentem tractatum in duas distecabimus disputationes, in quarum prima Filiationem Xpti contemplare, & explicare conabimur, & in secunda Xpti Predestinationem.

Sed quis audebit de Filiatione Xpti loqui? quis de eius Predestinatione sermonem audebit texere? admirabilis enim, & inefabilis est utraque dignitas & excellentia: si Filiationem conspicimus, Filium Dei naturalem Xptum constitutum per ipsam veneramur, si Predestinationem contemplamur, & ipsum Predestinatum Filium Dei in virtute adoramus. quis ergo audebit de istis sermonem texere? dicente Isaia: * Generationem eius quis enarabit? potius ergo utramque hanc excellentiam, contemplatione, & admiratione venerari, & adorari debemus.

Verum utraque, eo quia inefabilis, fandi tribuit facultatem, ut olim dicebat elegantissimus ille Pontifex Sanctus Leo Papa. (Serm. 9 de Nativit. Dni) et quidem. ut cum eodem eloquentissimo D. Leone loquar: excedit multum dilectissimi, multumque supereminet humani eloquij facultatem, huius Filiationis, qua Xptus est Filius Dei naturalis, magnitudo, multum utique excedit, multumque supereminet humani eloquii facultatem Predestinationis Xpti qua Predestinatus est Filius Dei in virtute, dignitas, & magnitudo.

Sed ipse Deus, qui ut dicit Apostolus (ad Ephes. 1.) benedixit nos omni benedictione spirituali in cælestibus, in Xpto, nos illuminabit, ut de tam maxima & excellentissima, Xpti inefabili Filiatione, & admirabili Predestinatione, aliquid pro mea tenuitate dicere, & indagare possimus. utinam fæliciter! & si aliquid digne sit prolatum, in laudem, & gloriam ipsius Verbi Incarnati cedat.

DISPVTATIO VIGESSIMA SEXTA

DE ADOPTIONE XPTI

Ad Q. 23. D. Th.

Articulus. I

Vtrum Xptus in quantum homo sit Filius adoptivus Dei?

§. I

Praenotantur nonnulla & adoptionis deffinitio explicatur

Pro dicendis in presenti disputatione, maxime pre oculis est habenda adoptionis def-
finitio, unde & eius conditiones oportet etiam dignoscere: deffinitur ergo Adoptio,
tum a theologis, tum a Jurisperitis hoc modo * Adoptio est: Gratuita assump-
tio personę extraneę ad Hæreditatem. * Iuxta quam deffinitionem communi-
ter acceptam, sunt plures conditiones, ad adoptionem exactę, quarum aliquę sunt
de eius essentia, alię autem solum exiguntur in adoptione humana, seu quę inter
homines exerceri potest. Prima conditio, seu ut melius dicam primum quod essen-
tialiter exigitur in adoptione, est quod Persona, quę adoptatur, sit extranea adop
tanti, hoc est quod ex se, & ratione sui, non habeat ius ad hęreditatem, ad quam
adoptatur... Secundum, quod etiam essentialiter exigitur, ut verificetur adop-
tio, est quod assumptio sit gratuita, hoc est alijs titulis non debita.... Ex quo
oritur tertium quod essentialiter exigitur, est quod assumptio sit Adoptanti
voluntaria, & Libera, ita ut sine iniuria adoptati, seu personę adoptatę, illam
posset non assumere...

Preter has conditiones, seu preter hęc predicata, quę utique
sunt essentialia adoptioni, & quolibet defficiente non poterit verificari adoptio,

sunt & aliæ conditiones, quæ utique licet perse requirantur in adoptione humana, tamen respectu adoptionis secundum se non exiguntur essentialiter, sed per accidens ei possunt convenire. Prima est mutuus consensus adoptantis, & personæ adoptatæ, si ista sit sui iuris, vel si sui iuris non est, exigitur Tutoris consensus. Secunda quod adoptatus non accipiat esse ab adoptante. Et denique quod adoptatus non succedat in hereditatem usque ad mortem Adoptantis.

Secundo ut omnino certum de fide tenendum est: Deum filios adoptare, & filios adoptivos habere: quod suadet in hac q. Angelicus Præceptor, ar. 1. ex illo Pauli ad Rom. 8. * Accepistis Spiritum Adoptionis * & infra: * Quod sumus filij Dei, si autem filij, & heredes * & constat etiam ex illo ad Galatas 4: * Ut Adoptionem filiorum reciperemus, quoniam autem estis filij * & ex illo ad Ephesios 1. * In adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum * & pasim constat ex alijs testimonijs Sacræ paginæ.

Constat etiam hæc nostra suppositio ex Concilio Tridentino Ses. de iustif. cap. 3. ubi deffinit Adoptionem per hæc verba: * Quod sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei. * & constat hæc nostra suppositio ex eodem Conc ibidem. cap 16

Tertio supponendum est quod sicut filius naturalis dupliciter potest accipi & fundamentaliter, & formaliter, & formaliter dicit relationem filiationis, utique prædicamentalem, & fundamentaliter dicit naturam per generationem acceptam. Ita similiter filius adoptivus dupliciter potest considerari, nimirum, & formaliter, & fundamentaliter, formaliter enim consistit in relatione, vel reali, vel rationis iuxta diversa Autorum placita, fundamentaliter autem consistit in forma constituente fundamentum proximum relationis filiationis adoptivæ, quæ in hominibus, & Angelis relate ad Deum est gratia sanctificans, quæ cum sit participatio divinæ naturæ, ipsis communicatur, ut natura in ordine supernaturali.

Quarto supponendum est ut omnino certum, & indubitatum & ut de fide, Xptum Dominum, ut Deum, seu ut Subsistentem in natura divina esse Filium Dei naturalem, est enim prout sic Æterni Patris filius, consubstantialis, & coæternus Patri, & proinde sub hac ratione incapax adoptionis, quæ exigit extraneitatem in persona adoptanda, hoc est, exigit, quod non sit filius naturalis.

Quinto supponendum est dubium præsens procedere de Xpto, considerato, ut revera est in se, & ut docet fides chatolica, iuxta quam docemur, & fatemur in Xpto non dari duplicem personalitatem

ut blasphemo, & hæretice dicebant Nestorius, & eius sequaces; unde supponimus esse in Xpto unam tantum personam, & hanc esse divinam, & increatam; non autem esse humanam & creatam, ut etiam blasphemé dicebat hæresis Photini, qui illum asserebat esse purum hominem, in sensu enim prædictorum hæreticorum poterat enim affirmari Xptum esse Filium adoptivum, erat enim persona creata, & extranea Deo ratione cuius posset verificari adoptionis deffinitio.

Difficultas ergo præsens procedit in sensu catholico, iuxta quem fidelissime confitemur in Xpto esse tantum unam personam, & hanc esse divinam, & increatam, est enim Personalitas Verbi divini, Patris æterni Filij, qui est secunda Sanctissimæ Trinitatis persona... Verum cum in Xpto ista persona divina sit subsistens in duabus naturis, nimirum in natura divina, & in natura humana, & reduplicative ut subsistens in natura humana, sit homo verus, hinc datur locus ad inquirendum an Xptus inquantum homo, seu reduplicative, ut subsistens in natura humana sit Filius adoptivus Dei?

Pro quo denique advertendum est quod Theologi Catholici qui stant pro sententia affirmativa, licet affirmative sentiant, tamen fatentur quod absolute, & sine addito non potest affirmari, & dici: Xptus est Filius Dei adoptivus, sed solum posse affirmari, cum addito, & cum reduplicatione expressa, nimirum asserendo Xptus ut homo, seu inquantum homo, seu reduplicative ut homo, est Filius Dei adoptivus. quibus prænotatis:

§. II

Referuntur sententiae

Circa præsentem difficultatem duplex e regione opposita versatur sententia. Prima est affirmativa, quam ut refert Baronius tom. 8 ad annum 636, & tom. 9 ad annum 794. docuit in Hispania, quidam Pseudo-Episcopus Hispalensis succesor D. Isidori, vigebat misere tunc temporis in hispania arriana hæresis (proh dolor!) & iste miserabilis Episcopus transijt in Nestorianam sectam cum primum esset ab Episcopatu depositus iste, qui Theodiscus appellabatur nomine, & erat natione Græcus.. hunc Antesignanum sequuti sunt Fœlix Episcopus Urgelitanus, & Elipandus Archiepiscopus Toletanus, qui vixere ad anum 783. eo tempore quo Hispania duro opprimebatur iugo Sarraceno (seu miseria. quod flagellis Hispanorum peccata punita fuere!) hanc sententiam prout absolute affirmatam, damnavit Concilium Francofordiense, & forte isti hæretici, cum Nestorio sentiebant, ut constabit infra. unde non in sensu quo disputamus sentiebant.

Eamdem affirmativam sententiam, sed absdubio in sensu Chatolico docuit licet cum formidine. Durandus, in 3. dist. 10. q. 1. n. 5. & Baroli. pro hac etiam affirmativa sententia refertur Subtilis Doctor Scotus etiam in 3. dist. 10. q. 1. & in Reportatis etiam in 3. dist. 10. q. 1. ar. 2. Cæterum Scotus in utroque loco magis argumentative, quam resolutive procedit, & magis in sententiam negativam inclinat. unde ex eius discipulis, unusquisque in suam sententiam, vel affirmativam, vel negativam illum trahere conatur. Scoto adiunguntur Tartaretus, Maior, Rubion, Hugo Cavelus. quos refert & sequitur Franciscus del Castillo, in presenti disp. 17. q. 1. p. 3. totis viribus contendens Scotum stare pro ista sua sententia affirmativa.

Secunda sententia est negativa. hanc tenent communiter, cum Magistro Sententiarum in 3. dist. 10. §. 2. & 3. Theologi, quorum cathalogum invenies apud M. Godoi in presenti disp. 52. §. 1. quam negativam sententiam docet idem M. Godoi citata disp. per totam & M. Gonet. quam negativam sententiam non solum tenent thomistæ omnes cum Angelico Præceptore, in hac. q. sed & quamplures Scotistæ, & in PP. Societatis est etiam communis. etiam docet hanc sententiam Noster SS. P. Aversa hic. q. 24. sect. 2.

Sed licet tot & tam graves Autores conveniant docentes hanc negativam sententiam, tamen dissidunt in censura affirmativæ sententiæ, & sciendum est quod Theologi antiquiores, quos latuit Concilium Francofordiense non censurantur. verum post evulgationem huius concilij, quidam docent sententiam affirmativam esse hæreticam, ita Vazquez, & Scotistæ franciscus Faber. & M. Alvarez dominicanus. alij docent quod in sensu quo docetur a Durando nulla censura est digna. ita M. Lorca. alij autem docent quod etsi hæretica non sit sententia affirmativa, est omnino improbabilis. ita Medina. & Suarez. alij docent non solum esse improbabilem, sed etiam esse temerariam errori proximam, & sapientem hæresim. ita M. Araujo.

§. III

Statuitur sententia negativa

Sit nostra conclusio:... Xptus, in quantum homo, non est Filius adoptivus Dei.

Probatur primo conclusio authoritate Concilij Francofordiensis, sub Adriano 1. ad annum 594. quod Concilium plures repetit hanc propositionem: *Christus non est Filius Dei adoptivus,* & istam *Christus nequamquam est Filius adoptivus Dei.* etenim pag. 412. columna 2. in Epistola Adriani, hæc habentur: * Nomen Paternum hunc manifestavit hominibus, cum se Patris Filium verum, & non putativum, proprium innotuit, & non adoptivum.*

Rursus pag. 419. columna 1. in Epist. ad Epis. Hisp. dicitur: * Et si Verus Deus, etiam & verus Filius, & si verus Filius, nequaquam adoptivus, quia adoptivus sicut in testimonio S. Hilarii positum est, non vere natura est Filius* & pag. 422. col. 1. in principio, dicitur: * Unitas Personæ, quæ est in Dei Filio, & Filio Virginis, adoptionis tollit injuriam.* & ibidem col. 2. ad finem, dicitur: * Adoptivus siquidem, non habet aliam significationem, nisi ut Jesus-Christus non sit proprius Filius Dei. * quæ eadem doctrina excludente in Christo adoptionem pluries invenitur in eodem Concilio, præsertim pag. 415. & 416. & 418. & alibi contra Fœlicem, & Elipandum.

His testimoniis adeo expressis pro nostra conclusione, varie conantur occurrere Authores oppositæ sententiæ. primo, dubitando seu non admittendo ut legitimum hoc francofordiense Concilium, & fundamentum sumitur ab his Authoribus, eo quia diu latuit donec studio, & diligentia Surii Carthusiani adinventum fuit anno Dni. 1567. Secundo quia stilus redolet eloquentiam fucatam, parum a Concilijs usitatam. Tertio quia nimis acriter tractat Fœlicem, & Elipandum, & non solum in doctrinam, sed & in personas invehitur quod videtur alienum a fraterna Charitate, quæ viget in legitimis concilijs, Tum denique, & præcipue, in Epist. ad Episc. Hispaniæ, irreverenter loquitur de Eugenio, Ildefonso, & Juliano, sanctissimis Archiepiscopis Toletanæ Ecclesiæ, tamquam si male de Christi divinitate sentirent. Nam cum Elipandus, illos in sui favorem adduxisset, sic acriter, & irreverenter contra illos respondet Concilium per hæc verba: *

** Melius est testimonio Dei Patris credere de suo Filio, quam Ildefonsi vestri, qui tales vobis composuit preces in Missarum solemnijs quales Universalis, & Sancta Dei non habet Ecclesia, nec vos in illis exaudiri putamus, & si Ildefonsus vester in orationibus suis Xptum adoptivum nominat, Noster vero Gregorius Pontifex Romanæ Sedis, & clarissimus toto orbe Doctor, in suis orationibus semper Unigenitum nominare, non dubitavit: * & Antea irrisorie loquendo Concilium hoc de prædictis tribus Patribus, dixerat: loquendo cum Elipando, & Fœlice * Ut videatis quales habetis Parentes: * ergo incredibile est hoc esse verum Concilium, quia verum Concilium sic tales viros non tractasset.

Sed contra, quia hæc responsio nec audiri debet, nec de fide, veritate, & legitimatione huius Sancti Concilij sine ingentissima temeritate potest dubitari, quia licet generale non fuerit, sed nationale trecentorum Episcoporum ex Italia, Germania & Galia, tamen fuit congregatum legitima authoritate, Adriani I. Pontificis Max. & celebratum suis legatis in eo præsidentibus.

& denique fuit ab eodem Pontifice Confirmatum. igitur est temeritas maxima de fide huius Concilij dubitare.

Nec fundamenta in contrarium adducta alicuius roboris sunt. non primum, primo quia plures Antiqui multo tempore ante Surium meminere de hoc Concilio. Item quia hæreticorum astutia latuit. Item quia Surius vir pius & doctus in Epistolis ad Philippum Hispaniarum Regem Catholicum profitetur se nihil Concilijs, aut numero conciliorum adiungere, quod ex vetustissimis exemplaribus non sumpserit. Item præcipue, quia Epistola Adriani, gravissimorum Doctorum consilio inter Epistolas Decretales Pontificum in tomo 2. cum alijs excussa fuit, quam esse desumptam ex hoc concilio testificant iidem Doctores de quorum consilio inter Decretales est annumerata. unde sicut alia concilia nobis innotescunt, præcipue antiqua & vetusta, per historiam humanam, ita similiter & hoc Concilium innotescit.

Nec secundum motivum urget quia non omnia concilia, nec omnes Pontifices, imo nec omnes Prophetæ eundem stillum servant. Sed aliqua alijs præstantiorem, & elegantiorem

Nec tertium. quia Fœlix licet suum errorem retractasset: infœlix ut canis ad vomitum est reversus.

Nec denique urget quartum motivum. eo quia tunc temporis, non erat magna authoritas Eugenij. Ildephonsi, & Iuliani. & præcipue cum Elipandus illos citasset pro sua sententia utique falso, illis illam attribuendo. mos enim est hæreticorum pro sua sententia viros pios & sanctos adducere. unde si Concilium invehitur, contra tam sanctos, & doctos viros, est supponendo esse verum quod dicebatur ab Elipando. nimirum stare pro sua sententia, quæ utique contribuebat Nestorianam hæresim, duas personas in Christo componendo.

§. IV.

Alia solutio proponitur, & reiitur

Secundo occurrunt Authores oppositæ sententiæ admittendo Concilium, & explicando sensum Concilij, respondent quod Concilium non deffinivit hanc propositionem. Xphus, ut homo, non est Filius adoptivus Dei, adoptione composita, in una, eàdemque persona, in quo sensu a Durando, & ab alijs Doctoribus Catholicis opposita sententia defenditur. Sed Concilium solum negasse Adoptionem puram in Xpto, qualiter nos, & Angeli in Filios Dei adoptamur, & quæ personas multiplicat, unde Concilium non negavit in Xpto adoptionem ratione naturæ humanæ, sed tantum adoptionem ratione suppositi creati, seu adoptionem multiplicantem in Xpto persona. &

qualiter illam in Xpto adstruebant Fœlix, & Elipandus, quos ibi damnat Concilium asserentes in sensu Nestoriano Xptum esse Filium adoptivum Dei.

Seu respondent quod Concilium solum damnat istam propositionem absolute prolatam: * Xptus est Filius adoptivus Dei: * non vero istam: * Xptus inquantum homo est Filius adoptivus Dei: * quæ utique valde discrepant inter se, sicut absolute prolata ista propositio: * Xptus est Creatura: * est damnata, ista vero non * Xptus secundum humanitatem est creatura. *

Fundamentum ad hanc explicationem præstandam sumunt isti authores ex eo quia mens concilij ex opposito errore, quem damnat, venanda est. Sed Felix & Elipandus, quorum errorem damnat, fuere Nestoriani, & proinde adoptionem, quam in Xpto adstruebant, est illa quæ in Xpto personas multiplicat, ergo hanc adoptionem, & non aliam negat in Xpto Concilium.

P. Vazquez in præsenti disp. 89. cap. 7. multis conatur suadere Fœlicem, & Elipandum Nestorianos non fuisse, & in hoc plurimum temporis, & coniecturarum cum magno labore consumit, & adducit ad suadendum Nestorianos non fuisse, quæ brebitatis causa omitto, & apud ipsum videri possunt, sed otiosum tempus, & coniecturæ parum fructuosæ ad hos hæreticos defendendos, & illos ab hæresi Nestoriana vindicandos. O Bone Deus! si sic P. Vazquez laborasset pro Sanctis Patribus explicandis, & pro illis ab imposturis defendendis, utique esset fructuosior eius labor. Sed o miseria humana, potius istius Doctoris pietas inclinatur ad hæreticos ab imposturis vindicandos, quam Sanctos Patres, imo aliquando ut hæresicum ab impostura defendat, Sanctos Patres invitt, ut patet pro defendendo Eunomio, D. Chrisostomum errasse, errore utique materiali, fatetur, & pluries in suis scriptis legitur transeat Chrisostomus, transeat Augustinus, transeat D. Thomas. melius inquam transeat, & utilius foret, imo & debitum erat, quod laborasset pro explicandis Sanctis Patribus sic enim non daretur locus, ut videtur, & admiratur P. Vazquez, cum alias sit Doctor pius, Catholicus, & Religiosus.

Movetur Pater Vazquez ad asserendum Fœlicem, & Elipandum Nestorianos non fuisse, & aliis coniecturis, & ex eo quia, sic constabit quod mens Concilij non erat excludere adoptionem in sensu Nestoriano, sed in quocumque sensu. Verum licet Concilium adoptionem in Xpto neget in ~~[illegible]~~, quocumque sensu, tamen aliter a nobis est hoc probandum, & relinquendus est P. Vazquez

Unde cum communi theologorum tenendum est infœlicem illum Fœlicem, & Elipandum Nestorianos fuisse.

quidquid in contrarium sentiat in illorum favorem P. Vazquez. moventur theologi ad illos credendos Nestorianos ex eo quia in quęstionibus de facto magis fidendum est historijs, quam subtilibus coniecturijs, in oppositum inclinantibus, sed Historiographi, qui heresim Foelicis, & Elipandi tetigere, illam Nestorianam fuisse testantur. ergo dicendum est fuisse Nestorianos. Minor constat ex Alcuino, Caroli Magni Magistro lib. 3. de Trinit. cap. 9. ubi loquendo de Foelice, & Elipando hęc habet: * Dividens unam personam Filij Dei, cum Nestorio in duas personas, vere Filij, & adoptivi. * secundo probatur ex Julio Aurelianensi, secunda parte cortho[...] tit. 4 cap. 1. §. 6. probatur etiam ex Mariana lib. 7 de rebus Hisp. cap. 8. probatur etiam ex Baronio ad annum 783. & ad annum 793. & 794. idem tenent teste Patre Suarez, in presenti disp. 49 sect. 3. §. sed nihilominus. Paulus Emilius, Nauclerus, Sanderus. & alij, quos ibidem refert. quos historiographos sequuntur Commentatores D. Th. & thomistę omnes. inter quos Illust. Godoi in presenti disp. 53. § 2. ubi erudite ut mos est apud ipsum, probat hanc minorem.

Reiicienda est ergo aliter predicta explicatio & solutio data ad authoritates a nobis adductas ex Concilio Francofordiense unde illam reiicio ex eo quia non consonat cum verbis Concilij, ait enim Concilium expresse: Xpistum nequaquam esse Filium adoptivum. quod est idem ac dicere: nullo modo esse Filium adoptivum sed hęc propositio esset falsa. si Xpistus, in quantum homo, esset Filius adoptivus. ergo est quia predicta explicatio non congruit ad authoritatem Concilii. maior ex terminis est nota. probatur ergo minor. quia Xpistum, in quantum hominem, & secundum humanitatem esse Filium adoptivum est esse sub aliqua ratione. & aliquomodo Filium adoptivum, sed esse aliquomodo Filium adoptivum. est contra Concilium asserens, nequaquam, seu nullo modo esse Filium adoptivum. ergo. minor est nota. quia istę duę propositiones, Xpistus nullo modo est Filius adoptivus. & Xpistus aliquomodo est Filius adoptivus, sunt contradictorię ut per se patet. sed negativa est vera, ut pote deffinita a Concilio ergo affirmativa est falsa. ergo talis propositio videlicet. Xpistus in quantum homo est Filius adoptivus Dei, est contra precitatum Concilium.

Ad fundamentum contrariorum respondetur quod falsum est mentem alicuius Concilij posse adequate venari ex opposito errore, quem damnare intendit, sed venari debet precipue ex verbis rigorose & proprie acceptis, ut sonant. & ut iacent. & si iuxta ad hanc intelligentiam conducat cognitio oppositi erroris, ut patet. & instatur, ni fallor evidenter, si enim aliquis Theologus auderet dicere & asserere iustificationem nostram prestari a duabus formis intrinsecis adequate, nempe a gratia, & ab habitu charitatis v.g. procul dubio ad

versaretur manifeste Concilio Tridentino Sess. 6 de Iustificat. cap. 7. ubi dicit: * Iustitiam nobis intrinsecam esse unicam causam formalem nostrę iustificationis: * & tamen scopus Concilij non erat istum errorem damnare sed damnare hęreticos asserentes nos iustificari formaliter per solam imputationem meritorum Xpti; ergo est quia mens alicuius Concilij non potest adęquate indagari ex opposito errore sed venari debet pręcipue ex verbis concilij ut iacent proprie, formaliter, & rigorose acceptis, sed Verba Concilij Francofordiensis excludunt a Xpto omnem adoptionem, & sub quacumque ratione, ergo quamvis pręcipuus scopus concilij Francofordiensis non fuisset damnare adoptionem quam cum unitate personę ponit in Xpto Durandus, & autores Catholici, qui sunt pro sententia affirmativa, sed fuisset intentum Concilij damnare adoptionem in Xpto, qualiter ponebatur a Fœlice, & Elipando & a quocumque ponente in Xpto adoptionem ratione personę creatę, tamen Verba Concilij sincere, cum proprietate, & in sensu formali & rigoroso accepta, excludunt a Xpto quamcumque adoptionem, etiam in quantum homo, & ratione humanitatis, & illam damnat Concilium.

§. V.

Prima ratio a priori stabilitur

Sumitur ista prima ratio ex Angelico Pręceptore in 3. dist. 10. q. 1. ar. 2. questiunc. 3 ubi hęc habet verba: * Ad tertiam questionem dicendum quod Xptus nullo modo dicendus est Filius adoptionis, quia ei competit ex sua natura, secundum quam ęternaliter a Patre nascitur, habere ius in hęreditate paterna, quia omnia, quę habet Pater, sua sunt, ut dicitur Joann. 16. unde hoc ius non acquiritur ei per gratiam advenientem, ut possit dici Filius adoptivus. * ex qua authoritate, & doctrina sic formatur ratio pro nostra conclusione.

Pręcipua & principalis ratio, & conditio adoptionis, ei essentialiter conveniens, est quod sit gratuita assumptio personę extraneę, ad hęreditatem, sed Xptus, etiam reduplicative ut homo, non est gratiose, seu per gratiam assumptus ad hęreditatem paternam, ergo Xptus etiam reduplicative, ut homo, non est Filius adoptivus Dei. Maior constat ex deffinitione adoptionis supra explicata, probatur ergo minor. Cui convenit ius ad hęreditatem paternam naturaliter, & per naturam, non est gratiose, seu per gratiam assumptus ad hęreditatem paternam; sed Xpto, etiam ut homini, convenit ius ad hęreditatem paternam naturaliter, & per naturam, ergo Xptus etiam reduplicative ut homo, non est gratiose assumptus ad hęreditatem. cętera patent probatur minor. quia cum Xptus reduplicative ut homo, sit intrinsece constitutus persona, personalitate

divina, & increata Verbi divini, Filij æterni Patris, habet sibi unitam in unitate personæ naturam divinam, secundum quam æternaliter procedit a Patre. Sed huic naturæ convenit essentialiter naturaliter et in persona Filij ius ad hæreditatem paternam. ergo Xpto, etiam ut homini, convenit naturaliter ius ad hæreditatem paternam.

Dices quod licet Xpto ratione naturæ divinæ, & ut subsistenti in natura divina, conveniat naturaliter ius ad hæreditatem increatam Dei, consistentem in visione comprehensiva Dei, ac proinde ad hanc hæreditatem adoptari non possit, tamem illi non convenit ratione divinæ naturæ ius ad hæreditatem participatam consistentem, in vione Dei, creata, & non comprehensiva. per quam ut homo ditatur & beatificatur, & cuius ut homo unice capax est. ergo ad istam poterit adoptari. assumptum antecedentis, videtur quod unice sit mens Angelici Præceptoris, etenim in hac. 3. p. q. 7. ar. 1. ad 1. ait: * ad primum ergo dicendum quod Xptus est verus Deus secundum personam, & naturam divinam, sed quia cum unitate personæ remanet distinctio naturarum (ut ex supra dictis patet) anima Xpti non est per suam essentiam divina, unde oportet quod fiat divina per participationem, quæ est secundum gratiam. *

Quod & docet clarius ibidem ad. 2. per hæc verba: * Dicendum quod Xpto inquantum est naturalis Filius Dei debetur hæreditas æterna, quæ est ipsa beatitudo increata, per increatum actum cognitionis, & amoris, cuius actus anima capax non erat, propter differentiam naturæ. Unde oportebat quod attingeret ad Deum per actum fruitionis creatum, qui quidem esse non potest nisi per gratiam. * ergo iuxta D. Thomam hæreditas debita Christo ratione naturæ divinæ est hæreditas increata, consistens in visione increata, & comprehensiva Dei. non autem est debita Christo hæreditas creata, qua beatificatur ut homo ergo ad istam poterit adoptari.

Sed contra & respondeo assumptum in hac replica contentum, & non esse ad mentem D. Thomæ, & veram doctrinam non continere. primum suadeo quia intentum Angelici Præceptoris, in loco a nobis allegato, erat probare Xptum, ut hominem, non esse Filium adoptivum, ex eo quia ius ad divinam hæreditatem ipsi competit per naturam. Filio autem adoptivo debet per gratiam convenire, sed quod Xpto conveniat ut Deo ius ad hæreditatem divinam & increatam, & hoc per naturam, non conducit ad negandum in Xpto Filiationem adoptivam, nisi eidem Xpto ut homini conveniat per naturam ius ad hæreditatem creatam, consistentem in visione non comprehensiva Dei, quæ visio est quæ convenire potest intellectui creato animæ Xpti, ergo est quia

D. Thomas loquitur de iure convenienti Xpto per naturam ad hereditatem creatam qua beatificatur ut homo. minor patet quia licet hereditas increata qua beatificatur Xptus ut Deus illi conveniat naturaliter, si eidem Xpto ut homini non conveniret etiam per naturam ius ad hereditatem creatam, qua beatificatur ut homo, hoc ius conveniret illi ex gratia, & proinde illum ut hominem constitueret Filium adoptivum, & per consequens non probasset Xptus D. Thomas quod intendebat probare, quod fas non est dicere de tanto Doctore.

Secundo suadetur hoc idem, quia Angelicus Praeceptor in hac 3. p. q. 19 ar. 3. ad 2. haec habet: * Xpto secundum quod est Deus, & Dei Filius per naturam debetur gloria divina, & dominium omnium, sicut primo, & supremo Domino, Nihillominus tamen debetur ei gloria sicut homini beato. * quod & docet in 3. dist. 13. q. 1. ar. 1. ad 5. & alibi. ergo mens D. Thomae est manifesta in asserendo quod Xptus ut homo, habet per naturam ius intrinsecum ad divinam hereditatem qua beatificatur ut homo. ergo non potest esse Filius adoptivus, etiam ut homo.

Nec obstant allegata testimonia ex praecitata q. 7. ar. 1. ad 1. & ad 2. quia ibi Angelicus Praeceptor solum intendebat stabilire in Xpto (non obstante quod esset Sanctus substantialiter per gratiam unionis) existentiam gratiae habitualis, & eius necessitatem, ad hoc ut esset connaturale radicale principium operationum supernaturalium elicitarum a Xpto Domino. nec amplius convincitur ex praeallegatis authoritatibus.

Secundum autem suadetur, nempe quod praedicta replica non contineat veram doctrinam, quia congruum & decens est quod personae divinae substantialiter unitae naturae intellectuali creatae, debeatur naturaliter quod natura creata, quam terminat, & cui physice unitur ditetur hereditate divina, iuxta capacitatem eiusdem naturae. ergo Filio Dei naturali, seu Verbo divino debetur, quod natura humana quam terminat, ditetur hereditate divina consistente in visione creata Dei. antecedens videtur rectum cum sit tale debitum valde conforme dignitati, & perfectioni summae, competenti naturaliter personae divinae. & deinde consequentia est recta.

Ulterius homini iusto debetur ratione gratiae habitualis existentis in ipso hereditas divina consistens in Dei visione, quod ius est morale, & physicum, ergo humanitati Xpti

substantialiter sanctificatus per Divinitatem, ratione unionis ad Verbum debetur saltim debito morali visio intuitiva Dei, quę est utique hęreditas qua ditari, & beatificari potest. antecedens supponitur ex tract. de Gratia, & consequentia probatur tum paritate facta, tum ratione, quia quod facit participatio accidentalis divinitatis, non potest non prestare ipsa Divinitas physice communicata, & unita.

Confirmatur quia natura humana Xpti Dni sanctificatur substantialiter, seu est sancta substantialiter, per sanctitatem increatam Dei ipsi unitam, ut modo supponimus & supra probatum est tract. 2. disp. 8. ar. 1. Sed sanctitati debetur saltim debito morali hęreditas divina. ergo humanitati Xpti. ratione naturę divinę ipsam sanctificantis debetur naturaliter debito morali hęreditas divina seu visio clara, & intuitiva Dei. & proinde Xptus, etiam ut homo, non potest esse Filius adoptivus Dei.

§. VI.

Alia ratione a priori suadetur conclusio.

Sumitur ista ratio ex natura adoptionis, de cuius conceptu est quod persona, ut adoptari possit, sit extranea, ut constat ex supra tradita diffinitione adoptionis. et sic potest formari. Adoptio petit extraneitatem personę Sed Xptus, etiam ut homo, non est persona extranea a Deo, ergo Xptus etiam ut homo non potest adoptari a Deo in Filium. maior constat ex diffinitione adoptionis, & Minor est de fide, quia Xptus ut homo non est personaliter distinctus a se ipso, ut in Divinitate subsistente. quare licet Xptus ut homo possit dici suppositum extraneę naturę a divina, non tamen potest dici persona extranea Deo. unde licet ut homo sit suppositum naturę finitę, creatę, & limitatę, non tamen dici potest persona limitata, creata, & finita.

Dices quod extraneitas naturę humanę Xpti Domini est sufficiens ut denominari, & esse possit Filius Dei adoptivus. ergo licet persona extranea non sit, non probatur quod non sit Filius adoptivus. assumptum suadetur. ex eo quia eadem extraneitas naturę sufficit in Xpto, ut constitui possit debitor, & satisfaciens. Sed non minor extraneitas requiritur inter satisficientem, & eum cui fit satisfactio, seu inter creditorem, & debitorem, quam inter patrem, & Filium adoptivum, ergo si illa extraneitas sufficit ad primum, & sufficere debet ad secundum.

Respondeo negando antecedens, seu assumptum, & ad probationem concessa maiori negatur minor, & paritas, & ratio disparitatis est manifesta quia cum denominatio Filij appellet & cadat immediate, & in recto supra personam & naturam solum respiciat in obliquo, non sufficit extraneitas naturę ad Filiationem adoptivam, sed essentialiter exigitur extraneitas personę, esse autem debitorem seu satisfacientem, respicit formalissime naturam in recto, eo quia satisfaciens transfert ius, & dominium quod habet supra actionem per quam satisfacit in obsequium, & dominium illius cui tribuitur satisfactio, unde per se requiritur, & inspicitur diversitas iurium in satisfaciente & in eo cui fit satisfactio, seu in debitore, & creditore, & ius residet in voluntate, & in actione ab ipsa voluntate ellicita, & proinde cum in Xpto sint duę voluntates, una propria naturę divinę, & alia propria humanitatis, sufficit proinde in Xpto extraneitas naturę ut possit satisfacere, & exercere actionem iustitię, & non sufficit ista extraneitas ut Filius adoptivus possit constitui, & esse.

§ VII

Alia ratione probatur conclusio

Sumitur hęc ratio ex Angelico Magistro in hac. q. 23. ar. 4. in corpore. Quia Filiatio non convenit naturę, sed hypostasi, aut personę, sed persona, aut hypostasis Xpti qua homo est, Filius adoptivus non est, nec esse potest; ergo Xptus ut homo non est Filius adoptivus Dei. consequentia infertur, & pręmissę indigent probatione probatur ergo maior. 1.o quia illi convenit Filiatio, cui convenit denominatio Filij, sed denominatio Filij non convenit naturę, sed personę vel hypostasi, non enim dicitur humanitas Filia, sed hic homo vel hęc persona ergo Filiatio non convenit naturę, sed hypostasi, aut personę. Secundo quia esse Filium est denominatio secundum perfectissimam, & completam rationem geniti, sed natura licet aliquomodo possit dici genita, nimirum ut quo, non habet perfectissimam, & completam rationem geniti, ergo est quia Filiatio non convenit naturę, sed hypostasi aut persona.

Minor autem principalis probatur. quia persona aut hypostasis, qua Xptus homo est, est persona Verbi divini, quod est Filius naturalis Dei, sed Filius naturalis, non est nec potest esse Filius adoptivus, ergo persona, aut hypostasis Xpti, qua homo est Filius adoptivus non est, nec esse potest. maior est de fide, & consequentia infertur, probatur ergo minor quia id quod perse dicitur, non potest dici participative, & similitudinarie sed Filiatio adoptiva, dicitur participative, imitative, & similitudinarie

ergo filius naturalis non potest dici, nec esse filius adoptivus. minor docetur a D. Th. in hac q. 23. ar. 3. in corp. ~~[illegible]~~ ubi ait * Respondeo dicendum. quod sicut supra dictum est, Filiatio adoptionis, est quędam similitudo Filiationis naturalis. * quod & dixerat in eadem q. 23. ar. 2. ad 3. Maior autem docetur ab eodem Angelico Doctore in hac. 3. p. q. 32. ar. 3. in corp. per hęc verba * illud quod de aliquo dicitur secundum perfectam rationem, non est dicendum de eo secundum rationem imperfectam, sicut quia Sortes dicitur naturaliter homo. secundum perfectam rationem hominis, numquam dicitur homo secundum illam significationem, qua pictura hominis dicitur homo licet forte ipse assimiletur alteri homini. Xphus autem est Filius Dei secundum perfectam rationem Filiationis, unde quamvis secundum humanam naturam sit creatus & iustificatus nontamen debet dici filius Dei, neque ratione creationis, neque ratione iustificationis, sed solum ratione generationis ęternę. secundum quam est Filius Patris solius. *

II Rursus. omnia dicta ~~multa~~ inter istam rationem stabiliendam miro modo explicata videbis in Angelico Magistro in hac. 3. p. q. 23 citata. ar. 4. in corpore per hęc verba: * Respondeo dicendum, quod Filiatio proprie convenit hypostasi, vel personę, non autem naturę, unde in prima parte dictum est Filiatio est est proprietas personalis, In Xpto autem non est alia persona, vel hypostasis, quam increata, cui convenit esse Filium per naturam, Dictum est autem supra quod Filius adoptionis est participata similitudo filiationis naturalis, non autem recipitur aliquid dici participative, quod perse dicitur. & omnino Xphus. qui est Filius Dei naturalis nullo modo potest dici filius adoptivus. * quę doctrina continuatur ab Angelico Magistro ibidem in solutione ad tria argumenta ibi proposita.

§. VIII
Obiectionibus fit satis

Obiicies primo. Si propter aliquam rationem Xptus non esset Filius adoptivus Dei, maxime quia est eius Filius naturalis. Sed hec ratio est nulla, ergo ratio precipua nostre conclusionis est nulla. probatur minor quia si hec ratio subsisteret, maxime quia Filiatio conveniret persone, ratione sui, & non ratione nature. Sed hoc est falsum, ergo est quia predicta ratio est nulla, probatur minor. quia Filiatio convenit persone, ratione nature, & non ratione persone, ergo falsum est quod conveniat ratione persone. & perconsequens in Xpto licet persona extranea a Deo non sit, sed potius identificata cum Deo, cum natura humana extranea sit datur locus ut Xptus ratione nature humane sit Filius adoptivus Dei. antecedens in quo est difficultas probatur quia in hypotesi quod aliqua humanitas sine aliqua subsistentia esset genita & producta ab aliquo homine, (quod de potentia absoluta utique non videtur repugnans), tali humanitati conveniret filiatio: esset enim filia hominis illam generantis, ut pote terminabat generationem, cum actio productiva illius esset origo viventis a vivente, principio coniuncto in similitudinem nature.

Respondeo negando minorem, & similiter ad eius probationem nego minorem. & ad probationem negatur antecedens, ut illud negat D. Thomas, ait enim quodlib. 9. q. 2 ar. 4. incorpore circa finem: * Non enim potest dici quod subiectum Filiationis sit suppositum eternum ratione humane nature, vel alicuius partis eius, sicut dicitur suppositum mortis, vel passionis, quia sic ipsa humana natura, vel pars eius esset primum subiectum Filiationis, & de ipsa humana natura, vel pars eius esset primum subiectum Filiationis, & denominaretur per ipsam, sicut contingit de alijs accidentibus, que attribuuntur Xpto ratione humane nature Filiatio vero numquam denominat nisi ipsum suppositum, nec potest illud pro subiecto non habere. *

Nec obstat probatio antecedentis, quam adducit P. Petrus Hurtado de Mendoza, in presenti. disp. 83. in primis quia hypotesis est imposibilis. secundo quia etiam si prescindamus, vel admittamus illam hypotesim ut possibilem, in tali casu, illa humanitas, non esset Filius, vel Filia sicut in tali casu illa humanitas non esset homo, etenim ideo homo non est, quia homo est concretum, & ut dicitur in Logica concretum non predicatur de abstracto, sed etiam lis filius, vel filia sunt concreta. ergo non dicerentur de humanitate

Nec similiter obstat probatio in contrarium, quia deffinitio generationis illi actioni productive non conveniret, etenim illa solum convenit relate ad terminum completum, sicut illi humanitati non

deffinitio personæ, licet individua substantia rationalis naturæ. quia hæc deffinitio in communi theologorum solum convenit substantijs concretis, & completis.

Urgetur nostra solutio quia non est ratio quare de facto non detur aliqua forma, & denominatio ab illa proveniens, quæ exigat ex se personæ convenire, & naturæ ratione personæ, sed hæc est filiatio. & Paternitas, aliunde esset verum dicere in Divinis natura generat, & natura est genita. & non diceretur. Pater generat, & Filius est genitus.

Replicabis, licet esse Filium verificari debeat de persona. tamen hoc non obest, ut de persona Xpti reduplicative quatenus terminat, & personat naturam humanam, possit dici esse Filium adoptivum. ergo solutio & doctrina data non tollit, quod Xptus ut homo sit Filius adoptivus Dei. assumptum suades. quia si aliquid ad hoc obstaret in Xpto, maxime quia est Filius naturalis, sed ut homo non est formaliter Filius naturalis, sed ad summum identice ergo filiatio adoptiva potest dici prout sic de Xpto. consequentia videtur nota, quia licet opponantur esse filium naturalem, & esse filium adoptivum formaliter, non tamen opponuntur esse Filium naturalem identice, & esse filium adoptivum formaliter.

Sed contra, & respondeo quod Xptus ut homo, seu inquantum homo, & ut personat Verbum naturam humanam, & illam terminat, si ly ut, vel ly inquantum determinat, ut debet, suppositum, seu personam, est formaliter Filius Dei naturalis. unde non potest sub ista ratione esse Filium adoptivum Dei formaliter, pro ut sic etiam non est persona extranea. quod erat necessarium ut esse posset filius adoptivus. solum enim pro ut sic, est persona naturæ extraneæ, at cum ista extraneitas naturæ non sufficiat, eo quia ly esse filium appellat formaliter supra personam, inde est quod sub nulla ratione posit esse Filius adoptivus Dei.

Replicabis denique: licet Xptus ut homo sit formaliter Filius naturalis Dei Patris, potest adhuc esse Filius adoptivus Dei formaliter ergo doctrina data ruit. antecedens probatur. quia Filius naturalis, potest adoptari a Patre naturali, unde filius naturalis, potest esse filius adoptivus respectu eiusdem. antecedens probatur, ex Lege: Qui liberatus 12. ff. de Adoptionibus, ubi dicitur: * Qui liberatus patria potestate est, postea in potestatem honeste reverti non potest, nisi adoptione.* ergo filius naturalis a patria potestate emancipatus potest sub illa redigi per adoptionem.

Sed contra & Respondeo hanc replicam nullius momenti esse quia attento iure antiquo Romanorum filius emancipatus a patria potestate, privabatur omni iure ad paternam hæreditatem, & cum ius civile Romanorum solum attenderet ad ius quod ad hæreditatem possent habere, vel acquirere eorum Cives,

inde est, quod filius naturalis emancipatus adoptari posset alio Patre, et beneficio adoptionis acquirere posset ius ad hereditatem paternam, a quo iure per emancipationem erat exclusus & privatus. Theologice autem Filius naturalis Dei semper est filius proprius & naturalis ipsius, & cum filius proprius, verus, & naturalis, sit incapax filiationis adoptivę ut supra ostensum est ex Concilio Francofordiensi, quandoquidem filiatio adoptiva, dicit negationem filiationis verę, proprię, & naturalis, etenim ut docet D. Thomas id quod de aliquo dicitur secundum perfectam rationem nequit dici de illo imitative, & secundum improprium rationem, inde est quod Xphus ut homo nullo modo est filius adoptivus Dei.

Obiicies secundo Si Xphus ut homo non esset Filius adoptivus Dei, maxime quia Filiatio adoptiva dicitur de subiecto secundum imperfectam rationem & proinde enunciari non potest de Xpho, quia de ipso dicitur esse Filium Dei naturalem, quę est denominatio secundum perfectam rationem, sed hoc non obstat, ergo. probatur minor, stat aliquid dici de eodem secundum perfectam, & imperfectam rationem ergo licet filiatio adoptiva sit imperfecta filiatio, poterit enunciari de Xsto ut in humanitate subsistente tametsi de illo enuncietur Filiatio naturalis, quę est perfecta filiationis ratio. probatur antecedens, quia de eâdem humanitate Xsti Domini enunciatur Sanctitas substantialis, & accidentalis, sed Sanctitas accidentalis est sanctitas imperfecta respectu Sanctitatis substantialis, ergo stat aliquid dici de eodem secundum perfectam, & imperfectam rationem.

Respondeo negando minorem. & ad probationem nego antecedens, & ad eius probationem respondeo concessa maiori distinguendo minorem: Sanctitas accidentalis, est Sanctitas imperfecta negative, concedo minorem, privative nego minorem, & consequentiam. Explicatur distinctio, dicimus enim quod Sanctitas accidentalis relative ad Sanctitatem substantialem unionis est minus perfecta quam illa, non tamen est privative imperfecta considerata subiective, & secundum suam entitatem, unde non dicit oppositionem cum Sanctitate substantiali cum non afferat secum rationem aliquam perquam exigat quod subiectum receptivum illius non sit capax recipiendi Sanctitatem substantialem. & cum unum & idem subiectum possit actuari duplici forma una altera perfectiori, ut constat in intellectu Xphi, in quo & est Scientia Visionis, & scientia supernaturalis infusa, & scientia naturalis, licet infusa, quarum una alia est perfectior, ac proinde possunt simul Sanctitas substantialis, & accidentalis eidem subiecto convenire. Sed contra hanc primam solutionem replicabis. Sanctitas accidentalis etiam dicitur Sanctitas per analogiam ad

Sanctitatem substantialem divinam, & tamen potest convenire eidem subiecto cui convenit Sanctitas substantialis divina. ut patet in humanitate Xpti Domini. ergo licet filiatio adoptiva dicatur filiatio per analogiam ad filiationem naturalem, poterit tamen de eodem de quo dicitur filiatio naturalis. & per consequens poterit Xptus esse & dici filius naturalis. & adoptivus Dei.

Sed contra & respondeo distinguendo maiorem Sanctitas ~~[illegible]~~ accidentalis dicitur per analogiam ad sanctitatem substantialem divinam prout ista convenit subiecto proprio. & connaturali. nempe ipsi Deo in se, concedo maiorem prout convenit subiecto extraneo, cui per gratiosam communicationem unitur, nego maiorem, annalogatum ergo principale, est Sanctitas divina, prout in Deo. & ad intra convenit, non autem est eadem Sanctitas divina prout ad extra gratiose est communicata humanitati Xpti Domini. Unde ex hac responsione solum infertur quod Sanctitas accidentalis opponatur subiective Sanctitati substantiali divinae ad intra. non vero Sanctitati substantiali, & divinae ad extra communicatae.

Replicabis ratio Sanctitatis, dicitur analogice. de Sanctitate accidentali praestita a gratia habituali, & de Sanctitate substantiali, & divina. ut Sanctificativa humanitatis Xpti, ergo cum utraque Sanctitas dicatur de Xpto stat aliquid dici de eodem secundum perfectam. & imperfectam rationem. antecedens, videtur notum, quia ratio Sanctitatis ut sic dicitur de utraque supradicta Sanctitate, sed non univoce, ergo analogice, minor patet. quia nulla ratio est communis univoce Deo, & creaturis, substantiae, & accidenti.

Respondeo notando ad intelligentiam solutionis huius replicae in forma, quod Sanctitas substantialis divina. ut Sanctificativa ad intra, non distinguitur a se ipsa ut Sanctificativa ad extra, penes aliquid in recto inspectum, sed, penes obliquum, nempe penes subiectum cui ad intra, & ad extra communicatur, unde ratio Sanctitatis ut sic. dicitur utique analogice, de Sanctitate accidentali praestita a gratia habituali. & de Sanctitate substantiali divina, ut Sanctificativa, ad intra, vel ad extra ly ut reduplicante rectum formae, seu quasi formae Sanctificantis, non autem dicitur analogice ratio Sanctitatis de Sanctitate accidentali, & de Sanctitate substantiali ut Sanctificativa ad extra nempe ut Sanctificativa humanitatis, ly ut reduplicante obliquum, nempe subiectum, cui utraque communicatur, potius ut sic univoce conveniunt, cum conveniant eidem humanitati; ratio autem filiationis, prout abstrahit a filiatione naturali, & adoptiva, sub nulla ratione univocatur, unde non potest de eodem dici Filiatio naturalis. & adoptiva. & sub hac doctrina facile respondetur ad formam distinguendo antecedens. ly ut Sanctificativa, reduplicante rectum, concedo, reduplicante obliquum nego ans. & consequentiam, cum solutioni non officit probatio in contrarium.

Obiicies tertio. in Xpto Domino est gratia habitualis. ut ex dictis supra ad tract. de Gratia Xpti, disp. 9. ar. 1. § 2 constat. sed gratia habitualis præstat formaliter esse Filium adoptivum, ergo Xptus ut homo. est Filius Dei adoptivus.

Respondeo primo distinguendo maiorem est in Xpto gratia habitualis. ut ipsi communicata per spiritualem generationem nego maiorem ut communicata per modum proprietatis subsequutæ sequella moralis ad gratiam unionis concedo maiorem, & distinguo minorem sed gratia habitualis præstat formaliter esse filium Dei adoptivum. quando est communicata per spiritualem generationem. & proinde est in subiecto ut natura. & non ut proprietas. concedo, minorem quando non est communicata per spiritualem generationem, & proinde non est ut natura sed ut proprietas. seu quasi proprietas nego minorem, & consequentiam.

Et instatur. in natura divina. quæ non tribuit esse filium naturalem cuicumque personæ divinæ, sed solum Verbo divino. quia huic communicatur per generationem naturalem æternam. per quam æternaliter generatur a Patre unde licet eadem natura divina reperiatur in Spiritu Sancto, quia tamen Spiritui Sancto non communicatur per generationem. sed per spirationem æternam perquam a Patre, Filioque procedit. ideo non est Spiritus Sanctus, Filius

Respondeo secundo ad argumentum concessa maiori, distinguo minorem sed gratia habitualis præstat formaliter esse Filium Dei adoptivum, præstat subiecto capaci. concedo. subiecto incapaci nego minorem & consequentiam, filius enim naturalis est incapax essendi filius adoptivus.

Replicabis subiectum capax formæ non potest non esse capax effectus formalis formæ, sed filiatio adoptiva est effectus formalis gratiæ habitualis, ergo si Xptus est capax gratiæ habitualis. est capax filiationis adoptivæ.

Respondeo distinguendo maiorem non potest non esse capax effectus formalis formæ. effectus formalis primarij transeat, effectus formalis secundarij nego maiorem, & distinguo minorem. sed filiatio adoptiva est effectus formalis secundarius gratiæ. concedo. primarij nego minorem, & consequentiam.

§. IX

Alia argumenta solvuntur

Obiicies quarto ex aliquibus testimonijs sacræ paginæ, ex quibus colligi videtur Xptum esse Filium Dei adoptivum. & sit primum ex illo Ioannis. 14. ubi legitur. * Ego, & Pater unum sumus: * & legitur similiter: * Pater maior me est. * & sic

formatur argumentum. ideo ex primo testimonio colligitur Xphum esse Filium Dei naturalem, quia ponitur ly * ego * per correlationem ad Patrem, ita ut sensus sit: Ego Filius, & Pater unum sumus * Sed in secundo testimonio ponitur ly * me * & per correlationem ad Patrem, ergo facit hunc sensum * Pater maior est me Filio * ergo datur in ~~filio~~ Xpto aliqua filiatio secundum quam non adequatur cum Patre, sed hæc filiatio qua minor est Patre, non potest esse filiatio naturalis, ergo est filiatio adoptiva. ergo Xptus est filius Dei adoptivus.

Sit secundum testimonium ex illo Pauli ad Romanos. 8. * Si autem Filij, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Xpti. * ergo Xptus est noster cohæres, ergo, & noster confrater. sed non est noster confrater qua filius naturalis Dei est, alias nos essemus etiam filij Dei naturales, quod est manifeste falsum, ergo est noster confrater qua filius adoptivus Dei, quia confratres sunt fratres ~~eiusdem~~ respectu eiusdem Patris, & cum eadem Filiatione.

Confirmatur, quia in eodem capite vocatur Xptus ab Apostolo * Primo genitus in multis fratribus: * ergo est primus inter filios adoptivos, & per consequens ipse est filius adoptivus. probatur consequentia ex Glosa ordinaria ibidem per hæc verba: * Xptus secundum quod Unigenitus non habet fratres; secundum autem quod Primogenitus fratres dignatus est vocare omnes, qui per eius primatum in Dei gratia renascuntur. * ergo Xptus per gratiam est genitus. & consequenter Filius adoptivus Dei per gratiam

Respondeo ad primum negando minorem, vel illam distinguo. & concedo illam in sensu materiali, & entitativo, & nego illam in sensu formali & reduplicativo. ita enim propositio: * Pater maior me est. in sensu formali est vera, verum in illa ly * me * non reduplicat filiationem, sed humanitatem. unde in Xpto non datur filiatio secundum quam sit minor patre. & proinde nec adoptiva. & proinde si ly me construitur cum ly filio. ita ut sensus sit Pater maior est me filio. ly filio non ~~s~~dicit sensum formalem, sed entitativum, & materialem. quæ explicatio sumitur ex Concilio Francofordiensi, quod respondens Elipando arguenti ex hoc testimonio filiationem adoptivam in Xpto, & interroganti Patribus Concilij cur timerent Patres Concilij Xphum nuncupare Filium adoptivum Dei,? respondit Concilium per hæc verba: * Quia nec Prophetæ, nec Apostoli, nec Doctores Ecclesiæ sic illum appellaverunt: * & replicanti Elipando contra Concilium, & obicienti illi hoc testimonium Ioannis, ubi Xptus ait * Pater maior me est * respondet Concilium per hæc verba * Nam Deus, & homo erat, qui secundum Deum dicebat: Ego & Pater unum sumus,

& Secundum hominem: Pater maior me est: * Unde D. Aug. tract. 78 in Ioannem versans illa verba, ait: * Agnoscamus igitur geminam substantiam Xpti, Divinam scilicet, qua æqualis est Patri, & humanam, qua maior est Pater, utraque autem simul, non duo, sed unus est Xphus. *

Ad secundum testimonium ex illo Pauli ad Romanos 8. Respondeo Xphum non solum esse Filium naturalem Dei, ut subsistentem in divina natura, sed etiam ut subsistentem in humana, non reduplicante ly ut supra naturam humanam, seu non reduplicata vel specificata natura humana, sed ly ut reduplicante suppositum & vel personam, seu ~~[illegible]~~ persona reduplicata, vel specificata. est tamen hæc differentia, quod Xphus ut subsistens in natura divina est Filius naturalis Dei Patris per essentiam, & essentialiter, prout tamen subsistit in natura humana est Filius naturalis Dei Patris per gratiam unionis, & cum hoc modo subsistat in natura nobis specifice simili habet proinde quidquid requiritur, & sufficit ad confraternitatem, unde unde quatenus Filius naturalis per gratiam unionis est Xphus noster confrater, & nos ipsi cohæredes.

Et per hoc patet ad confirmationem Xphus enim attenta generatione æterna, & Filiatione naturali æterna, ut per essentiam ipsi conveniente est Unigenitus, & fratres non habet, prout vero est Filius naturalis Dei Patris, per gratiam unionis factam humanitati, est Primogenitus quatenus ut subsistens in humanitati dignatus fuit conformitatem suæ filiationis nobis communicari, ut explicat D. Thomas ad illa verba Apostoli lect. 6. Secundum collationem gratiæ, per quam, illam recipientes Filiationi Xpti assimilantur non similitudine univoca, & specifica, sed analoga, quia Xphus est Filius naturalis Dei per gratiam substantialem unionis, nos autem Filij adoptivi, per gratiam habitualem accidentalem

Obiicies denique, Xphus ut homo vere, & proprie est servus Dei, ergo etiam ut homo est Filius Dei adoptivus. antecedens est verum, & supponitur ex dictis. consequentia videtur nota a paritate, & ratione probatur primo, quia Xphus quatenus servus, est aliqua ratione Filius, sed ut servus non est Filius naturalis, ergo adoptivus, minor patet quia servitus, & Filiatio naturalis sub eâdem ratione pugnant in eodem supposito.

Secundo probatur eadem consequentia. quia non minus incompatiuntur, & pugnant inter se supremum dominium, & servitus, quam Filiatio naturalis, & adoptiva, sed quamvis persona Xpti quæ Deus, & homo est, sit una, & eadem, potest & est supremus Dominus ut subsistens in natura divina, & servus Dei, ut subsistens in natura humana, ergo similiter non obstante quod sit una, & eadem persona potest esse Filius Dei naturalis, & adoptivus.

Respondeo concesso antecedenti negando consequentiam. et paritatem. ratio autem disparitatis est manifesta, quia ratio Servitutis (utique naturalis, qua Xptus dicitur, & est Servus naturalis Dei) est ratio, & denominatio potens cadere, & denominare naturam, eo quia Servitus naturalis creaturæ ad Deum fundatur in dependentia creaturæ a Deo in esse, fieri, & conservari, & cum humanitas sit vere, & proprie dependens a Deo in esse, fieri, & conservari, utique denominatur Xptus ratione humanitatis vere, & proprie Servus Dei, sicut reduplicative secundum humanitatem est vere, & proprie creatura, licet utraque denominatio non possit absolute & sine addito dici de Xpto. nisi replicata ratione sub qua Xpto convenit; At vero denominatio Filij est denominatio unice potens appellare supra suppositum, & personam, & cum ista sub nulla ratione sit Deo extranea sub nulla ratione, & sub nulla reduplicatione potest dici Filius adoptivus Dei.

Et per hoc patet ad primam probationem respondetur enim negando maiorem. sub ratione sub qua est filius non est Servus, & sub ratione qua sub qua est Servus non est filius, cum sit Servus ratione humanitatis, sub qua, filius non est, cum filius dicat personam, unde & sub ratione sub qua est Filius, Servus non est.

Similiter ad secundam probationem negatur maior, sicut illam in simili argumento negat Angelicus Præceptor 3. ad Anibaldum. dist. 10. q. unica. ar. 3. ad. 2. & ratio disparitatis est manifesta quia Servitus naturalis non dicit implicationem cum aliquo attributo Filij Dei, cum Servitus dici possit de natura creata, cui unitus Filius Dei conservat Filius Dei omnia sua prædicata; Filiatio autem adoptiva dicit implicationem ad attributa Filij Dei naturalis, eo quia Filiatio quælibet unice dici potest de persona, & cum persona Xpti sit Deo inharea, eo quia divina & Filiatio adoptiva exigat extraneitatem personæ, repugnat quod utraque Filiatio coadunetur in una, eademque persona. filiatio insuper adoptiva, importat quod Filius non sit talis, naturaliter, sed gratiose, quod essentialiter repugnat filio Dei naturali.

Quam doctrinam accepimus ab Angelico Præceptore in 3. dist. 10. q. 2. ar. 2. quæstiunc. 5. ad 3. ubi ait: * Dicendum quod Xptus cum dicitur Servus importat subiectionem tantum, unde Xptus secundum quod homo, dicitur Servus, sicut minor Patre, non autem importat acquisitionem per gratiam eius quod ei convenit per naturam, sicut Filius adoptivus. * ergo licet Xptus ut homo dici possit Servus Dei; non tamen potest, etiam ut homo, dici Filius adoptivus Dei.

Articulus. II

Vtrum Xptus, in quantum homo, sit formaliter Filius Dei naturalis?

§ I

Aliquibus praenotatis, referuntur sententiae

Ex eo enim quod Xptus Dominus, ut homo, non sit Filius adoptivus, hac ratione unice attenta, non infertur quod sit Filius naturalis Dei, etenim, Si Pater aeternus, vel Spiritus Sanctus alicui humanitati uniretur in unitatem personae, nec Pater aeternus, nec Spiritus Sanctus in illa hypotesi esset Filius adoptivus, cum neuter esset persona Deo extranea, & tamen neuter esset Filius naturalis Dei, etenim nec persona Patris, nec persona Spiritus Sancti, etiam ut terminans naturam divinam non sit Filius Dei. Unde in praesenti examinandum restat, an Xptus ut homo, sit Filius naturalis Dei?

Deinde, licet certum sit certitudine fidei, eo modo quo etiam est certum mirabile hoc Incarnationis mysterium, consistens in unione naturae divinae, & humanae in una, & eadem persona Verbi, quae Filius Dei naturalis est; Xptum ut hominem in sensu materiali, & identico esse Filium Dei naturalem, etenim hoc modo Xptum ut hominem esse Filium Dei naturalem, nil aliud est quam personam Verbi terminantem humanitatem, esse Filium Dei naturalem, Sed hoc est immediate de fide, ergo & Xptum ut hominem in sensu materiali, & identico esse Filium naturalem Dei, est etiam immediate de fide. & constat ex illo Ioann. 1. *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre.* unde nullus theologorum negat Xptum ut hominem saltim in sensu materiali, & identico esse Filium Dei naturalem.

Difficultas ergo praesens devolvitur ad examinandum an non solum in sensu materiali, & identico, sed etiam in sensu formali, sit vera haec propositio: *Xptus ut homo est Filius naturalis Dei?* unde in titulo articuli consulto ponitur illa particula *formaliter.*

Ceterum pro difficultatis intelligentia, & sententiarum diversitatis cognitione notandum est, quod illa particula ut, vel in quantum, & potest sumi specificative, & potest sumi reduplicative, & cum appellet supra illum terminum homo, qui est terminus concretus, & proinde constans ex duobus extremis unitis, quorum unum se habet ut forma, vel quasi forma, & aliud ut materia, vel quasi, nempe ly homo constat, & ex persona Verbi, terminante

humanitatem, & ex humanitate ab eadem persona Verbi terminata, ly inquantum potest appellare & supra personam ut terminantem, & supra humanitatem ut terminatam, quibus praenotatis

Prima sententia docet Xptum, ut hominem sive inquantum hominem, non esse Filium Dei naturalem, ly ut, vel inquantum determinante naturam, vel determinante personam, vel suppositum specificative, aut reduplicative ut in humanitate subsistit; unde ista sententia negat quod in sensu formali sit verum dicere Xptus inquantum homo est Filius Dei naturalis. ita Franciscus del Castillo in praesenti disp. 17. q. 1. parte. 4. & pro illa refert omnes illos, qui docent, retenta unitate personae in Xpto, esse Filium Dei adoptivum.

Secunda sententia docet Xptum ut hominem esse Filium Dei naturalem in sensu formali, ly ut, vel inquantum reduplicante humanitatem Verbo substantialiter coniunctam, ut fundamentum Filiationis naturalis. ita Petrus Hurtado disp. 88 sect. 5. subsect. 11.

Tertia sententia docet Xptum ut hominem, esse formaliter Filium Dei naturalem, ly ut, vel inquantum non reduplicante naturam ut fundamentum Filiationis naturalis; sed specificante naturam ut subiectum sanctificationis moralis a persona Verbi ipsi unitae ex qua sanctificatione docet ista sententia quod consurgit naturalis Filiatio. ita P. Suarez, disp. 19. sect. 1. P. Vazquez disp. 89. cap. 14. Beccanus cap. 18. q. 5.

Quarta sententia docet Xptum ut hominem non esse formaliter Filium Dei naturalem, ly ut, reduplicante, vel specificante suppositum, vel naturam, docet tamen esse Filium proprium; & verum Dei ly ut vel inquantum reduplicante unionem humanitatis ad Verbum ut fundamentum huius filiationis ita Bernal disp. 66. sect. 3. qui ex proprio cerebro primus inventor est huius sententiae, quasi aliud sit esse Filium proprium, & verum, aliud esse Filium naturalem, quem postea alij novitatis amatores in suis scriptis sequuti sunt.

Quinta denique, & vera sententia docet Xptum, ut hominem, ly ut reduplicante, vel specificante naturam, non esse Filium Dei ullo modo, esse tamen Filium Dei naturalem, proprium, & verum, in sensu rigoroso, & formali, ly ut specificante suppositum, vel personam terminantem humanitatem, filiatione fundata in generatione aeterna, per gratiam unionis humanitati communicata, ita Albertus Magnus, D. Bonaventura, Paludanus, Capreolus, & omnes Thomistae, quos refert & sequitur Ill. Godoi in praesenti disp. 54. per totam & plures ex Patribus Societatis, praesertim Eminentiss. Lugo disp. 31. sect. 2. & 3. Maguna disp. 28. & plures ex discipulis Subtilis Doctoris, ut Faber in 3. disp. 23. & alij =

§ II

Statuitur prima conclusio

Sit prima conclusio: Xptus, in quantum homo non est Filius Dei naturalis, ly in quantum reduplicante humanitatem Verbo substantialiter coniunctam, filiatione fundata in eadem humanitate, ut unita Verbo; est hæc conclusio contra secundam relatam sententiam, & est communis Theologorum.

Ratione suadetur. quia Filiatio naturalis petit fundari super actionem naturalem, non autem liberam, & voluntariam, sed actio productiva humanitatis, & univa eiusdem humanitatis ad Verbum non sunt actiones naturales, sed utraque est libera, & voluntaria Deo ergo filiatio naturalis fundari nequit super illas. minor est manifesta, & consequentia infertur. maior autem, est omnium Phylosoforum, & Theologorum communis, & per consequens conclusio nostra est certissima.

Rursus quia filius naturalis est ille, qui a Patre per generationem naturalem procedit; sed Xptus ratione humanitatis unitæ Verbo non procedit a Deo per generationem naturalem, sed a Deo creante humanitatem, illamque Verbo uniente. ergo Xptus ut homo non est filius naturalis Dei ratione humanitatis ut unitæ Verbo. maior est nota, & minor similiter cum generatio iuxta omnes deffiniatur & sit origo viventis, a vivente coniuncto in similitudinem naturæ. Sed humanitas ut unita Verbo non procedit a Deo ut vivens a vivente coniuncto in similitudinem naturæ. ergo ut homo ratione naturæ humanæ non procedit a Deo per generationem.

Ulterius probatur conclusio: Quia Xptus, ut homo non est, nec potest dici Filius naturalis SS. Trinitatis, sed si Xptus, ut homo esset Filius naturalis Dei ratione humanitatis ut unitæ Verbo, esset Filius naturalis SS. Trinitatis ergo non est filius naturalis Dei filiatione fundata in eadem humanitate, ut unita Verbo. maior ex dicendis constabit, & minor est ita nota ut ab autore contra quem in præsenti non reputetur inconveniens concedi, & per se est manifesta relatio enim super aliquam actionem fundata, respicit ut terminum id ipsum quod est talis actionis principium, & proinde relatio creaturæ ad Deum, quia super actionem creativam fundatur, respicit ut terminum Deum, ut tribus personis unum, & communem, quia prout sic est talis actionis principium. ergo si filiatio naturalis qua Xptus est naturalis filius Dei fundatur super actionem creativam humanitatis, & unitivam eiusdem humanitatis ad Verbum, cum utraque ista actio sit a Deo ut uno, & comuniter trinitati, Deus ut unus erit terminus inspectus a filiatione Xpti, & consequenter Xptus ut homo erit filius totius SS. Trinitatis. quod esse plusquam falsum videbimus.

§. III

Fundamentum contrarium solvitur.

Movetur P. Hurtado unicus Patronus contrariæ sententiæ ex eo quia Xphus, ut homo, humanitate ut unita Verbo, reduplicata, generatur a Deo, generatione naturali propria viventium. ergo Xphus, ut homo, est filius naturalis Dei filiatione fundata in humanitate ut unita Verbo. probatur antecedens, quia Xphus ut homo, humanitate reduplicata, procedit a Deo, ut vivens, a vivente, ut perse est notum, cum humanitas vivat, et Deus. deinde procedit principio coniuncto, quia Deitas magis coniuncta est Xpto ut homini, reduplicata humanitate unita Verbo, quam sit quilibet Pater creatus coniunctus suo filio, cum eidem coniungatur ille medio semine esse deciso, et realiter a Patre distincto, denique ut homo procedit in similitudinem naturæ, ratione humanitatis, cum ratione illius sit homo intellectualis, unde dixit Deus * faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram. * quæ similitudo iuxta D. Aug. et Ecclesiæ Patres, est talis cum Deo non solum ratione gratiæ. sed ratione naturæ intellectualis.

Vnde ex hac sua ratione sumit solutionem ad fundamenta nostra, supra, pro nostra conclusione stabilienda, proiacta. ad primum ergo respondet distinguendo maiorem, et illam concedit de filiatione naturali stricta, et illam negat de filiatione naturali in lata significatione, unde docet quod solum sequitur quod Xphus non sit ut homo filius Dei naturalis, in stricta acceptione, est tamen filius Dei naturalis, in lata acceptione.

Ad secundum fundamentum respondet negando minorem. et rationem reddit, illam, quæ modo formata est pro stabilienda sua sententia. Ad tertium autem concedit sequellam, in minori contentam, quam non reputat inconveniens, unde negat maiorem.

Sed quis non irrideat futile fundamentum, quo iste novus inventor movetur. ad relinquendam communem theologorum sententiam. et communem modum loquendi Sanctorum Patrum. et in re adeo gravi, temeritate non vacat.

Respondeo ergo ad suum apparens fundamentum negando antecedens, et ad probationem, similiter defficit antecedens. quoad omnes suas partes. unde distinguo primam partem Xphus ut homo, humanitate reduplicata, procedit a Deo per actionem naturalem, quæ generatio sit, nego, per actionem liberam, quæ producitur creativa et per actionem unitivam, voluntariam, et gratiosam concedo. deinde distinguo secundam partem, procedit principio coniuncto, coniunctione substantiali, dante, et causante perse termini similitudinem nego antecedens. concomitanter se habente, ad similitudinem, talem qualem, quæ est intermino concedo.

Ad generationem naturalem enim, requiritur quod sit a principio coniuncto, coniunctione per se dante, & causante termini Similitudinem, utique athomam quo pacto processio Spiritus Sancti a Patre, & Filio, generatio non est, quia licet procedat principio coniuncto, processio non causat perse similitudinem, sed ad similitudinem se habet processio qua ab utroque procedit Spiritus Sanctus concomitanter & identice, etenim coniunctio quę exigitur in principio viventis, cum termino a se producto est illa, per quam genitus sit de substantia generantis, productus ut similis, & Xpus ut homo, redeuplicata humanitate ut unita cum Subsistentia Verbi, non est talis ut per eam dici possit Xptum ut hominem esse de substantia Dei, humanitas enim non est ex substantia Dei, qua ratione utitur D. Thomas 4 Contra g. cap. 47. per hęc verba: * Spiritus Sanctus non potest dici Pater Xpti secundum generationem humanam, sicut Virgo dicitur Mater eius: Spiritus enim Sanctus non produxit humanam ~~naturam~~ Christi naturam ex sua substantia * & similiter 1. p. q. 41. ar. 3. ait: * Hoc autem differt inter generationem veram, & factionem, quod faciens, facit aliquid de exteriori materia; homo autem generat filium de se ipso.

Rursus contra hanc eamdem facit; quia si coniunctio humanitatis ad Verbum esset sufficiens, ut Xpus quatenus homo, redeuplicata humanitate ut unita diceretur genitus & filius naturalis, sequeretur quod Xpus quatenus homo esset magis proprie, filius sui ipsius quam Patris, & Spiritus Sancti, sed hoc dici non potest cum omnis actio ad extra sit toti Trinitati communis, sequella autem est nota, cum humanitas magis coniungatur Verbo, quam Patri, aut Spiritui Sancto etenim ab illis personaliter distinguitur. & non distinguitur personaliter a Verbo.

Denique distinguo etiam tertiam partem antecedentis, procedit in similitudinem naturę, similitudine analoga, concedo similitudine specifica, athoma & univoca nego. & hęc ultima similitudo requiritur ad generationem viventium, ut docet Arist. 8. Ethic. cap. 12. & lib. 1. de generatione animalium. cap. 1. & 2. & in 7. Meth. cap. 8. & ibidem D. Th. lect. 7. & sic communiter Philosophi & Theologi, alias si similitudo analoga sufficeret, vermes qui generantur in homine, ex humore putrido essent illius filij. & omnes homines essent filij naturales Dei, & Spiritus Sanctus esset filius Patris, & Filij.

Nec iuvant huic authori solutiones ad nostram rationem, non prima, tum quia solum admittit in Xpto filiationem naturalem lato modo acceptam, quod est contra communem modum loquendi, tum, quia ideo iste autor relinquit tertiam sententiam relatam quia ipse dicit

quod deserenda non est communis ratio quam Phylosofi recognoscunt in filio, a qua communi ratione defficit, inquit ipse, tertia sententia eo quod adstruit filium naturalem non procedentem a Patre in similitudinem naturę, sed solum similem ratione sanctificationis. & inquit ipse, non est recedendum a communi consensu, sed etiam est communis consensus Phylosoforum. & Theologorum, quod generatio sit actio naturalis, non autem sufficiat actio libera, voluntaria, & gratiosa. ergo eadem ratione est relinquendus ipse.

§. IV.

Statuitur secunda conclusio.

Sit secunda conclusio: Xptus, ut homo, non est Filius naturalis Dei filiatione fundata in sanctificatione substantiali humanitatis a Verbo, ly ut, specificante humanitatem, & reduplicante sanctificationem. Vest contra tertiam relatam sententiam.

Probatur primo ex D. Thoma in hac 3. p. q. 32. ar. 3. in corp. ubi ait: * Xptus autem est Filius Dei secundum perfectam rationem Filiationis, unde quamvis secundum humanam naturam sit creatus, & iustificatus non tamen debet dici Filius Dei, nec ratione creationis, nec ratione iustificationis, sed solum ratione generationis ęternę, secundum quam est Filius Patris solius. *

Ratione probatur conclusio quia forma pręstans filiationem naturalem, debet esse naturalis, sed forma seu quasi forma sanctificans substantialiter humanitatem Xpti, non est naturalis Xpto homini. sed est gratiose illi ut homini unita, ly ut specificante naturam humanam ut subiectum sanctitatis. ergo conclusio est vera ut iacet. pręmissę sunt notę, & consequentia infertur. & deinde maior potest suaderi ex deffinitione generationis naturalis, quę modo debet supponi.

Ulterius ideo Xptus ut homo non est Filius adoptivus ratione sanctificationis pręstitę humanitati per gratiam habitualem, quia hęc est quędam imperfecta, & imitativa filiatio, & proinde repugnans cum Filiatione perfecta quę reperitur in Xpto, ut homine; sed etiam filiatio naturalis, si talis posset dici, quę pręstatur a forma, seu quasi forma sanctificante substantialiter humanitatem Xpti est imperfecta, & imitativa filiatio, ut fatentur authores Patroni sententię quam impugnamus, ergo non habet locum in Xpto in quo est vera, propria, & naturalis filiatio, adstructa, & stabilita ab Adriano, & ab ipso, & concilio Francofordiensi deffinita contra Elipandum

Denique quia filiatio quę Xpto ut homini posset convenire ratione sanctificationis, cum sit fundata in gratiosa

& libera communicatione & unione formæ seu quasi formæ sanctificantis substantialiter humanitatem, potius deberet reduci ad filiationem adoptivam, quam ad naturalem. Sed Xphus nullo modo potest dici filius adoptivus, ergo nullo modo est Filius ratione huius sanctificationis substantialis.

§. V

Dilluitur contrarium fundamentum

Fundamentum quo moventur ad tuendam sententiam quam impugnamus, reducitur ad hoc. Nam Xphus, ut homo, ratione Divinitatis sanctificantis humanitatem est Filius Dei, sed non adoptivus, ergo naturalis. maior probatur quia ratione Divinitatis humanitatem sanctificantis, est Xphus hæres bonorum, & hæreditatis divinæ sed esse hæredem est idem ac esse Filium, iuxta illud Pauli ad Rom. 8. 7 Si Filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Xphi. ergo

Ulterius, non alia ratione gratia habitualis constituit hominem filium Dei adoptivum, nisi quia illum constituit hæredem hæreditatis divinæ, cum iure videlicet ad visionem beatificam, Sed gratia unionis, seu Deitas sanctificans humanitatem Xphi constituit illum hæredem, ergo & Filium, sed non adoptivum, ergo naturalem.

Respondeo hoc fundamentum esse valde tenue, & fictile. unde mirum est quod ex illo moveantur Autores, alias sapientissimi, ad communem sententiam deserendam, & viam novam aperiendam, in re adeo gravi. Respondetur ergo negando maiorem. & ad probationem nego minorem, quam non convincit testimonium Divi Pauli ex illo enim solum convincitur, quod omnis Filius est hæres, non autem convincitur quod omnis hæres sit Filius, ut patet & instatur in multis exemplis. Spiritus enim Sanctus est hæres. & non est filius, consanguinei in naturalibus sunt ad invicem hæredes unius videlicet respectu alterius, & econtra, & tamen ad invicem non sunt Filij

Ad secundum nego causalem maioris, sed ideo, & quia gratia communicatur personæ extraneæ, & quia communicatur per modum naturæ.

§. VI

Statuitur tertia conclusio

Sit tertia conclusio: Xptus, ut homo, non est Filius proprius Dei, ly ut, reduplicante humanitatem ut coniunctam Verbo. est hæc conclusio contra quartam supra relatam sententiam.

Pro hac nostra conclusione stabilienda aliam conclusionem statuere oportet. unde sit:

§. VII.

Stabilitur identitas inter hoc quod est Xptum esse Filium proprium, & naturalem.

Sit quarta Conclusio: Non licet distinguere in Xpto Filiationem propriam, & veram, a naturali.

Probatur hæc conclusio, & simul tertia præcedens conclusio. Filius proprius & Filius naturalis sunt omnino unum, & idem. Sed Xptus, ut homo, ly ut reduplicante naturam humanam, non est Filius Dei naturalis, ergo nec proprius. minor conceditur ab Authore novitatis inter distinctionem utriusque filij, & deinde constabit nostram affirmativam stabiliendo conclusionem. probatur ergo maior. quia omnes Theologi, tam antiqui, quam moderni, præter unum P. Bernal semper pro eodem intellexerunt Xptum esse Filium proprium Dei, & Filium naturalem Dei, Sed in re tam gravi & theologica non licet novas verum significationes introducere, & novas distinctiones stabilire, ergo Filius proprius & Filius naturalis sunt in Xpto unum & idem, & proinde non licet distinguere inter utramque filiationem in Xpto.

Rursus, & urgentissime probatur ista conclusio. Xptum, ut hominem esse saltim in sensu materiali, & identico Filium Dei naturalem, est de fide, ut fatetur ipse P. Bernal, & constat ex Concilio Francofordiensi, Sed nisi affirmetur, quod Concilium hoc, supponit Filiationem naturalem in Xpto & filiationem propriam esse idem, non potest convinci ut de fide diffinitum a Concilio francofordiensi Xptum ut hominem in sensu identico esse filium Dei naturalem, ergo est. quia in Xpto utraque filiatio non est quid distinctum. minor constat legendo Concilium, quod semper quod loquitur de filiatione Xpti, tum excludendo filiationem adoptivam, tum veram in Xpto stabiliendo filiationem, semper illum appellat filium proprium, & verum Dei numquam autem utitur hoc nomine, naturalis, unde & Adrianus I in Epistola ad Episcopos Hyspaniæ, etiam utitur de ly proprius filius, non autem de ly naturalis.

Respondet quod colligitur prædicta propositio de fide, quia Concilium illum appellat Filium verum,

Sed Contra, quia filius proprius, non est filius fictus, & adumbratus ergo est verus, Sed verus est idem quod naturalis loquendo in Xpto, ergo & filius & filius proprius est naturalis.

§. VIII.

Fundamentum contrarium solvitur.

Fundamentum P. Bernal pro sua sententia singulari stabilienda, quod utique militat contra nostram tertiam, & quartam conclusionem, sumitur præcipue ab authoritate, & sic formatur. quia Xptus, ut homo, in sacris litteris, & concilijs, non appellatur Filius naturalis, sed proprius, ergo solum debet affirmari in sensu formali. Filius proprius, & non naturalis, sed reduplicative, ut homo vocatur filius proprius, ergo Xptus ut homo, ly ut reduplicante humanitatem ut unitam Verbo, est filius proprius Dei formaliter. probatur antecedens, ex illo Pauli ad Rom. 8. * Qui proprio Filio suo non pepercit. * & probatur etiam ex Concilio Francofordiensi, ubi pluries vocatur Xptus ut homo filius proprius Dei. etenim in secundo libro sacro syllabo dicitur: * Vocabitur filius Dei, non adoptivus, sed verus, non alienus, sed proprius. * & Adrianus I. in Epist. ad Ep. Hisp. ait: * illum, nimirum, qui traditus est, idest, hominem ipsum Apostolus proprium Dei Filium protestatur. *

Ulterius, quia in scriptura, & concilijs si aliquando vocatur Filius, est cum illo pronomine meus, ut ex illo Math. 3. hic est Filius meus dilectus. & Math. 21. verebuntur Filium meum, vel illo pronomine tuus, ut ex illo Ioann. 17. Pater clarifica Filium tuum. in quibus locis optime congruit illud appellativum proprius. ergo est qua ut homo est Filius proprius.

Deinde probat primam consequentiam, quia Filius proprius, in Xpto, distinguitur, a naturali. assumptum probat ex Hugone de Sancto Victore tomo 3. in Apologia de Verbo Incarnato cap. 2. ubi ait: * Filius tribus modis dicitur: Adoptione, ut nos per fidem, scilicet, vivam: Susceptione, ut Mediator, scilicet homo assumptus. Natura, ut Verbum, quod eadem natura est cum Patre; non persona, & eadem persona cum Mediatore, non substantia * ergo præter filiationem naturalem, & adoptivam est alia filiatio media, ergo est filiatio propria, quæ nec naturalis, nec adoptiva est.

Deinde probat minorem subsumptam, quia Apostolus sub ea ratione appellat Xptum Filium proprium Dei, sub qua affirmat quod Deus illi non pepercit. ait enim: * qui propro Filio suo non pepercit: * sed illi non pepercit. sed tradidit illum ut homo est, ly ut reduplicante humanitatem ratione cuius pati, & mori potuit, non autem illi non pepercit ut Deus. nec illum ut Deum morti tradidit, cum hoc sit impossibile. ergo Xptus solum ut homo, est Filius proprius Dei formaliter, ly ut reduplicante humanitatem.

Sed quis non miratur audaciam huius authoris, & cuiusque alterius, qui illum sequi non veretur, ut tam sine fundamento studeat introducere novitatem in re tam gravi. contra communem consensum theologorum!

Testimonia ergo ex Sacra pagina, & ex concilio, non magis filiationem propriam, quam naturalem suadent, cum si ex illis non suadeatur filiatio naturalis in Xpho, non erit unde probetur ut immediate de fide Xphum, ut hominem esse in sensu materiali, & identico Filium Dei naturalem. quod non audebit dicere, qui profiteatur se catholicum esse.

Deinde testimonia praeiacta, ut ab adversario adducuntur nec filiationem propriam nec naturalem, suadent, in Xpho ut homine, ly ut reduplicante humanitatem ut unitam. quod praeter dicta, suadetur ex eo quod filiatio nulla ~~[illegible]~~ denominat naturam immediate, sed personam & ratione illius naturam.

Tum quia alias sequeretur Xphum ut hominem esse Filium SS. Trinitatis, consequens est contra concilia, & Sanctos Patres. ergo & illud ex quo sequitur. sequella probatur. quia Filiatio quaelibet, cum sit relatio super actionem fundata respicit ut terminum principium elicitivum actionis, sed Filiatio conveniens Xpho ut homini, ly ut reduplicando humanitatem ut unitam Verbo fundatur in actione productiva humanitatis, & unitiva illius cum Verbo, quae actiones sunt a Deo ut toti trinitati communi, ergo esset Xphus Filius totius SS. Trinitatis. falsitas autem consequentis constat. ex D. Aug. in Enchiridione. cap. 38. & lib. 2 de Trinit. cap. 10. ubi probat Sanctus Parens vocem illam: * Tu es Filius meus dilectus * etsi a tota Trinitate sit prolata: (operationes enim ad extra sunt communes toti Trinitati) solam Patris aeterni denotare personam, & rationem assignat Sanctus Doctor: * Nec enim Iesus, etiam Spiritus Sancti Filius (verba sunt D. Aug.) aut etiam suus Filius credi, aut intelligi potest * ex quibus verbis D. Augustini moti sunt Patres Concili Toletani 11. ad diffinitionem sequentem decernere unde referens concilium verba Augustini ait: * ~~[illegible]~~ Nam Xphus Iesus nullo modo Spiritus Sancti Filius credi, aut intelligi potest, ne duos Patres Filij videamur concedere quod nefas est dictu. * idem docet D. Tho. contra g. cap. 47. & in hac 3. p. q. 32. ar. 3. & alibi. ergo consequens est contra Sanctos Patres & Concilia.

Et per hoc patet solutio ad primum fundamentum dessumptum ab authoritate Sacrae paginae, & Concilij Francofordiensis.

Ad authoritatem dessumptam ex Hugone de Sancto Victore. respondeo non distinguere ibi triplicem filiationem, sed duplicem, adoptivam nempe, & naturalem, & huius assignat duos modos conveniendi. quorum unus & praecipuus, est per naturam, alius per gratiam, seu per gratiossam unionem & comunicationem eiusdem filiationis naturalis Verbi ad naturam humanam.

qua ratione convenit Xpto ut subsistenti in humanitate, unde ex prædicta authoritate non convincitur nisi communis Theologorum sententia. non autem quod intenditur ab adversario.

Ad probationem minoris respondeo negando maiorem, quia ly pepercit, & ly tradidit, non sunt particulæ appellative, & reduplicative, unde ex eo quod Apostolus affirmet Deum non pepercisse proprio Filio suo, sed pro nobis illum tradidisse, non sequitur quod illi non pepercisset reduplicative ut Filio. nec quod fuit traditus reduplicative ut Filius. Sed sensus est quod Deus non pepercit illi homini qui erat proprius Filius suus, & quod tradidit pro nobis illum qui erat Filius suus.

Quam doctrinam tenetur admittere adversarius, nam ipse fatetur quod forma qua Xptus ut homo constituitur Filius proprius Dei non est sola humanitas, sed humanitas ut unita. in qua reduplicatione. unio importatur pro recto constituente ut forma filiationem. & unio humanitatis ad Verbum non est ratio formalis ob quam fuit Xptus morti, & passioni traditus. sed sola humanitas unione & personalitate identice se habentibus.

§. IX

Conclusione affirmativa vera sententia stabilitur

Sit conclusio ultima, & explicativa nostræ, & communis sententiæ: Xptus, ut homo, seu inquantum homo, per gratiam unionis, est formaliter Filius naturalis Dei, ly ut, seu inquantum determinante in recto, non naturam humanam, sed personam, vel suppositum in illa subsistens, non reduplicative ut subsistens, sed specificative subsistens in humanitate. est iuxta quintam relatam sententiam.

Prima pars conclusionis probatur primo, quia hæc propositio * Xptus, inquantum homo, est Filius Dei naturalis * multoties est affirmata in concilio Francofordiensi, & ab Adriano I. in Epistola ad Episcopos Hispaniæ quæ continetur in eodem Concilio, sub nomine proprij Filij, quod est idem ac naturalis, ut iam est ostensum. Sed ut sit vera, requiritur, quod talis propositio sit vera, non solum in sensu materiali, & identico, sed in sensu formali, stricto & rigoroso; ergo Xptus in quantum homo, est formaliter Filius Dei naturalis. probatur minor. hæc propositio: * Xptus, inquantum homo, est Filius naturalis Dei * aliquid addit ad istam propositionem: * Xptus homo est Filius naturalis Dei * ista secunda sine particula inquantum. Sed hæc secunda exigit ad sui veritatem quod Xptus homo, sit saltim identice, & materialiter Filius Dei, ergo prima ad sui veritatem desiderat esse Filium Dei, ut hominem. in sensu formali stricto, & rigoroso.

Probatur secundo eadem pars: id convenit perse, & formaliter, ex gratia Unionis Christo, ut homini, quod per se, & formaliter, exigitur ab unione hypostatica humanitatis ad Verbum; Sed Verbum ut est Filius naturalis Dei, exigitur perse, & formaliter ab hac unione; ergo Christus ut homo per gratiam unionis, per se, & formaliter est Filius naturalis Dei. probatur minor primo, quia Unio hypostatica per se, & formaliter exigit unire humanitati Verbo, ut Subsistenti in natura divina, ipsi per eternam generationem communicata, Sed Verbum ut sic Subsistens est Filius Dei naturalis, proprius, & verus, ergo vera est minor. Secundo quia Unio hypostatica, licet immediate non fuerit facta in natura divina, tamen fuit ad illam mediate terminata, Sed non ad naturam ut communem tribus personis, ergo ut in Filio, Sed natura ut in Filio, est & habetur per eternam generationem; unio ergo hypostatica perse exigit terminari saltim mediate ad naturam divinam ut per eternam generationem Verbo communicatam, & consequenter perse, & formaliter exigit Verbum, ut est Filius naturalis Dei.

Tertio probatur eadem minor quia Xpus est persona composita, non solum ex Subsistentia Verbi, & ex humanitate, Sed ex divina, & humana natura, ut cum Angelico Magistro ostensum est Supra disp. 5. ar. 1. § 2. Sed Xpus non componitur ex natura divina, ut est tribus divinis personis communis, ergo componitur ex illa ut in secunda persona. Sed prout sic habetur per eternam generationem, ergo unio hypostatica exigit per se, & formaliter, quod humanitas uniatur Verbo divino, ut est Filius naturalis Dei.

Secunda autem pars conclusionis ex dictis articulo precedenti constat, quia denominatio Filij non potest convenire in recto nature, Sed Supposito. ergo Xpus inquantum homo non est Filius Dei naturalis, ly inquantum determinante in recto naturam humanam.

Ex quo tertia pars probatur, ergo ly inquantum, cum suam appellationem exerciteat circa ly homo, & homo sit concretum, & in concreto & sit natura, & sit Suppositum. Si non appellat Supra humanitatem ut ostensum est, debet ly inquantum appellare Supra Suppositum Xpti, ut subsistens in humanitate, illamque terminans, & personans, tunc sic ulterius, Sed ly inquantum non appellat Supra Suppositum ut subsistens in humanitate, ly ut reduplicative sumptum, ergo appellat Supra Suppositum specificative sumptum, consequentia infertur, & hec ultima minor suadetur, quia Xptum ut in humanitate Subsistentem reduplicative, esse Filium Dei naturalem, est esse Filium Dei naturalem quia Subsistit in humanitate, ut patet ex exponentibus huius reduplicative, Sed non est Filius Dei naturalis, quia in humanite Subsistit, ergo non appellat Supra Suppositum reduplicative

reduplicative. ergo appellat supra suppositum subsistens in humanitate specificative sumptum. quo pacto idem sonat, ac dicere suppositum subsistens in humanitate est Filius Dei naturalis, seu quod Persona Verbi gerens vices personæ humanæ est capax suscipiendi denominationem formalem Filij naturalis Dei. Sicut Petrum in quantum capillatum esse crispum. ly inquantum specificante petrum, est dicere quod Petrus ratione capillorum est capax recipiendi denominationem formalem Crispitudinis, quæ ipsi convenit secundum capillos. ut in simili docet D. Th. in hac 3. p. q. 29. ar. 2.

Denique probatur conclusio. Ut Xptus ut homo, sit capax attenta gratia unionis, denominationis formalis Filij naturalis Dei, & revera sit formaliter Filius naturalis Dei, nil aliud requiritur, nisi quod per gratiam Unionis habeat sibi unitam, & communicatam formam, seu quasi formam constitutivam Filij Dei naturalis, sed Xptus, ut homo, illam sic habet, ergo ut homo est formaliter Filius naturalis Dei. minor constat cum per gratiam unionis habeat sibi unitam personalitatem Verbi, & naturam divinam ut est in Verbo per generationem æternam, quæ utique ut sic est forma, seu quasi forma constitutiva Filiationis naturalis Dei.

Confirmatur. quia sola Divinitas est forma, seu quasi forma Sanctificans substantialiter, & humanitas attenta gratia unionis habet sibi unitam Divinitatem, humanitas est formaliter Sancta Sanctificatione substantiali, ergo quia eadem divinitas cum persona Verbi constituit Verum Filium naturalem Dei, & huminitas utrumque habet, attenta gratia unionis, hic homo, designato Xpto est formaliter per gratiam Unionis Filius naturalis Dei.

§ X

Obiectionibus fit satis

Obiicies primo: Si Xptus, ut homo, per gratiam unionis, esset formaliter Filius Dei naturalis, haberet formaliter, ut homo, unitam Filiationem naturalem Dei, Sed ut homo illam non habet formaliter, ergo. probatur minor Cui non est unitum fundamentum proximum Filiationis naturalis, non est unita formaliter ipsa Filiatio: Sed hoc fundamentum non est unitum humanitati Xpti. ergo. probatur minor. Fundamentum est generatio passiva. Sed hæc illi non est unita. ergo. probatur minor. ut generatio passiva sit unita humanitati, requiritur, quod Xptus formaliter ut subsistens in humanitate sit genitus a Patre per æternam generationem. Sed hoc non verificatur. ergo. probatur minor quia Xptus ut homo non est genitus ab æterno, sed temporaliter.

Respondeo semper negando minorem, & ad probationem huius ultimæ minoris distinguo antecedens, est genitus temporaliter ut homo, ly ut determinante humanitatem, concedo, ly ut determinante totum complexum, constans ex humanitate, & Supposito nego. Xptus enim est quid complexum, constans ex Verbo, & humanitate, istud complexum ratione unius extremi, nempe ratione Personæ Verbi Divini, est genitum ab æterno, licet hoc extremum sit temporaliter unitum humanitati.

Obiicies secundo, Xptus, in quantum homo, non est formaliter Deus, ergo inquantum homo non est formaliter Filius Dei naturalis.

Respondeo distinguendo antecedens: ly inquantum appellante supra humanitatem secundum se, concedo antecedens: ly inquantum determinante suppositum ut unitum specificative humanitati nego antecedens, & consequentiam.

Replicabis iuxta D. Th. in hac. 3. p. q. 16. art. 11. & 12. hæc propositio: * Xptus inquantum homo, est Deus * est magis neganda, quàm concedenda: ergo etiam magis debet negari, quam concedi, quod Xptus, ut homo est formaliter Filius Dei naturalis.

Respondeo ex Caietano ibidem, distinguendo antecedens: si absolute profertur illa propositio, concedo antecedens; si apponitur, vel intelligitur alia particula, nimirum ista: * per gratiam Unionis * nego antecedens, tunc enim debet simpliciter concedi, illa propositio. unde & distinguo consequens sub eisdem terminis. Alia argumenta omitto, quia ex dictis facile dilui possunt.

§ XI.

Corollaria ex dictis.

Inferes primo: Xptum ut hominem esse Filium naturalem Solius Patris æterni, nullo vero modo totius Trinitatis, vel Solius Spiritus Sancti, vel Solius Verbi Divini, ut in natura divina subsistentis.

Inferes secundo: Relationem Filiationis, qua Xptus refertur ad suam Sanctissim Matrem Virginem Mariam, esse relationem rationis, quia ut supra dicebamus omnis filiatio denominat suppositum, & suppositum Xpti cum sit Deus, non potest referri realiter ad Matrem, alias intempore ipsi conveniret aliquod prædicatum reale, & accidentale quod ab æterno non habuit.

Inferes tertio, quod si Pater æternus, intempore assumeret aliquam humanitatem, v.g. & fieret homo,

eo modo quo de facto Verbum divinum, Secunda Sanctissimæ Trinitatis persona est factum homo Pater æternus ut homo, in illa hypotesi, non esset Filius Dei naturalis nec respectu sui, nec respectu Sanctissimæ Trinitatis, esset autem ut homo, per gratiam Unionis, Pater naturalis Dei, ly ut non determinante naturam humanam, sed determinante Suppositum, terminans specificative, non reduplicative humanitatem. hoc ~~collarari~~ Corollarium suadetur eisdem rationibus quibus probata remanet nostra affirmativa conclusio.

Denique inferes, quod Si Spiritus Sanctus in tempore assumeret aliquam humanitatem, v. g. & fieret homo, modo quo de facto Verbum caro factum est, in illa hypotesi, Spiritus Sanctus homo, ut homo, non esset Filius naturalis, nec adoptivus Dei, esset autem ut homo, Spiritus Dei, ly ut non determinante humanitatem, sed determinante Suppositum, humanitati unitum, non reduplicative, sed specificative quod corollarium etia eisdem rationibus ac nostra conclusio affirmativa suadetur.

DISPVTATIO XXVII

DE PRAEDESTINATIONE XPTI DNI

ad q. 24. D. Th.

Articulus. I

Vtrum Hic homo Xptus sit proprie, & in sensu formali Prædestinatus, qua homo, ad esse Filium naturalem Dei?

§. I

Praemittuntur certa

Propositionem istam: * Christus, ut homo est a Deo Prędestinatus Filius naturalis
Dei: * esse veram in aliquo sensu, est certum de fide, & probatur ex illo Pauli ad Rom.
1. * Qui prędestinatus est Filius Dei in virtute: * et suadetur etiam ratione, qua in pręsenti ar. 1. utitur D. Th. Quia omne quod in tempore fit in ordine gratię, est a Deo prędestinatum, etenim ratione immutabilitatis divinę, nequit in tempore ordinatio divina
incipere; sed in tempore per gratiam Unionis factum est quod Deus esset homo, & homo esset Deus, ergo hoc est ab æterno prędordinatum. Sed divina prędordinatio eorum,
quę per gratiam fiunt dicitur, & est prędestinatio. ergo in aliquo vero sensu est verum
dicere quod Xptus est prędestinatus Filius Dei naturalis.

Quod vero in dubium vocatur est an prędicta propositio sit vera stricte, in sensu formali, & rigoroso?

Pro cuius intelligentia notandum est quod Prędestinatio ut dicitur 1. p. ad. q. 23. dupliciter sumi potest, nimirum proprie, & improprie, sive stricte, & late. Improprie autem, & late dicitur talis prędordinatio divina quando

est in ordine ad rei constitutionem intra ordinem naturę, unde terminus huius prędordinationis non expectat stricte ad ordinem gratię: Pręordinatio autem propria, & stricta, est pręordinatio divina rei iam constitutę in ordinem gratię, seu in finem, & terminum ultimum ordinis gratię.

Vlterius autem supponendum est, quod prędestinatio propria, & stricta supponit subiectum quod prędestinat, & respicit terminum ad quem prędestinat, & deinde tam subiectum prędestinationis, quam eius terminus, sunt in duplici differentia, subiectum ergo aliud est tale, ut quod aliud tale ut quo; & similiter terminus, alius est terminus qui, alius est terminus quo. Subiectum quod, est illud de quo in concreto prędicatur terminus qui. Subiectum vero quo, est illud ratione cuius terminus qui in concreto potest de subiecto quod prędicari. Terminus insuper qui, est ille qui in concreto prędicatur de subiecto quod, ut gratia subiecto quod facta, & terminus quo est forma, seu ratio formalis constitutiva termini qui in esse talis. Quę omnia ex dictis ad tractatum de prędestinatione 1. p. q. 23 supponi debent, & ex dicendis amplius constabit. Denique supponendum est, quod inter subiectum quod, & terminum qui prędestinationis debet intercedere aliqua distinctio, vel realis, vel saltim virtualis, vel eminentialis, quod patet ex eo quia subiectum quod presupponitur ad prędestinationem, & terminus qui subsequitur, quandoquidem per prędestinationem subiectum ordinatur ad terminum, ut late explicatur 1. p. q. 23.

§. II.

Proponitur ratio dubitandi.

Ratio dubitandi, eaque urgentissima, & difficilis valde est, quia prędestinatio subiecti ad aliquem terminum, petit quod terminus in subiecto non includatur, sed Filiatio naturalis Dei, intrinsece constitutive includitur in Christo, ut homine, ergo Xptus, ut homo, non est proprie prędestinatus Filius Dei naturalis. Maior ex notabilibus constat, quia subiectum ordinatum ex vi prędestinationis, ad aliquem terminum, debet ad ipsum presupponi, cum terminus illi per gratiam debeat convenire, ergo si subiectum includit intrinsece constitutive terminum, implicat, & quod subiectum presupponatur ad terminum, & quod terminus conveniat subiecto per gratiam prędestinantis. Minor autem probatur manifeste, quia Xptus ut homo, qui utique est subiectum, quod prędestinatur, includit intrinsece constitutive subsistentiam Verbi divini, & humanitatem, ex illis enim physice componitur; sed subsistentia Verbi, est divina Filiatio naturalis, ergo Filiatio Dei naturalis, seu Filius naturalis Dei, qui utique est terminus qui, formalis prędestinationis Xpti intrinsece constitutive, includitur in Xpto, ut homine, & consequenter illa propositio non potest esse vera, in sensu formali, & proprie, & in omni rigore sermonis.

§. III

Referuntur sententiae

Ratio dubitandi exposita. ita difficilis visa est Theologis, quod eos in varios dicendi modos diviserit. qui omnes ad duo capita reducuntur. nimirum ad asserendum quod ista propositio: * Christus, ut homo, est prędestinatus Filius Dei naturalis * est vera, non tamen in sensu formali, proprio. & rigoroso: Ita Durand. in 3. dist. 7. q. 3. n. 9. Scotus. dist. & q. eadem. D. Bonaven. in 3. dist. 7. ar. 2. q. 3. Ricardus eadem dist. q. & ar. Gabriel in 3. dist. 10. q. unic. ar. 3. quos expresse sequitur Lorca in presenti disp. 85. memb. 3.

Secunda sententia docet prędictam ~~sententiam~~ propositionem esse veram in sensu formali, proprio, & rigoroso. ita omnes Thomistę cum Angelico Doctore hic. ar. 1. & 2. & in 1. dist. 40. q. 2. ar. 1. ad 5. & in 3. dist. 7. q. 3 ar. 1. & ad Anib. ibidem. q. unic. ar. 4. & super illud ad Rom. 1. Lect. 3. & alibi ..... tenet etiam hanc sententiam Cornelius a Lapide. in Cap. 1. ad Rom... eamdem sententiam tenent quamplures ex Patribus Societatis. ut Suarez. hic. disp. 50. sect. 2. Vazquez. disp. 91. cap. 2. Lugo. disp. 32. sect. 2. & alij

§. IV

Refelluntur aliqui modi tuendi secundam sententiam

Primo occurrit reiiciendus P. Vazquez, qui, ut mos est apud ipsum, rationem D. Thomę relinquit. ut suam ex proprio cerebro efformatam stabiliat. asserit enim ut a ratione dubitandi se expediat, quod subiectum prędestinationis Christi, non est Christus, sed eius humanitas.

Sed facile reiicitur. quia subiectum illius propositionis. ut evidenter patet, est Xptus, sed Xptus. non est eius humanitas, etenim ista propositio: Christus est humanitas, est falsa. quia ut docetur in Logica abstractum non potest prędicari de concreto. ergo.

Deinde ad Vazquez reiiciendum authoritate & ratione nil aliud requiritur. nisi textus Divi Thomę, ut iacet. quia D. Th. hic. ar. 1. ad 2. hęc habet: * Quidam dixerunt prędestinationem intelligendam esse, de natura, non de persona Xpti. quia scilicet, humanę naturę facta est hęc gratia, ut uniretur Filio Dei in unitate personę.... Sed secundum hoc locutio Apostoli dicentis ad Rom. 1. Qui prędestinatus est Filius Dei in virtute, est impropria, propter duo primo quidem ratione communi, ~~quia esse Filium Dei non convenit humanę na~~ ~~turę~~. non enim dicimus: naturam alicuius prędestinari, sed ipsum suppositum, quia prędestinari, est dirigi in salutem, quod quidem suppositi est agentis propter finem beatitudinis.... Secundo ratione speciali. quia esse Filium Dei non convenit humanę naturę est enim hęc falsa: humana natura est Filius Dei; nisi forte quis velit

Sic exponere extorta expositione: Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute idest: prædestinatum est, ut humana natura uniretur Filio Dei in persona, relinquitur ergo quod prædestinatio attribuitur personæ Xpti, non quidem secundum se, vel secundum quod subsistit in divina natura, sed secundum quod subsistit in humana natura.* quibus verbis exclusa venit doctrina P. Vazquez authoritate, & ratione duplicata in ipsis verbis inclusa.

Accedit ad hoc comprobandum dictum Aristotelis. ait enim* Natura humana non flet, neque ridet, sed Socrates flet, & Callias ridet.* sed aliud: actiones sunt suppositorum.

Secundo venit reiiciendus P. Suarez. qui loco ubi supra, ut rationem dubitandi solvat, docet subiectum prædestinationis Christi esse subsistens vage, hac, vel illa subsistentia in hac numero humanitate, quod subsistens dicitur hic homo, quia ad hoc sufficit singularitas humanitatis, terminus vero huius prædestinationis, est subsistentia Verbi, quæ est naturalis Filiatio Dei, & proinde terminus non includitur in subiecto.

Sed hæc doctrina sustineri non potest, quia prædestinatio, ut pote pars subiectiva providentiæ, versatur circa singularia, ergo sicut ob hanc rationem ponitur singularitas ex parte humanitatis, ita debet poni singularitas ex parte suppositi. sed subsistens vage hac, vel illa subsistentia, non est subsistens singulare determinatum. ergo tale subsistens non potens esse subiectum prædestinationis.

Vlterius, quod prædestinatur est Xptus ut homo, ly ut determinando suppositum, ut unitum humanitati, specificative sumptæ, seu est hoc subsistens, ut est in re. Sed humanitas Xpti non est posita in re cum supposito hoc, vel illo vage sumpto, & indeterminato, etenim hoc repugnat non minus ex parte suppositi, quam ex parte naturæ, alias esset in re universale platonicum, seu illa idea Platonis. ergo hæc doctrina est repugnans.

Tertio occurrit reiiciendus Eminentss. Caietanus, qui videns difficultatem rationis dubitandi, docet in præsenti cum Authoribus primæ sententiæ prædictam propositionem non posse esse veram, nisi improprie, unde videns, quod D. Th. illam intendit verificare in sensu proprio, & formali, dicit, D. Thomam assumpsisse magnam provinciam; docet ergo Caiet. in præsenti ar. 1. §.* Secunda autem conditio* quod Christus potest considerari dupliciter, primo, ut incarnatus

abstrahendo a vero. & a fictitio modo Incarnationis ab hereticis conficto; secundo ut incarnatus modo vero in re existenti, docet ergo quod sub prima consideratione est subiectum predestinationis, cui fit gratia predestinationis; sub secunda autem consideratione est terminus, & gratia facta per predestinationem. quo pacto inter subiectum, & terminum iam intercedit distinctio, saltim rationis

Sed hec doctrina omnino est relinquenda, tum quia & est contra D. Th. & est contra rationem. est contra D. Th. ibidem ad 2. ubi ait: * Predestinatio tribuitur persone Xpti, non quidem secundum se, sed secundum quod subsistit in humana natura: unde cum predixisset Apostolus: Qui factus est ei ex semine Dabid secundum carnem, subiunxit: Qui predestinatus est Filius Dei: ut daret intelligere: quod secundum hoc quod est factus ex semine Dabid secundum carnem est predestinatus Filius Dei. *

Est contra rationem quia ratio communis, ut proxime dicebamus, non predestinatur, eo quia predestinatio non circa universalia sed circa singularia versatur. tum quia ratio communis non est subiectum capax gratie fiende per predestinationem. tum quia ista doctrina admittere videtur universale platonicum existens in re. quod utique est ingens chymera.

§. V.

Statuitur conclusio.

Sit nostra Conclusio: Hec propositio * Xptus, ut homo, est predestinatus Filius Dei naturalis * est vera. in stricto, & proprissimo sensu, & cum omni proprietate sermonis.

Manet ex iam dictis probata nostra conclusio, ut ex mente D. Thome locis relatis. tum impugnando Caietanum. tum P. Vazquez, preterquam quod D. Th. initio ar. 1. huius questionis. totus est in nostra conclusione stabilienda. & illam docet locis relatis supra. §. 3.

Deinde probatur ex D. Aug. lib. de predestinatione Sanct. cap. 15. ubi ait: * ea gratia fit ab initio fidei sue homo quicumque Christianus. qua gratia homo ille ab initio suo factus est Xptus. * Sed homo in proprio sensu factus est. & predestinatus est ad gratiam fidei, ergo, & in proprio sensu Xptus predestinatus est Filius Dei. Rursus idem S. Doct. Aug. paulo inferius inquit * predestinatus est ergo Iesus, ut qui futurus erat secundum carnem filius Dabid, esset tamen in virtute Filius Dei. * ergo sentit quod Iesus. ut filius Dabid, idest. inquantum homo est predestinatus Filius Dei naturalis.

Deinde probatur conclusio ratione desumpta ex D. Th. in hoc. ar. 1. Adid quod Xpto. ut homini convenit in tempore ex gratia, est. ut homo,

proprie prædestinatus ab æterno; Sed Xpto, ut homini, convenit proprie intempore pergratiam Unionis, esse Filium Dei naturalem; ergo Xptus ut homo, seu ut subsistens in natura humana est proprie prædestinatus ab æterno, ut sit Filius Dei naturalis. Maior constat, quia iuxta Augustinum, & communem theologorum sententiam prædestinatio est præparatio gratiæ, Sed gratia Xpto ut homini conveniens, est illi ab æterno a Deo præparata ergo ad id quod Xpto ut homini convenit ex gratia in tempore, est proprie prædestinatus ab æterno. Minor autem est etiam certa, quia licet personæ Xpti ut subsistenti in natura divina non possit fieri gratia, tamen ut in natura humana subsistenti, gratia potest conferri, unde licet ut subsistens in natura divina, sit essentialiter, & naturaliter Filius naturalis Dei, tamen ut subsistens in natura humana, non est naturaliter Filius Dei, sed illi convenit per gratiam unionis. inter utramque enim virtualitatem sicut adest sufficiens distinctio, ut sit creditor, & debitor, satisfaciens, & cui fit satisfactio, premians, & merens. adest proinde sufficiens distinctio, ut licet sub una ratione non sit capax gratiæ. sed sit gratiæ autor, & largitor. sub alia capax sit ut recipiat gratiam. quod ut magis intelligas, institueter sequens. §.

§. VI

Explicatur quodnam sit subiectum; & quisnam sit terminus formalis, primarius, & principalis, praedestinationis Xpti

Sit secunda Conclusio. Subiectum quod prædestinationis Xpti. est Xptus. ut homo. seu reduplicative. ut subsistens in humanitate, Subiectum vero quo, est humanitas. Terminus autem qui, formalis, primarius, & principalis, ad quem, gratiose subiectum gratiose prædestinatur, est Filius naturalis Dei. ut in tempore unitus per gratiam unionis, Terminus vero quo, est Filiatio naturalis Dei.

Probatur ex D. Paulo ad Rom. 8. ubi dicit * Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute: * Sed illud relativum qui refert ad Xptum reduplicative. ut hominem, dixerat enim Apostolus antea. factus est ei, ex semine Dabid secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei, Sed Xptus ex semine Dabid secundum carnem, est Xptus ut homo. ergo Xptus ut homo est subiectum quod prædestinatur.

Similiter prædicatum, seu terminus ad quem prædestinatur Xptus ut homo, est Filius Dei. ut patet in verbis Apostoli. ergo.

Deinde utraque pars. continetur in D. Aug. verbis supra relatis ex lib. de prædestinat. SS. & in D. Th. verbis supra relatis ex hac. q. ar. 1. ad. 2.

Ratione suadetur conclusio, quoad omnes suas partes. quia ut ex notabilibus constat illud est subiectum quod, de quo praedicatur terminus formalis qui, & illud est subiectum quo, quod est ratio formalis constitutiva subiecti quod, in esse talis, & deinde ille est terminus qui, qui praedicatur de subiecto quod, & ille est terminus quo qui constituit terminum qui in esse talis. Sed omnia ista per suas partes de subiecto quod, & quo, & de termino qui, & quo, assignatis in conclusione, ut facile constabit levi meditatione & amplius manifestabitur solvendo rationem dubitandi. ergo vera est conclusio.

§. VII.

Notamenta pro solvenda dubitadi ratione.

Pro solutione rationis dubitandi notanda, & maxime prae oculis est habenda doctrina quaedam, & distinctio formalitatum divinarum personarum, quae explicatur 1 p. q. 40 ad Tract. de Trinit. agendo de constitutivo divinarum personarum ibi enim dicitur: quod in Subsistentia Patris aeterni, v. g. distingui debet triplex formalitas, seu triplex munus, quorum quodlibet licet explicite non dicat aliud, illud tamen claudit, & exigit: nimirum in praedicta Patris Subsistentia, & est conceptus, seu formalitas formae hypostaticae, & est formalitas originis activae, & est conceptus Paternitatis, seu relationis explicite ad Filium. Sub primo conceptu constituit Patrem in ratione personae; sub secundo originat active, elicitive generationem prout actio est, generativa Filij, & proinde sub isto secundo conceptu constituit fundamentum proximum relationis Paternitatis, qua prima persona refertur ad secundam; & denique sub tertio munere, seu formalitate constituit Patrem in esse Patris formaliter relative explicite ad Filium. & sub quacumque harum trium formalitatum prima persona distinguitur realiter a secunda, quia licet primum, & secundum munus non explicet relationem tamen quaelibet formalitas illarum duarum relationem includit signate, & exigit exercite.

Sic ergo similiter, & eodem modo consideratur in Verbi Subsistentia alia triplex formalitas, nimirum, & munus formae hypostaticae, constituens secundam personam in esse secundae personae; & munus originis passivae, seu geniti, & habentis naturam divinam, ut per generationem communicatam, & denique munus Filiationis, seu relationis explicite, & exercite ad Patrem. Sub primo munere constituitur Verbum in esse personae; sub secundo in esse geniti, & habentis naturam divinam communicatam per generationem, unde, & intelligitur fundamentum proximum relationis Filiationis; & denique sub tertio conceptu intelligitur ipsa relatio formalis exercite, seu ipsa Filiatio. inter quas formalitates reperitur distinctio virtualis, seu eminentialis, modo sufficienti ut possit intercedere, actio generativa Patris, & passio seu generatio passiva Filij. ut 1. p. q. 40. late demonstratur, & modo supponitur.

Rursus supponendum est, quod Subsistentia Verbi, sub primo eius munere considerata videlicet sub munere formę hypostaticę constituentis Verbum in esse secundę personę, debet distingui duplex munus, videlicet, & munus terminandi naturam divinam; & munus terminandi naturam humanam, quandoquidem ratio formalis sub qua terminat unam, non terminat aliam, licet realiter utraque ratio sit eadem. Sub primo munere constituit Verbum in esse personę, in se, & absolute; sub secundo constituit hunc hominem, qui dicitur, & est Xptus, in esse personę humanę, seu ut melius dicam, sub secundo munere gerit vices personę humanę, unde sub prima ratione, Xptus est Deus, sub secunda homo, & realiter Deus homo, seu homo Deus, quo pacto sub una ratione satisfacit ex iustitia, sub alia exigit satisfactionem, sub una est debitor sub alia creditor, quę formalitates distingui debent in una eademque persona ad minus virtualiter, & eminenter, quibus prenotatis.

§. VIII

Solvitur ratio dubitandi

Ex his ergo, iam facile patet solutio ad rationem dubitandi. Respondeo ergo distinguendo maiorem: Prędestinatio petit, quod terminus in subiecto non includatur inclusione formali concedo maiorem: identice, & realiter nego maiorem: & distinguo minorem: Sed Filiatio divina intrinsece constitutive includitur in Xpto, ut homine inclusione reali, & entitativa, concedo minorem, inclusione formali subdistinguo, sub munere formę hipostaticę convenienti Xpto, ut est subiectum prędestinationis, & sub munere relationis Filiationis, convenienti Xpto ut est terminus prędestinationis, concedo. alio modo nego minorem, & consequentiam. & huic solutioni non officit explicatio maioris ibi apposita. & iuxta hanc doctrinam debet occurri ad probationem minoris. Nimirum distinguendo maiorem: Xptus, ut homo, includit intrinsece, constitutive subsistentiam Verbi, sub formalitate sub qua humanitatem constituit personam hoc est sub munere formę hypostaticę, concedo maiorem, includit sub omni alio munere quantumvis proprio subsistentię, subdistinguo inclusione reali, concedo, inclusione formali nego maiorem. & distinguo minorem: Sed subsistentia Verbi est divina Filiatio: intellecta subsistentia Verbi adequate, sub omni suo triplici munere, seu realiter concedo minorem. intellecta solum sub prima formalitate formę hypostaticę, subdistinguo, est divina Filiatio realiter, & formaliter inclusive, & exclusive, concedo, explicite, exercite, relative, & formalissime nego minorem, & distinguatur consequens. dist. maioris. quę solutio patet ex dictis:

I.

§ IX

Solvuntur argumenta

Licet iuxta doctrinam datam facile quisque posset occurrere argumentis, quæ fieri possunt, tamen ut ipsa doctrina magis elucidetur unum, vel alterum proponam.

Obiicies ergo primo, replicando contra dicta, In subsistentia Verbi divini, licet prædicta munia possint per nostros conceptus distingui, tamen in illa prius intelligitur munus formæ hypostaticæ, prout terminat naturam divinam, illamque personat, quam munus personandi, & terminandi humanitatem; sed munus Filiationis naturalis Dei, exercet prout terminat naturam divinam, ergo in personalitate Verbi, etiam prout communicata humanitati, prius intelligitur esse Filium Dei naturalem, quam esse vices gerentem personæ humanæ, & consequenter etiam prout in humanitate subsistit, proprie non potest dici: Xphus est prædestinatus Filius Dei naturalis.

Respondeo distinguendo maiorem: attenta subsistentia Verbi secundum se, concedo, reduplicative, ut humanitati communicata nego maiorem. & distinguo minorem. exercet munus Filiationis prout terminat naturam divinam, adequate, & realiter considerata subsistentia Verbi, concedo considerata sub primaria formalitate formæ hypostaticæ nego minorem. & consequentiam. Solutio patet ex dictis.

Obiicies secundo. iuxta D. Th. in hac. 3. p. q. 16. ar. 7. & in hac. q. ar. 1. ad. 3. hæc propositio: Hic homo, designato Xpho, factus est Deus, vel factus est Filius Dei naturalis, non est vera in rigore sermonis; ergo neque ista: Hic homo, designato Xpho, prædestinatus est Filius Dei naturalis. Consequentia tenet a paritate rationis, & insuper suadetur, quia sicut ly factus, designat actum practicum, & proinde non potest verificari de Xpho, qui est subiectum primæ propositionis, ita similiter ly prædestinatus designat actum practicum intellectus divini, ergo.

Respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam. & disparitas colligitur ex doctrina ibidem data ab Angelico Magistro, nimirum in hac q. ar. 1. ad 3. ubi ait: * Est considerandum quod licet hoc participium prædestinatus importet antecessionem, sicut & hoc participium factus; aliter tamen, & aliter: nam fieri pertinet ad ipsam rem, secundum quod est in se, prædestinari autem pertinet ad aliquem secundum quod est in apprehensione alicuius præordinantis; id autem quod subest alicui formæ, vel naturæ, secundum rem, potest apprehendi, vel prout subest sub illa forma, vel etiam absolute; & absolute non convenit personæ Xphi, quod inceperit esse Filius Dei, convenit autem ei, secundum quod intelligitur vel apprehenditur, ut in natura humana existens, ideo

magis est vera hæc: Xptus est prædestinatus Filius Dei, quam ista Xptus est factus Filius Dei. *

Doctor ergo Angelicus, in hac sua doctrina, designat doctrinam, quæ explicatur communiter in Dialectica, ex qua sumitur manifesta ratio disparitatis. docetur ergo in Dialectica quod quando prædicatum habet vim appellandi, facit, quod significatum formale prædicati verificetur de subiecto non materialiter, & entitative sumpto, sed ratione illius quod ipsum subiectum importat de formali; Deinde dicitur in eadem Dialectica, quod prædicata quæ habent vim appellandi, sunt illa, quæ significant actum interiorem animi, quæ autem significant actum exteriorem, vel prædicata quæ actum non significant, vim appellandi non habent.

Ly ergo prædestinatus, iuxta hanc doctrinam, habet vim appellandi, quia actum interiorem animi significat, & proinde potest verificari absolute de subiecto, si sub aliqua formalitate potest illi competere, licet de subiecto adequate, & realiter sumpto sub omni formalitate illi essentiali, non possit de eodem subiecto verificari. e contra autem ly factus, cum vim appellandi non habeat, denominat absolute prolatum, subiectum adequate sub omni sua formalitate.

Cum ergo Xptus, quod est subiectum in utraque illa propositione, & sub aliqua ratione possit prædestinari, quatenus homo videlicet, ut sit Filius Dei naturalis per gratiam unionis, inde est, quod, ly prædestinatus, quod est prædicatum, potest etiam absolute prolatum verificari de Xpto. quia ipsi sub aliqua ratione convenit, nempe ut homini. Cæterum ly factus, quod est prædicatum in alia propositione, cum vim appellandi non habeat, & absolute proferatur. inde est quod in rigore sermonis non verificatur de Xpto, cum Xptus absolute includat, personam divinam, quæ fieri nequit. & proinde solum verificatur improprie, & ratione naturæ humanæ, cui convenit fieri, saltim ut quod.


Dicta sufficiant pro præsenti tractatu. & pro toto isto nostro, De mirabili Incarnationis Dominicæ Arcano, Opere theologico, quod pro mea Lectura terminanda, hoc tertio supra vigessimum anno, elaborandum, disputandum, & dictandum sumpsi, in hoc nostro Celeberrimo Romano Clericorum Regularium Minorum Collegio, Deo. Opt. Max. in

honorem Sanctorum Vincentij, & Anastasij Sacro. utinam fœliciter!
Si aliquid autem laude dignum in hoc nostro opere theologico dictum ad inveniatur,
cædat in laudem, & gloriam Beatissimæ, & Individuæ Trinitatis. Patris
generantis, Filijque geniti, & Spiritus Sancti ab utroque procedentis.
cædat etiam in laudem ipsius Verbi Incarnati Æterni Patris, naturalis Filij,
& Spiritus Sancti opere, in visceribus purissimis Beatissimæ Virginis Mariæ
concepti. cædat etiam in laudem eiusdem Beatissimæ Virginis Mariæ
Matris eiusdem Verbi Incarnati, & conceptæ absque macula peccati ori-
ginalis in primo instanti suæ conceptionis. Cædat nec non in laudem
& gloriam Divi Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici, a cuius doctrina
non discedere conatus sum; verum si aliquid contra eam dictum ad
inveniatur ex corde retracto, & pro non dicto haberi desidero.

Et omnia Correctioni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subiicio.

FINIS

D. O. M.



M JHS Joseph

INDEX
eorum, quae in hoc opere continentur

TRACTATVS I

De Incarnatione Uerbi Divini Secundum se, et quo ad substantiam

DISPVTATIO I

De Possibilitate, Convenientia, et Existª., Incarnationis

Articulus I

DISPVTATIO. II.

De necessitate Incarnationis. Vbi de gravitate peccati mortalis.

* * *
* *
*

Articulus. I.

Vtrum Peccatum mortale sit simpliciter infinitum in ratione offensæ?

Articulus II

Vtrum Purus homo possit de condigno satisfacere pro peccato mortali proprio, vel alieno?

Articulus III

Vtrum Purus homo possit, de potentia Dei absoluta, constitui a Deo caput morale aliorum in ordine gratiæ, ita ut illis possit promereri de condigno gratiam sanctificantem mundantem a peccato mortali?

DISPUTATIO III.

De Incarnationis motivo.

Articulus I.

Articulus. II.

Vtrum Uerbum fieret homo, ex vi praesentis decreti, solo existenti peccato originali, vel econtra, solis actualibus existentibus?

DISPVTATIO. IV.

De Quidditate Incarnationis prout actio est.

Articulus. I.

Vtrum Incarnatio prout est assumptio ad esse personale

Articulus II

DISPUTATIO V

De quidditate Incarnationis terminative accepta

Articulus I

Articulus. II.

Vtrum Unio humanitatis ad Verbum sit realiter ab extremis distincta?

DISPUTATIO. VI.

De Persona assumente.

Articulus. I.

Vtrum Unio humanitatis ad Verbum facta fuerit in Persona, vel in Natura?

Articulus II.

Sub qua ratione conveniat de facto Personae Divini Verbi terminare naturam creatam, seu personare, & suppositare humanitatem?

Articulus III.

Utrum Pater Æternus, vel Spiritus Sanctus, possit naturam aliquam intellectualem creatam assumere in unitatem Personae?

Articulus IV

Utrum Omnes tres Divinae Personae possint simul eandem naturam creatam assumere, & terminare personaliter?

§ I Conclusio est affirmativa pag. 81.

Articulus V

Utrum Una, & èadem Persona Divina (v. g. Filius) possit plures naturas intellectuales terminare?

§ I Prima conclusio est affirmativa. pag. 81.
Secunda est:
In hypotesi quod Filius (v. g.) tres humanitates (v. g.) terminaret personaliter, non diceretur tres homines, sed unus homo. ibi

---

Articulus VI

Utrum Persona creata, seu natura intellectualis creata per suam personalitatem possit assumi personaliter, & terminari a Persona Divina?

§ I Conclusio est negativa pag. 81.

DISPUTATIO VII
De Natura assumpta, & assumptibili

Articulus I

Utrum Omnis natura creata sit assumptibilis a Persona Divina?

Quae est:

Natura Angelica, de potentia absoluta, est assumptibilis a Deo in unitatem Personae; licet non ita congruenter ac natura humana

quae est:

Omnis natura substantialis completa, corporea, & irrationalis potest de potentia absoluta assumi a Divino Supposito, seu hypostasi, in unitatem Suppositi pag. 84.

Quae est:

Anima rationalis separata, & quaelibet forma materialis substantialis (si supponitur, quod potest existere separata a materia) est assumptibilis a Persona Divina: anima rationalis in unitatem quasi personae; aliae formae, in unitatem quasi suppositi pag. 85.

Quarta est:

Materia prima non potest assumi ab hypostasi divina non assumpta forma substantiali pag. 85

Quinta est:

Partes substantiales integrales non possunt assumi, quando sunt unitae inter se in composito, nisi compositum assumatur pag. 85.

Sexta est:

Anima rationalis unita materiae, illamque informans, non potes assumi, non assumpta simul cum illa materia ibi

Conclusio septima est:

Forma accidentalis (separata) non est assumptibilis a Subsistentia Divina; bene verò ab Existentia divina ibi

---

Articulus II

Utrum Natura creata terminata per propriam personalitatem, & illa retenta, possit assumi a Subsistentia Divina? pag. 87.

Articulus III

Utrum Haec propositio: * Deus assumpsit hominem: * sit vera in rigore, & proprietate sermonis?

TRACT. II

DE GRATIA XPTI

DISPUTATIO VIII

De Gratia Xpti Substantiali

Articulus I.

Per quid sanctificetur substantialiter formaliter humanitas Xpti Domini.

DISPVTATIO IX

De Gratia habituali Xpti Dni

Articulus I

Vtrum [illegible], Gratia habitualis fuerit in anima Xpti Dni?

Articulus II

Ad quid fuerit necessaria gratia habitualis in Xpto?

Articulus III

Vtrum Gratia habitualis sit infinita in anima Xpti Dni?

Articulus IV

Vtrum Fuerint in Xpto Domino omnes Virtutes?

Articulus V

Qualiter in Xpto fuerit Donum Timoris?

DISPVTATIO X

De Gratia Xpti capitali

Articulus I

Vtrum Xptus, vt homo, sit caput Ecclesiae?

Articulus II

Per quam gratiam constituatur Xptus in ratione Capitis?

Articulus III

Vtrum Xptus sit Caput omnium hominum, & Angelorum?

TRACT. III

De Scientia animae Xpti

DISPVTATIO XI

De Scientia animae Xpti secundum se, & in communi

DISPUTATIO. XII.

De Scientia Beata animae Xpti.

Articulus. I.

Utrum Xptus, dum erat Viator, habuisset Scientiam beatam, & an illam a primo conceptionis instanti habuisset?

Xptus Dnus, dum erat Viator, & in hac vita mortali degebat, habuit scientiam beatam, seu vidit clare, intuitive, & quidditative divinam essentiam.

Fuit hoc, a primo suae conceptionis instanti inclusive. pag. 132.

Articulus. II.

Utrum Xptus Dnus per Scientiam Beatam cognoscat in Divina Essentia visa omnes creaturas possibiles? pag. 133.

Artic. III.

Vtrum Intellectus creatus animæ Xpti cognoscat per Scientiam beatam in divina Essentia visa omnes creaturas præteritas, præsentes, & futuras?

DISP. XIII.

De Scientia supernaturali, & infusa animae Christi.

Artic. I.

Vtrum Præter Scientiam Beatam fuerit in intellectu animæ Xpti Scientia Supernaturalis, & an sit per se infusa?

Artic. II.

Vtrum Xptus Dnus per Scientiam Supernaturalem infusam cognoscat quidditative omnia entia naturalia creata?

quae est.

Artic. III.

Vtrum Xptus Dnus per eamdem scientiam infusam cognoscat etiam comprehensive entia omnia naturalia creata?

quae est:

Artic. IV.

Vtrum Anima Xpti Dni per scientiam Supernaturalem infusam cognoscat quidditative, & comprehensive omnia entia, seu dona Supernaturalia, & mysteria gratiae?

Articlus V

Vtrum Intellectus animae Xpti per Scientiam supernaturalem infusam cognoscat occultas liberas cogitationes cordium?

Articulus VI

Vtrum Cognitio, qua Xptus Dnus per Scientiam supernaturalem infusam cognovit futura, sive libera, sive necessaria, sit intuitiva, vel abstractiva

---

Articulus VII

Vtrum Intellectus animae Xpti Dni per Scientiam supernaturalem infusam cognouerit, vel cognoscere potuisset, omnia possibilia

§ I Statuitur prima conclusio
quae est:

Intellectus animae Xpti per Scientiam supernaturalem infusam non cognovit de facto omnia possibilia pag. 156.

§ II Statuitur secunda conclusio
quae est:

Implicat, etiam attenta potentia absoluta intellectum creatum animae Xpti Dni, per scientiam supernaturalem infusam cognoscere omnia possibilia pag. 157.

Articulus VIII

Vtrum Intellectus creatus animae Xpti per Scientiam supernaturalem infusam cognouerit Divinam Essentiam, & Deum, vt Vnum, & Trinum

§ I Relatis sententiis, statuitur conclusio
quae est:

Intellectus animae Xpti per Scientiam supernaturalem infusam cognovit Deum, vt Vnum, & Trinum, evidenter, quo ad an est, cognitione non quidditativa, vel intuitiva, sed cognitione evidenti abstractiva p. 160.

Articulus IX

Vtrum Hæc Scientia supernaturalis, & per se infusa consistat essentialiter in habitu, vel in collectione specierum?

§ I Praemittuntur certa pag. 160.

§ II Relatis sententiis, statuitur conclusio
quae est:

Consistit essentialiter, & metaphysice, in habitu supernaturali, & per se infuso; seu est quoddam habituale Lumen, se tenens ex parte intellectus, illum elevans ad eliciendum actum scientificum, quod lumen entitative est qualitas, quae dicitur, & est habitus pag. 161.

Articulus X

Vtrum Ista Scientia sit habitus vnius athomae speciei?

§. I Statuitur conclusio affirmativa pag. 162.

Artic. XI

Vtrum Xptus habuerit istam Scientiam a primo conceptionis instanti?

§. I Statuitur conclusio affirmativa ibidem

Artic. XII

Vtrum Scientia Supernaturalis per se infusa sit discursiva?

§. I Statuitur conclusio affirmativa. ibidem

quae est:

Xptus Dominus poterat vti ista scientia cum discursu formali, vel sine illo

---

Artic. XIII

Vtrum Xptus Dnus potuisset vti speciebus deservientibus huic scicentiæ Supernaturali infusæ, per conversionem ad phantasmata?

§. I Statuitur conclusio quae est: ibidem

Species deservientes huic scientiae fuerunt infusæ sine dependentia a phantasmatibus; & poterat Xptus vti illis, convertendo illas ad phantasmata

---

DIPVT. XIV

De Scientia naturali per se acquisibili animae Xpti

Artic. I

Vtrum Praeter Scientiam Beatam, & supernaturalem infusam fuerit in intellectu animae Xpti Scientia naturalis per se acquisibilis?

[illegible]

DISPVT. XV.

De Scientia per se acquisita animae Xpti.

Artic. I.

Vtrum Praeter Scientias enumeratas fuerit in intellectu animae Xpti Scientia alia naturalis perse acquisita quae experimentalis dicatur, & sit?

TRACT. IV

De Potentia animae Xpti

DISP. XVI

De Causalitate Xpti in effectus miraculosos

Artic. I

Vtrum Humanitas Xpti, seu Xptus, ut homo concurrat ut causa principalis moralis ad productionem gratiae, & miraculorum, aliorumque effectuum supernaturalium?

quae est:

Humanitas Xpti, seu Xptus, ut homo, ut causa, principalis moralis prestitit influxum in miracula ab ipso patrata, in gratiam sanctificantem, quae iustis communicabatur, & in alia dona supernaturalia hominibus communicata. & hoc non solum post eius adventum, sed etiam antea, videlicet erga antiquos Sanctos Patres. pag. 170.

Artic. II

Vtrum Humanitas Xpti, seu Xptus, ut homo, praeter concursum causae principalis moralis, concurrat etiam physice efficienter instrumentaliter ad productionem gratiae, & donorum supernaturalium, & ad patrationem miraculorum?

Humanitas Xpti, seu Xptus, ut homo, praeter concursum, quem ut causa principalis moralis, praestitit, & praestat in effectus miraculosos, & in quemlibet effectum supernaturalem, etiam praestitit. & praestat post eius adventum concursum effectivum physicum instrumentalem erga eosdem effectus, sive consideretur humanitas Xpti quando erat in hac vita mortali, sive ut modo est in Coelis. pag. 172.

TRACT. V.

De Impeccabilitate Christi, & de eius morali perfectione.

DISP. XVII.

De Impeccabilitate Xpti ex vi Unionis hypostaticae.

Artic. I.

Utrum Xptus. Dnus. De potentia absoluta potuerit peccare?

Artic. II

Utrum humanitas Xpti saltim possit de potentia absoluta peccare in sensu diviso Unionis hypostaticae?

Artic. III

Utrum Haec impotentia, qua Xptus Dnus est impotens ad peccandum, tam in sensu composito, quam in sensu diviso Unionis hypostaticae, sit physica, vel tantum moralis?

DISP. XVIII

De Morali Xpti perfectione

Artic. I

Vtrum Xptus, quatenus homo, potuerit de potentia absoluta esse moraliter imperfectus per transgresionem consiliorum?

Implicat humanitatem Xpti Dni in sensu composito, vel in sensu diviso, Unionis hypostaticæ omittere actum consiliatum, & recedere a maiori beneplacito Dei, sibi manifestato, si de facto Voluntas Divina erat Xpto manifesta per visionem beatam pag. 209.

DISPVT. XIX

De Concordia Libertatis Christi cum eius impeccabilitate

Artic. I

Vtrum Xptus Dominus habuisset strictum & rigorosum præceptum de morte subeunda?

TRACT. VI. DE MERITO XPTI ubi et de Xpti satisfactione

DISP. XX

De libertate ad meritum requisita

Artic. I

Artic. II.

DISPVT. XXI.

De Merito actus Charitatis.

Artic. I.

DISP. XXII

De Satisfactione Xpti Dni

Articulus I

Vtrum Satisfactio Christi Domini sit simpliciter infinita in ratione valoris?

Artic. II

Vtrum Forma dignificans operationes Xpti Dni sit Personalitas Verbi?

quæ est:

Personalitas Verbi non dignificat operationes satisfactorias Xpti Dni ratione illius, quod pro explicito relatiui dicit, et addit ad prædicata absoluta, sed illas dignificat, & valorat ratione Deitatis, quam pro implicito includit pag. 275.

Artic. III

Vtrum Satisfactio Xpti Dni ab intrinseco, & ex natura sua fuerit sufficiens pro peccatis humani generis?

quæ est:

Satisfactio Xpti Dni ab intrinseco, et ex natura sua, & seclusa acceptatione diuina, vt valorante, vel supplente defectum valoris fuit condigna, & sufficiens pro peccatis generis humani pag. 277.

Artic. IV

Vtrum Satisfactio Xpti Dni, fuisset etiam ab intrinseco superabundans?

quæ est:

Satisfactio Xpti Dni fuit superabundans ab intrinseco, solum inspecto suo intrinseco valore, & attentis suis prædicatis intrinsecis, seclusa etiam acceptatione Dei ut dante, vel supplente superabundantiam pag. 281.

Artic. V

Vtrum Satisfactio Xpti Dni fuerit ex toto rigore iustitiae?

concl. est:

Satisfactio Xpti Dni fuit ex toto rigore iustitiæ pag. 286.

Artic. VI.

Vtrum Intentio formalis satisfaciendi in Xpto Dno sit elicitive a Virtute Iustitiae?

quae est:

Propositum, seu intentio formalis satisfaciendi oritur in Xpto elicitive ab aliqua virtute speciali distincta specifice athome ab omni alia virtute. pag. 294.

quae est.

Virtus specialis elicitiva intentionis formalis satisfaciendi in Xpto Dno est virtus strictae iustitiae. pag. 296.

Artic. VII.

Vtrum Virtus iustitiae, quae elicitive producit in Xpto intentionem formalem satisfaciendi, sit iustitia commutativa?

Artic. VIII.

Vtrum Deus acceptaverit satisfactionem Xpti Dni ex iustitia rigorosa commutativa?

DISP. XXIII.

De Tempore, in quo Xptus meruerit.

Artic. I.

Vtrum Xptus Dominus meruerit in primo suæ conceptionis instanti.

Artic. II

Vtrum Xptus Dnus meruisset a primo conceptionis instanti continuate?

Artic. III

Vtrum Xptus Dnus meruisset in primo instanti intrinseco mortis, quod est ultimum extrinsecum vitae?

Artic. IV

Vtrum Xptus Dominus meruiset post mortem, & nunc in Cœlo mereatur?

DISPUT. XXIV

De Praemio meritorum Christi

Artic. I

Vtrum Unio hypostatica potuerit esse aliquomodo præmium meritorum Xpti? seu Utrum Xptus meruisset, vel potuisset mereri suam Incarnationem?

Artic. II

Artic. III.

Quid dicendum sit de merito Beatissimæ Virginis Mariae circa Incarnationem, & circa Maternitatem Dei?

quae est:

Beatissima Virgo Maria non meruit de condigno Incarnationem Verbi, nec Maternitatem; meruit tamen de congruo, & Incarnationem, & Maternitatem.

Artic. IV.

Vtrum Xptus Dominus, meruerit, vel de potentia absoluta potuisset mereri Virginis Maternitatem: hoc est: nasci ex Beatissima Virgine?

& concl. est:

Xptus Dominus non meruit, nec potuit mereri Virginis Maternitatem, videlicet nasci ex Beatiss.ª Virgine Maria.

Artic. V.

Vtrum Xptus Dominus meruisset, vel potuisset mereri merito condigno Unionis hypostaticæ continuationem?

quæ est:

Xptus Dnus de potentia absoluta potuit mereri de condigno Incarnationis continuationem; illam tamen de facto non meruit.

Xptus nobis meruit omnes effectus prædestinationis, unde, & nobis meruit gloriam, gratiam, auxilia supernaturalia, dispositiones proximas, & remotas ad gratiam, imo, & bona temporalia, quatenus ordinantur ad finem supernaturalem, & quidquid conducit, aliquomodo ad nostram prædestinationem exequendam. p. 348.

§. II. Soluuntur argumenta pag. 348.

TRACT. VII.

De Servitute, Oratione, Sacerdotio, & Regia potestate Xpti

DISP. XXV.

De Convenientibus Xpto relate ad Patrem.

Artic. I.

Vtrum Xptus, vt homo, sit vere, & proprie Servus Dei?

§. I. Praenotantur aliqua pag. 353.

§. II. Statuitur conclusio quæ est:

Xptus, vt homo, vere, & Servus Dei, servitute naturali; non autem est nec potest dici Servus Dei servitute legali. p. 353.

§. III. Soluuntur argumenta. pag. 354.

Artic. II

Vtrum Xptus Dnus, vere, & proprie oraverit in hac vita mortali, & etiam nunc oret in Cælo?

§. I Respondetur affirmative

1ª conclusio est:

Xptus, ut homo, vere, & proprie oravit in hac vita mortali, non solum pro nobis, sed etiam pro se ipso p. 355.

2ª conclusio est:

Xptus, nunc in Cœlo existens, vere, & proprie orat nobis divina beneficia postulando, non verò meretur pag. 355.

Artic. III

Vtrum Xptus, ut homo, sit vere, & proprie Sacerdos?

§. I Respondetur affirmative pag. 356.

Artic. IV

Vtrum Xptus Dnus habuisset potestatem Regiam, non solum spiritualem, sed etiam temporalem?

§. I Respondetur affirmative pag. 357.

TRACT. VIII

De Adoptione Xpti, eiusque Prædestinatione

Procemium pag. 361.

DISPVT. XXVI

De Adoptione Christi

Articulus I

Vtrum Xptus Dnus, inquantum homo, sit Filius adoptiuus Dei?

Artic. II

Vtrum Xptus, in quantum homo, sit formaliter Filius Dei naturalis?

DISP. XXVII.
De Praedestinatione Xpti Dni.
Articulus I.

Vtrum Hic homo Xptus, sit proprie, & in sensu formali, Prædestinatus, qua homo, ad esse Filium Dei naturalem?

FINIS

✠

ORATIO AD JESUM

DVlcissime Domine Jesu Christe adoro te, glo-
rifico te, laudo te, amo te: Pro nobis in Virgine
de Spiritu Sancto conceptum. Absque læsione
Virginitatis eius natum. Pannis involutum. In præsepio
reclinatum. Ab Angelis glorificatum. A Pastoribus; &
à Magis adoratum. Ubera Virginea sugentem. In Cir-
cumcisione primum Sanguinem fundentem. In Templo
præsentatum. A Simeone in ulnas suas receptum, & adora-
tum. Ab Anna Prophetissa laudatum. Ab Herode
Rege ad necem quæsitum. In Ægiptum fugientem....
Ex Ægipto reddeuntem. Parentibus subditum. In tua
sanctissima Infantia crescentem Sapientia, & ætate. In Tem-
plo a Parentibus inventum. Inter Doctores mirabilia profe-
rentem. In virili ætate prædicantem. Veritatem docentem.
Miracula patrantem. Sustinentem convicia. Tacentem ad
opprobria. Ex Templo vendentes, & ementes eiicientem.
In Jordane aquas sanctificantem. Ibi ab Æterno Patre
Filium dilectum declaratum, & a Spiritu Sancto sub
Columbæ specie designatum. In deserto per quadrginta
dies ieiunantem. Esurientem. Et diaboli tentationes su-
perantem. In Monte Tabor transfiguratum, & ibi iterum
a Patre Filium dilectum proclamatum. Cum Moyse, &
Elia de excessu loquentem.

DVlcissime Domine Jesu
Christe adoro te, glorifico te
laudo te, amo te: A Caipha, & alijs in Concilio damna-
tum. In Civitatem Ephrem refugiatum. Triumphantem

in Jerusalem ingredientem. Ab Hæbreorum pueris laudatum, & Hosanna Filio Dabid, Benedictus, qui venit, in nomine Domini, Rex Israel aclamatum. Desiderio desiderantem Pascha cum discipulis manducare. Vetus Pascha in ultima Cœna explentem. Et novum in eâdem instituentem. Linteo præcinctum. Aquam in pelvim fundentem. Pedes discipulorum lavantem. Et linteo tergentem. Sanctissimam Eucharistiam parantem. Te ipsum in ipsa Patri Æterno in sacrificium offerentem, & nobis sanctificandis te ipsum in ipsa communicantem. Ex Cœna in hortum Gethsemani euntem. Ibi nocte prolixius orantem. Procidentem in faciem tuam. Factum in agonia præ tristitia. Sudorem sanguinis emittentem. Discipulos vigilare monentem. Triginta argenteis venditum. A discipulis derelictum. A Juda traditore osculo traditum. Cum gladiis, & fustibus captum. Vinculis alligatum. A satelitibus in Civitatem impiam tumultuose, & cum strepitu portatum. Ad occisionem, ut agnum innocentem, ductum. Conspectibus Annæ, Caiphæ, Pilati, & Herodis indecenter oblatum. Permulta in illa nocte patientem. Ter a Petro negatum. In veste alba illusum. Barabbæ postpositum. A falsis testibus accusatum. Iudicatum. Flagello damnatum. Os tuum, cum male tractareris, non apperientem. Cum accusareris in multis, non respondentem. Nudum ad Columnam ligatum. Flagellis cæsum.+ Plagis lividum. Sputis illitum. Chlamyde coccinea indutum. Spinis coronatum. Arundine capite percussum. Alapis cæsum. Quis est, qui te percussit interrogatum. Opprobrijs vexatum. In derisum adoratum. Ecce Homo, apparentem. Ad Crucem postulatum. Ad Mortem (Mortem autem Crucis) condemnatum.

+ Sanguine madidum.

Tuas sacratissimas vestes resumentem. Crucem tuam baiulantem, fune ad collum pendentē. Ante Matris oculos sub Crucem corruentem. Ad Calvarium properantem, voce mendosa causam proclamante. In Monte Calvario in omnium conspectu vestibus cruenter spoliatum. . . .

DVlcissime Domine Jesu Christe adoro te, glorifico te, laudo te, amo te: In Cruce extensum. Cruci clavis affixum. In Cruce elevatum, & exaltatum. Inter Latrones deputatum. Exprobratum. Obiurgatum. Conviciatum, ut despectum, & novissimum virorum. Lachrimantem. Patrem pro crucifixoribus orantem. Ab uno Latrone conviciatum. Alterum: Memento mei, dicentem, salvantem. Matrem discipulo, & discipulum Matri commendantem. Clamantem ad Patrem. Sanguinem tuum pretiosissimum specialissime per clavorum vulnera effundentem. Sitientem. Aceto potatum. Felle cibatum. Consumatum est, proferentem. Dilectam animam tuam in manus Patris commendantem. Caput inclinantem. Spiritum emittentem. & hæc omnia pro nobis sustinentem.

DVlcissime Domine Jesu Christe adoro te glorifico te, laudo te, amo te Mortuum in Cruce pendentem. Lanceā vulneratum. Ex illo sacratissimo Lateris vulnere Sanguinem, & Aquam scaturientem. Descendentem ad inferos. Ex inferis animas sanctas ibi detentas, liberantem. De Cruce depositum. In sinu Matris receptum. Sindone involutum. Ad sepulchrum ductum. Sepultum. Tertia die, propria virtute, a Mortuis resurrectum. . . Per quadraginta dies a Matre & Mulieribus, ab Apostolis, & discipulis, visum. Post quadraginta dies, videntibus

illis, ad Cœlos, propria virtute, ascendentem.....
Sedentem ad dexteram Patris. Inde venturum iudicare vivos, & Mortuos.

DVlcissime Domine Jesu Christe

Quem adoro, quem glorifico, quem Laudo & amo, per hæc tua sanctissima mysteria, & per has sanctissimas, & amarissimas pœnas tuas, quas ego indignus recolo, quas tibi humiliter offero, & pro quibus tibi reverenter gratias ago, & per Sanctam Crucem. & Mortem tuam deprecor te: miserere peccatrici animæ meæ nunc, & semper, & in egressu suo, & eam perducere digneris in vitam æternam. qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

P. CARDENAS
DE
INCARNATIONE